BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
C
36-39
NAPOLI

Google

Digitized by Google

D. P.

GREGORII ZALLWEIN

OPERA

ECCLESIASTICO - JURIDICA

IN

IV. TOMIS.

Carli Sarnelli 1891

Digitized by Google

PRINCIPIA JURIS ECCLESIASTICI

UNIVERSALIS, ET PARTICULARIS GERMANIÆ,

UBI AGITUR

DE NATURA, ORTU, ET PROGRESSU, FINE ET OBJECTO, FONTIBUS ORIGINARIIS, ET COLLECTIONIBUS ANTIQUIS, NOVIS ET NOVISSIMIS, AUTHORITATE, USU ET STUDIO JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSALIS, NEC NON STATU PARTICULARI ECCLESIARUM GERMANICARUM, AC COLLECTIONIBUS JURIS ECCLESIASTICO-GERMANICI.

ACCEDUNT

QUÆSTIONES ALIÆ,

DE STATU ECCLESIÆ, ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA, DE LIBERTATIBUS ECCLESIARUM ITA DICTIS, VEL POTIUS PRÆROGATIVIS EARUM PRÆSERTIM GERMANICARUM, NEC NON DE PRÆROGATIVIS ET JURIBUS SPECIALIBUS ECCLESIÆ METROPOLITICO-SALISBURGENSIS.

TOMI IV.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

AUTHORE

P. GREGORIO ZALLWEIN,

Ord. S. Bened. Monaſterii Weſſofontani Superioris Bavariæ Profeſſo, J. U. Doctore, Almæ & Archiepiſcopalis Univerſitatis Salisburgenſis Rectore Magnifico, nec non SS. Canonum Profeſſore ibidem emerito, Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi, & S. R. I. Principis Salisburgenſis &c. Conſiliario actuali intimo.

TOMUS I.

IN QUO AGITUR DE JURE ECCLESIASTICO IN GENERE, ET ILLIUS FONTIBUS ORIGINARIIS.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VIND. ET OENIPONTI,
SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIII.

Digitized by Google

Omnia autem probate, quod bonum eſt, tenete.
1. Theſſal. 5. v. 21.

Digitized by Google

ÆTERNÆ
VERITATI,
NEC NON
SANCTISSIMÆ
MATRI
ECCLESIÆ CATHOLICÆ
MAGISTRÆ VERITATIS
IN TERRIS
CONSTITUTÆ.

Summe Deus! Æterna Veritas! Tibi præſentem operam, Te duce cœptam, Te comite continuatam, Te adjutore conſummatam offero, dedico, conſecro. Et cui alteri? cum enim ſcopus laborum meo-

rum

Digitized by Google

rum alius non fuerit, quam ſcribere veritatem pro tua gloria, quam principaliter & ultimato quæro, pro bono Eccleſiæ Catholicæ, quam veluti Magiſtram veritatis divinitus conſtitutam agnoſco, pro ſalute animarum, quam ardentiſſime cupio: Omnis autem veritas in cœlo & in terra a Te tanquam fonte originario ſuam trahat originem, & in Te tanquam mare immenſum reverti cupiat, tuum eſt totum, tibique in acceptis eſt referendum quidquid veritatis in eo eſt, & continetur. Scripſi pro veritate, quam *unicam laborum meorum cynoſuram* ſuſpexi, & ideo quidquid ſcripſi, ſine acceptione perſonarum, ſine omni reſpectu humano, non adulandi, non placendi animo, non ſpe lucri, aut vanæ laudis & gloriæ aucupandæ ſtudio pro veritate ſcripſi, a qua, ſi in quocunque deviavi, illud revocatum, & pro non ſcripto haberi volo.

Te, ſumme Deus! Æterna Veritas! oro, te obſecro, te obteſtor, ut errores, ſi quos contra veritatem ſcripſi, indulgeas, ignoſcas, manifeſtes, detegas, legentibus lumen neceſſarium præbeas, ut veritatem, ſi quæ in hac opella eſt, agnoſcant, & duce ac comite veritate ad te fontem æternæ Veritatis perveniant, mihi vero potentiſſimum tuum auxilium præbeas, ut hominum malevolorum dicteria, male affectorum oppro-

bria,

bria, alte nimis ſapientium criteria forti animo perferre, & contemnere valeam, in veritate ambulem, in ſpiritu & veritate Te adorem, &, quæ modo tanquam in ænigmate revelata credo, olim in te de facie ad faciem videam.

Tibi quoque, ſanctiſſima Mater Eccleſia, & Magiſtra Veritatis, tuoque ſupremo in terris judicio opellam hanc, omnesque apices & ſyllabas ſubmitto, ſubjicio, & ſubjectas volo, corrigere, emendare, & delere paratus, quidquid emendandum, corrigendum, delendumque duxeris, paratus pro veritate Religionis Catholicæ mortem oppetere, ſanguinem fundere, mori. Te certe tanquam ſponſam Chriſti caſtiſſimam ſigno ſanctitatis, charactere unitatis, nota univerſalitatis, forma (ſi ita dicere liceat) Apoſtolicitatis inſignitam, Te tanquam veræ pietatis Magiſtram, Catholicæ doctrinæ vindicem, pulcherrimum primævæ antiquitatis Archetypum ſuſpiciunt, colunt, venerantur omnes, quotquot iniquo partium ſtudio non ducuntur. In te reſplendet ſanctitas primorum Chriſtianorum, refulget ſucceſſio Apoſtolorum, coruſcat donum miraculorum in ſignum Veritatis apud te relictum. Fides tua eadem, quæ Sanctis olim tradita; a te ſtant Patrum dogmata, Conciliorum decreta, a te omnia veteris Ec-

Digitized by Google

cleſiæ Symbola (*) in tuis ſcriniis divina ſervantur oracula, tuis fidelibus ſincere per ſacros Canones, per ſalubres Præſulum tuorum doctrinas tradita, expoſita, communicata. Penes te Sacramentis a Chriſto inſtitutis ſuus ſtat numerus ſeptenarius, ſua ſanctitas, reverentia & integritas illibata. Templa tibi caſta, decora, venuſta, tuam Majeſtatem decentia. Cultum tuum, quem Deo exhibes, eſſe purum, caſtum, catholicum, verum, & Deo dignum teſtantur ſingula tuæ liturgiæ munera, loquuntur ſolemnes precum formulæ, quique in ſacris uſurpantur ritus & cæremoniæ Majeſtate graves, obſervatione utiles, devotione plenæ, pietatis incentivæ, ſanctitatis nutritivæ. In te ſuſpicimus, & reveremur regimen eccleſiaſticum a Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis traditum, a te usque nunc continuatum, atque inter diverſos Miniſtros, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos aliosque inferioris ordinis Clericos in ordine hierarchico ex una a Chriſto, ex altera parte a Te ipſa inſtituto ſibi invicem ſuccedentes & ſubordinatos pulcherrime diſtributum, ac regulis ſapientiæ ita temperatum, ut, quæ Dei ſunt, Deo, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, reddantur. Tu conatus & labores

(*) Verbis hiſce longe meliori jure alloquor Eccleſiam Catholicam, quam Guilielmus Cave ſuam Eccleſiam Anglicanam ad initium Hiſt. Lit. de Script.

labores meos æqui bonique habeto, quos iterum iterumque tuo ſupremo judicio ſubjicio.

Iterum ad te convertor, ſumme Deus! Æterna Veritas! Tibi immortales reddo grates, quod conatibus & laboribus meis a principio usque in finem aſſiſtrice tua gratia, tuo lumine, tuo auxilio adfueris, quos tuis honoribus dedicatos & conſecratos volo, cupio, jubeo, in præmium laborum meorum, ſi quod ſum meritus, nihil aliud expetens, quam tuum honorem & gloriam, ac demum te ipſum, ut te in lumine veritatis & vultus tui de facie ad faciem æternum videre liceat.

Illud demum te oro atque obteſtor, ut Eccleſiam Catholicam in vera ſancta fide corrobores, in orbem univerſum diffundas, & majoribus in dies incrementis amplifices, Romanum Pontificem tanquam ſupremum Eccleſiæ Caput in ſuo regimine eccleſiaſtico ſingulari aſſiſtentia adjuves, confortes, & potentiſſimo tuo brachio contra hoſtes ſuos & Eccleſiæ viſibiles ac inviſibiles defendas, ſpecialiter Eccleſiam Salisburgenſem, inter Eccleſias Germaniæ ferme præcipuam, ab omni poſthac labe, errore & hæreſi immunem, illibatam, & incontaminatam, illiusque Celſiſſimum ac Re-

 veren-

verendiſſimum Archi-Præſulem, & S. R. J. Principem Sigismundum Chriſtophorum, vere Catholicum, pientiſſimum, & zeloſiſſimum in majus Eccleſiæ Catholicæ univerſæ, Religionis Catholicæ per Germaniam mirum in modum afflictæ, ſuæque Eccleſiæ & Archi-Diœceſis ac Univerſitatis noſtræ Benedictinæ decus, incrementum & ornamentum una cum Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Capitulo Metropolitico quam diutiſſime ſalvum & incolumem conſerves.

Ita vovet, dedicat, & conſecrat

AUTHOR.

Digitized by Google

JUDICIUM CENSORIS.

Præclariſſimum hoc Opus, cui Titulus: *Principia Juris eccleſiaſtici*, ſoliditate doctrinæ firmatum, claritate ornatum, eruditione illuſtratum, in maximam legentium utilitatem typo committitur. Aug. Vindel. 16. Maji 1762.

Imprimatur H. S.

Franciſcus Bernardus Bruno Maria Liber Baro ab & in Hornſtein &c.
Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Archi-Presbyter & Summus Scholaſticus, nec non Rev. & Ser. Principis Epiſcopi Auguſtani, Landgravii Haſſiæ, Conſiliarius Eccleſiaſticus & Vicarius in Spiritualibus Generalis &c.

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO
Sacræ Facultatis Theologicæ Salisburgenſis.

Principia hæc *Juris Eccleſiaſtici &c.* pluribus antehac Diſſertationibus ſparſim edita, avide excepta, ac juſtis elogiis domi forisque celebrata, jam autem ſecundis curis in unum opus redacta, multisque acceſſionibus locupletata, adeo a ſanctiſſimis veræ fidei morumque regulis nullibi deflectere viſa ſunt; ut e converſo ob doctrinæ ſoliditatem, in exponendis adverſantium hypotheſibus candorem iisdemque refellendis modeſtiam, ob exquiſitæ eruditionis ubertatem, ſobriamque paſſim aſperſam criſin ceu opus Authore ſuo jam undique celebratiſſimo dignum, tyronibus juxta ac veteranis totique Reipublicæ Catholicorum litterariæ jucundum non minus atque perutile, noſtræ autem Univerſitati præcipuo decori futurum commendari mereatur. Ita cenſent, & Reverendiſſimo & Magnifico Authore junctis votis applaudunt

P. HERMANNUS SCHOLLINER, Benedictinus Oberaltacenſis, SS. Theologiæ Doctor, & Dogmatico-Scholaſticæ Profeſſor Ordinarius, Celſiſſimi & Reverendiſſimi Archi-Epiſcopi & S.R. J. Principis Salisburgenſis &c. &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus, t. t. S. Facultatis Decanus.

P. CORBINIANUS THOMAS, Benedictinus Elchingenſis, SS. Theologiæ Doctor ſacræ Scripturæ & Controverſiarum Fidei Profeſſor Ordinarius, Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Archiepiſcopi & S. R. J. Principis Salisburgenſis Conſiliarius Eccleſiaſticus, Almæ Univerſitati Procancellarius & Vicerector.

P. RUPERTUS SEMBLER, Benedict. ex Monaſt. SS. Udalr. & Afræ Aug. Vindel. SS. Theol. Doct. & Dogm. Scholaſt. Prof. Ordin. Celſiſſ. & Reverendiſ. Archi-Epiſc. & S. R. J. Principis Salisb. Conſil. Eccleſ. Cong. Maj. Academ. Præſes.

P. ANTONIUS MOSER, Benedict. Michaelburanus SS. Theolog. Doct. & Moral. Profeſſ. Ordin. Celſiſ. ac Reverendiſ. Archiepiſ. & S. R. J. Principis Conſil. Eccleſ. Almæ Univerſitatis p. t. Secretarius.

Appro-

Approbatio
Inclytæ Facultatis Juridicæ.

Si quod eſt argumenti genus tam illuſtre, tantiſque difficultatum ſpinis obnoxium, quod Scriptorem commendare magis, aut apud delicatos hujus ævi Criticos in vituperationem adducere valet, illud certe eſt, quod Magnificus Author hiſce quatuor voluminibus excolendum & in pleniori Jure collocandum ſuſcepit. Duo autem præcipue ſibi propoſuiſſe videtur Author; primum eſt, ut Jurium Candidatis ad ſolidiorem Jurisprudentiam eccleſiaſticam tam publicam quam privatam, viam commonſtraret, alterum, ut Jurisdictionis eccleſiaſticæ ac ſæcularis fines, mirum in modum turbatos & confuſos, dirigeret. Illud primum tanto eſſe utilius dignoſcitur, quanto pluris utriusque Reipublicæ intereſt, ut Jurium Candidati melioribus principiis imbuantur: alterum vero tanto illuſtrius & difficilius, quanto majori animorum contentione per omnem ætatem, & noſtra præcipue de dirigendis finibus fuit decertatum. Quemadmodum enim fuere Superioribus ſeculis viri, qui Eccleſiæ & Pontificis Jura mirum in modum ſublimare, & velut extra fines ſuos extendere viſi ſunt; ſic non minus noſtro hoc ævo extitere, qui, velut ad alterum extremum prolapſi, omnem eo contulere induſtriam, ut non pauca Eccleſiæ noſtræ Jura ſubvertere, Principibus ſuis vindicare, & regalis Sacerdotii Dignitatem velut ancillam ſtatui Politico ſubjicere non dubitarint. Inde Magnificus Author totus

tus

tus in eo eſt, ut a primis naſcentis Eccleſiæ initiis per omnes temporum Periodos ad noſtram usque ætatem illius ſtatum publicum, præcipue Germaniæ e genuinis deductum fontibus ob oculos ponat, neque Catholicorum modo ſyſtema, ſed eorum etiam, qui ab Eccleſiæ noſtræ gremio ſe ſegregantes, novas eccleſiaſtici ſui ſtatus, tamque varias formulas procudere, ſincero non minus, quam eruditiſſimo calamo recenſeat, eo potiſſimum, eoque graviſſimo conſilio, ut Eccleſiæ Catholicæ Sanctitas & Integritas in unitate plenius eluceat, verum & ipſa illius Jura ex ipſis adverſantium Religioni noſtræ principiis firmius ſtabiliantur, & a novatorum audacia vindicentur. Quem ſcopum cum feliciſſime conſecutus ſit Author Magnificus, indeque nominis ſui celebritatem, novis auctam incrementis, ad immortalitatis faſtigium perduxerit, pro muneris ſuperioris Decanatus mei, ſub quo hic Tractatus cenſuræ meæ oblatus eſt, prelo & luce publica digniſſimum, Theologiæ non minus, quam ſacri Juris, præcipue publici cultoribus utiliſſimum cenſeo.

FRANCISCUS JOSEPHUS CAROLUS
SCHLOSGANGL ab EDLENBACH,
U. J. D. Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Archiepiſcopi, & S. R. J. Principis Conſiliarius Actualis Aulicus, Juris Publici, Naturæ & Gentium, nec non Codicis Profeſſor ordinarius.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

Ex quo munus Profeſſoris publici in Alma & Archiepiſcopali Benedictina Univerſitate nutu Superiorum aſſumere, & *Jus eccleſiaſticum* tam in lectionibus publicis, quam collegiis privavatis explicare juſſus, & aggreſſus ſum, nihil plane antiquius habui, quam ut *Jus eccleſiaſticum* verum, genuinum, Eccleſiæ univerſæ, ſingulariter noſtræ Germaniæ uſibus, nec non genio & ingenio noſtri ævi ſingulariter accommodatum partem dictarem ad calamum, partim viva voce explicarem. Haud raro mirabar, & tacite indignabar, quod plerique Scriptores noſtri unice explicando *Juri Pontificio* in Decretalibus contento inſudaverint, interea *fontes originarios* non conſuluerint, Canones Eccleſiæ antiquos neglectim habuerint, hiſtoriam eccleſiaſticam ne quidem inſpicere aut eminus ſalutare dignati fuerint, multo minus ad jura eccleſiaſtica Germaniæ ſane ſingularia, extraordinaria, præſtantiſſima, & talia, quibus vix ulla alia gaudet Eccleſia in orbe Catholico quibuscunque privilegiis, juribus &

Digitized by Google

& prærogativis inſignis, reſpexerint, ſuo muneri ex aſſe ſatisfeciſſe exiſtimantes, ſi modo Jus Pontificium ſecundum ordinem Decretalium, ſecundum literam, ſtylum & uſum curiæ Romanæ, & communem authorum, gloſſatorum, & interpretum methodum ſine reflexione ad ſubliminora principia, antiquitates, antiquos Canones, jura particularia & patria explicarent, hinc inde quæſtiones ſubtiles, non raro parum vel ad nihil valentes immiſcerent, vel etiam accumularent. Cæteroquin parum ſoliciti an ad uſum fori Germaniæ eſſet accommodatum. Tantum vero abeſt, ut hos ſuo muneri ſatisfeciſſe credam, ut potius firmiſſime mihi perſuaſum habeam, quod plurimam partem ſui officii haud adimpleverint, in Germania præcipue, ubi non modo viget Jus particulare, valde amplum, quale conſtituunt *Concordata Germaniæ*, in certo ſenſu etiam quædam Conſtitutiones Imperiales, Canones Synodorum particularium, conſuetudines & obſervantiæ, verum etiam immixti vivimus Proteſtantibus & Reformatis, quibuscum ſuper ipſo jure eccleſiaſtico tranſigere, paciſci, de juribus eccleſiaſticis Eccleſiæ Catholicæ, Pontifici, & Epiſcopis competentibus notabiliſſimam partem remittere, & in Principes ſæculares transferre neceſſitas & ſalus Reipublicæ perſuaſit, ita quidem, ut jam longe aliam legem habeamus, in negotiis etiam eccleſiaſticis longe alios judices revereri, longe aliis juris principiis uti in tribunalibus neceſſe habeamus, fruſtra remedium apud Pontificem quæramus, ſine effectu ad audientiam Epiſcopalem provocemus, jura noſtra Judicibus ſæcularibus jam ſubmittere volentes nolentes debeamus, niſi integrum *Corpus Evangelicorum* ita dictum ferme dixiſſem totum Imperii contra nos provocare velimus, quemadmodum noverint ipſi Pontifices, qui in hodiernam usque diem contra Pacem Religioſam & Weſtphalicam ſuas proteſtationes interponere non intermittunt, optime perſpectum habentes, quantam quam immenſam jurium ſuorum ſtragem Eccleſia Catholica ex utraque Pace fuerit perpeſſa. Demus jam in Germania Virum Juris pontificii peritiſſimum, in praxi Curiæ Romanæ verſatiſſimum, ſed in Jure patrio Germaniæ omnino peregrinum: profecto hic talis ineptum aget Judicem in judiciis, imperitum conſiliarium in audientia Epiſcopi,

ſcopi, in cauſis eccleſiaſticis ſaltem publicis ad Jus eccleſiaſtico-publicum pertinentibus, Miniſtrum rudem in aula Principis, Profeſſorem parum proficuum in ſcholis publicis. Quis, quantusque ſit nexus in Germania inter Canones Eccleſiæ, & leges fundamentales Imperii Romano-Germanici per decurſum Operis, ſpecialiter Tom. I. Q. 1. §. 3. demonſtrabimus, quorum ſtudium conjungere ſi quis neglexerit, fieri nequit, ut quis in Virum perfectum, & Reipublicæ Germanicæ tam eccleſiaſticæ quam politicæ ſingulariter utilem evadat, imo potius pertimeſcendum, ne Eccleſiæ ſuæ juribus particularibus noceat, in Concordata Germaniæ, aliasque leges patrias turpiter impingat, ſi Canones eccleſiaſticos, & Jus Pontificium incaute applicet, & ad jura particularia non reflectat. Et quare nos Germani jura noſtra particularia vilipendamus, & contemptim habeamus cum graviſſimo noſtro præjudicio ac diſpendio privilegiorum, prærogativarum ſane præſtantiſſimarum, & talium quidem, quibus nullæ aliæ Nationes gaudere noſcuntur (a). Cum ſciamus, quod Nationes aliæ pro ſuis juribus, quaſi pro aris & focis dimicare conſueverint (b). Aut qua arte obviabimus Proteſtantibus per Germaniam vi Pacis Weſtphalicæ toleratis, quibuscum non raro nobis agendum in puncto Religionis, Eccleſiæ ac jurium eccleſiaſticorum, niſi ſciamus, quid ex jure particulari Concordatorum, utriusque Pacis Religioſæ & Weſtphalicæ obtineat?

Cæterum ipſorum etiam temporum, ſtudiorum, artium ac ſcientiarum hodiernarum habendam eſſe rationem atque adeo Jus eccleſiaſticum ſecundum normam & methodum novioribus temporibus introductam ac paſſim receptam eſſe tractandum, ac genio & ingenio hominum accommodandum exiſtimavimus. Ea enim artium ac ſcientiarum ſunt fata, ut cum temporibus moribusque hominum etiam

(a) Vid. Tom. III. in materia de Concordatis.

(b) E. g. Galli pro ſuis *libertatibus Gallicanis* uti vocant.

etiam ipſæ mutentur, & revolvantur. Hodierna conſulamus tempora, quibus, ſi unquam literarum ſtudia ingentem ſubiere mutationem, ut, ſi cum antiquioribus comparentur, illorum vix umbram præſeferre videantur. Eo noſtro ævo ventum, ut artes & ſcientiæ, quæ olim primatum obtinuerunt, jam ad ultima detrudantur ſubſellia, Magiſtri artium, qui olim dominabantur in publicis Athenæis, jam turpiter proſcribantur e ſcholis & ad Garamantas & Indos amandentur, illorum opiniones, quæ quondam adorabantur veluti oracula Delphica, jam inter aniles fabulas habeantur. Abſit ut hic Apologiam pro quibuscunque ſeu antiquioribus ſeu novioribus literarum ſtudiis ſcribam. Habent Scriptores antiquiores immenſa ſua merita apud orbem literarium, debentur ipſis laudes immortales, ſiquidem parum ſatis ſciremus, niſi illi aperuiſſent fontes, ex quibus haurire fluenta artium ac ſcientiarum datum foret, niſi poſuiſſent fundamenta, quibus jam reliquam ædificii molem ſuperſtruere facile eſſet. Hi ſi in quibusdam defecerunt, cogitandum, illos fuiſſe homines, quales nos ſumus, & certo certius longe plus præſtituros fuiſſe, quam noſtrates, ſi ea ſtudiorum adminicula habuiſſent, quæ nos habemus. Et quis ſcit, an non eadem maneant fata hodiernas artes ac ſcientias, quæ experiuntur antiquiores? Interim præſtat omnino, & intereſt Reipublicæ eccleſiaſticæ, politicæ, ac literariæ, ut ſtudia noſtra temporibus moribusque, genio & ingenio hominum accommodemus: ecquis enim ignorat, qualis & quantus ſit nexus inter bonum publicum Reipublicæ eccleſiaſticæ & politicæ, & inter bonum literarium, inter formam regiminis, & bonas artes ac ſcientias? Ab experientia hactenus edocti ſumus, quod cum artibus & ſcientiis ipſe etiam ſtatus publicus revolvatur, hicque toties mutationem incredibilem ſubeat, quoties literarum ſtudia vel in deterius abire, vel in melius reformari contingit. Ad hodierna reflectamus tempora, quibus ſi unquam alias, hodie certe florent artes & ſcientiæ omnes, & ita florent, ut ſupremum apicem attigiſſe videri poſſint. Quam longe aliis principiis hodie in regimine & forma regiminis ducuntur tam Imperantes ipſi, quam eorum Miniſtri, quorum

utuntur conſilio in regendis ſubditis? quæ an ſint ſana, optima & politica-chriſtiana, aut potius Machiavello-politica æquus rerum arbiter judicet.

In id ergo omnes nervos & vires ingenii intendi, ut diſcipulis meis traderem *Jus eccleſiaſticum* proprium genuinum ac ſincerum SS. Canonibus antiquis, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, decretis Pontificum, & Juribus patriis Germaniæ accommodatum, ſeu Jus eccleſiaſticum quaſi ex hiſtoria eccleſiaſtica, SS. Canonibus, & juribus Germaniæ compactum, & hac ratione eos ad ſublimiorem eruditionem manuducerem. Eſt enim hiſtoria eccleſiaſtica teſte Tullio (c) *teſtis temporum*, *anima memoriæ*, *lux veritatis*, *nuntia vetuſtatis*, *& vitæ magiſtra*. Eſt hiſtoria eccleſiaſtica Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ fortiſſimum præſidium ac potentiſſimum ſubſidium, ſine qua ſtudium Eccleſiaſtico-Juridicum eſt ſterile, jejunum, mancum, defectuoſum: cum quidquid in illo ſive quoad objectum, ſive finem, ſive fundamentum, ac rationes fundamentales reperire eſt, id ferme omne eſſe ſacrum, & ex hiſtoriis eccleſiaſticis depromendum dignoſcatur. Sunt antiquiores Canones quaſi leges fundamentales, quibus tota Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ moles nititur, ſine quarum notitia noviores nec rite intelligi, nec ſcite applicari poſſunt. Sunt jura particularia noſtræ Germaniæ leges, quæ nos propius attingunt, quibus ipſæ leges communes cedere debent, quas ignorare turpe, probroſum, & indignum eſt (d).

In eo autem ſummam & veluti inſuperabilem expertus ſum difficultatem, quo modo, qua ratione, & arte id operis perficerem, cum Authorem ad manus non haberem, quem Auditoribus meis in collegiis prælegerem, eo quod nemo Catholicorum (quod non ſine rubore ſcribo) ad illud usque tempus, imo ad noſtrum usque fuerit, qui librum Prælectionibus aptum ad normam mihi præfixam conſcripſerit: ſine Authore autem difficillimum, ac ferme impoſſibile foret

 ſtudium

(c) Lib. 2. de Orat.

(d) Ex communi regula, quod jus particulare deroget univerſali.

ſtudium iſtud cum exoptato fructu perficere. Quid ergo mihi agendum neſcius ſuggeſſi Auditoribus, ut ſibi compararent libros quosdam, mole parvos, aut ſaltem non modo graves & minoris pretii, quales ſunt *Inſtitutiones* J. E. Claudii Fleury ſine notis Boehmeri, *Prænotiones* Joannis Douiat, Præcognita J. C. P. Franc. Xav. Zechii. Quidam eorum me nec hortante nec conſulente ſibi compararunt *Principia Jur. eccleſiaſt.* Authoris Anonymi, plerisque tamen ex nomine & fama noti, cujus fata eſſe nota ſuppono, doctrinam vero ego ipſe hinc inde dilaudabo, aliquoties modeſte refellam. Alii vero ex Auditoribus præcipue Religioſis ſibi majoris pretii libros e. g. Van-Eſpenium, Natalem Alexandrum, Thomaſſinum, vel omnino, ii nempe, quibus id licebat, Boehmerum compararunt. Atque ut diſcipulorum meorum diligentiam acuerem, & ſtimulos adderem, illos ego, qui methodo hic conſueta in Collegiis munus defendentis & reſpective Magiſtri ſecundarii ſuſtinere debent, & aliunde nullis parcunt laboribus, ut hoc ſuo munere egregie, & ingenti cum honore perfungantur, privatim ad me vocavi, in neceſſariis inſtruxi, libros quoque illis commodavi, quatenus ad ſuum munus rite & glorioſe obeundum ſe præparare poſſent. In eo autem præcipuus meus labor deſudavit, ut pro ſublevanda Auditorum induſtria, & majori ſtudentium commoditate *Prolegomena Juris eccleſiaſtici* in lectionibus publicis ad calamum dictarem. Quibus abſolutis ipſum ſacrarium, ſi ita dicere licet, ingreſſus fui, & poſt lapſum aliquot annorum integrum *Jus eccleſiaſticum* ſecundum ordinem quinque librorum Decretalium, & normam mihi præfixam & ſupra explicatam dictando abſolvi, quo factum eſt, ut plures ex meis Auditoribus illud vel manu propria exciperent, aut aliena manu ſibi deſcribi curarent, & hinc inde deſcriptum non modico ære compararent.

Hæc ubi ſuperis auxiliantibus perfeci, jam Collegia mea ſucceſſive & quidem jam anno ſecundo longe aliam induere faciem. Jam Auditores mei mirum in modum affici amore eruditionis, delectari ſtudio Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, illisque nihil jucundius nihil amænius accidere, quam erudita audire, legere, ac diſputare, inter

Google

ter quos fuere diverſæ nationis, ſtatus & conditionis juvenes nobiliſſimi Clerici Religioſi, laici, & plures primæ nobilitatis, ex quibus jam non pauci ad Prælaturas, Canonicatus, & alias dignitates & munia ſpectatiſſima fuere promoti, & unus ex illis in mea cathedra, quam ægre admodum dimiſi, exiſtimans me potius ad docendum, quam regendum a Deo eſſe vocatum, ſucceſſorem agit digniſſimum, & prorſus eximium.

Interim, quia optime perſpectum habebam, non omnibus datum eſſe adire Corinthum, & diverſos diverſis ſuo tempore muniis applicandos, ne qui quaſi otioſi, & famelici collegiis aſſiderent, ea ad modum convivii inſtituenda exiſtimavi, in quo plures apponuntur dapes, ut, qui de una non poſſit, de altera reficiatur, & hinc communia & ordinaria neutiquam præterivi, ſed præprimis dilucidare contendi.

Poſt duorum annorum lapſum mecum deliberare incepi, an quid eorum, quæ vel pro uſu privato in adverſariis meis annotata abſconderam, vel diſcipulis meis tum in lectionibus publicis, tum collegiis privatis verbo & ſcripto communicaveram, typis committere velim. Scriptionem qualemcunque imperabant iterata Superiorum decreta, urgebant amicorum conſilia, ſuadebant præclariſſima Anteceſſorum in hac cathedra exempla, ipſe hodiernus ſcripturiente hoc ſæculo ſcribendi pruritus, quo ii etiam aguntur, qui nec ſat ingenii nec eruditionis ad ſcribendum afferunt, & tamen non raro ſuos laudatores pro mirabili videlicet hujus ſæculi genio reperiunt (ingentem enim quamdam levitatem & vanitatem ineſſe geniis ac ingeniis noſtrorum temporum quis ignorat?) ad ſcriptionem vehementer impellebat. Vim calamo inferebat, ne pro calamo flueret, idem ipſe mirabilis non minus, quam delicatus hujus ſæculi genius, cujus palatui raro aliquid, eorum præcipue, quæ vel ex noſtris (Catholicorum intelligo) fluunt calamis, vel meram antiquitatem, ut ajunt, *Scholaſticam* redolent, & econtra illa ſola ſapiunt, quæ antiquitatis ſimul ac novitatis ſale ſunt conſperſa. Cohibebat ſcribendi impetum effuſa illa hodiernis moribus pene communis de libris

quibuscunque judicandi, illos cenſurandi, ferme dixiſſem, in illos graſſandi licentia, quam, neſcio quo jure, ii etiam paſſim uſurpant, quos nec ratio muneris Cenſores & Dictatores conſtituit, nec ingenii, judicii ac eruditionis præſtantia ad id muneris rite ſuſtinendum ſat habiles, idoneosque effecit, ut quidquid hodie ſcripſeris, virgam cenſoriam effugere nequeas, quin tamen ſcire valeas, an ſcriptio tua plures habitura ſit laudatores, an vituperatores, & injuſtos cenſores (e). Abſterrebat denique a ſcriptione illa ipſa accuratiſſima artes & ſcientias tractandi methodus, qua excuſſis hodie antiquitatum monumentis, adminiculante hiſtoria ſacra & profana, & quæ illius individua eſſe comes debet, ſaniori ancillante Critica artium ac ſcientiarum minutiæ quæque ad accuratiſſimam limam expenduntur, id quod omnes ſane ſcripturientes cautos & circumſpectos facere deberet, ne quid ſcribere audeant, quod non ex omni parte abſolutum & tutum eſſe ſcirent.

Sed quoniam nihilominus audendum & ſcribendum erat aliquid, haud abs re me facturum exiſtimavi, ſi, ut me genio ac ingenio hujus ævi accommodarem, ab ovo inciperem, & *Prolegomena Juris eccleſiaſtici* antea diſcipulis ad calamum dictata fuſius nonnihil deducerem, eaque Juris publici facerem, atque veluti materiam diſputandi in conferentiis publicis exponerem. Suaſere hoc ſcribendi argumentum momenta rationum plurima & graviſſima. Præprimis

(e) His ego Author ſim, ut eruditiſſimi Mabillonii præſtantiſſimum tractatum de ſtudiis Monaſticis cap. 13. de Critica legere non graventur: ubi ſic habet: *Nihil hac noſtra ætate celebrius, quam aliorum cenſuræ vacare, idque univerſim adeo invaluit, ut vel ipſis mulierculis hanc artem profiteri ſit nihil antiquius.* Et paulo poſt: *Neceſſum eſt itaque primo, ut rectus alicujus operis Cenſor eas materias optime calleat, ſuper quibus criſin exercere parat. Quapropter grammaticus, qui, ut perſæpe contingit, puncta quædam theologica decidere tentat, in ſua criſi flocci pendendus erit, utpote nullius ponderis, & momenti.* Et iterum: *hujus etiam farinæ ſunt non nulli ſcioli, vel ſemidocti, qui falſa eruditionis opinione intumeſcentes, Cenſoris munus arbitrio ſibi vendicant, earum notionum penitus expertes, quæ ad ipſum rite obeundum requiruntur &c.*

mis vero tum illius præſtantia eruditorum etiam calamo digna, tum utilitas, quam in diſcipulos redundaturam facile prævideram: Iſta enim Prolegomena fundamentum eſſe totius Juris eccleſiaſtici, atque a plerisque illius Doctoribus jejune nimis tractari optime perſpectum habebam. Accedebant & trahebant denique exempla aliorum, maxime domeſticorum, qui hoc ipſum argumentum in aliis ſcientiis aſſumpſerunt, ſuoque calamo illuſtrarunt, illudque non ita pridem in Theologicis illuſtravit Reverendiſſimus, Perilluſtris, & Excellentiſſimus DD. Bertholdus Vogl, antehac Almæ hujus Univerſitatis Rector Magnificus, nunc vero florentiſſimi, & antiquiſſimi Monaſterii Cremiſanenſis ſuperioris Auſtriæ Præſul digniſſimus, & utriusque Cæſareæ, Regiæ, & Apoſtolicæ Majeſtatis Conſiliarius actualis intimus, in Theſibus publicis, quas inſcripſit *Prolegomena ſacræ Theologiæ &c. &c.* & præter ipſum Plur. Rev. Religioſiſſimus ac Clariſſimus D. P. Corbinianus Thomas, Univerſitatis noſtræ Pro-Cancellarius & Vice-Rector, SS. Theologiæ Profeſſor emeritus, & S. Scripturarum ac Controverſiarum actualis, Vir ab omnigena eruditione ſpectatiſſimus in opere, quod inſcribitur: *Introductio in Prolegomena Theologiæ Dogmaticæ.* Præivit in hoc ſcribendi genere, viamque monſtravit Author quidam Anonymus ſupra citatus in ſuo ſuccincto tractatu, quem inſcripſit: *Principia Juris eccleſiaſtici*, cujus doctrinam hinc inde laudavimus, & non raro, ubi nobis minus recte ſcripſiſſe viſus fuerat, modeſte caſtigavimus. Acuerat antea in hunc ipſum Virum calamum celeberrimus quidam Profeſſor Colonienſis, Clariſſimus P. Joſephus Gautier S. J. in libro, cui titulus: *Animadverſiones in librum &c.* cujus conatum, zelum, & eruditionem nemo non laudat, quamquam non deſint, qui acerbitatem ſtyli, nimiumque captandi, & pericula exaggerandi ſtudium in eo animadvertant.

Itaque vadum tentavimus, & Anno 1752. primam Diſſertationem ſub titulo: *Jus Canonicum in genere, & præcipue trium primorum ſæculorum &c.* typo commiſimus. Sequebantur paulo poſt tres aliæ *de fontibus originariis ſcriptura, traditione, Conciliis,*

Pontifice

Pontifice & SS. Patribus inſcriptæ. A *fontibus originariis* tranſitum fecimus ad *Collectiones Juris*, & in duabus Diſſertationibus egimus *de Collectionibus Juris eccleſiaſtici*, *antiqui*, *novi*, *& noviſſimi*, *authoritate*, *uſu & ſtudio Juris eccleſiaſtici.* Poſthac ad explanandum *Jus particulare Germaniæ* nos accinximus & in duabus Diſſertationibus, ac in prima quidem illud a tempore naſcentis Eccleſiæ usque ad Carolum IV. altera usque ad noſtra tempora pro noſtro modulo explanavimus. Acceſſit Diſſertatio ſatis ampla de *Statu Eccleſiæ*, *hierarchia eccleſiaſtica*, *& prærogativis Eccleſiæ Salisburgenſis Metropoliticæ &c.* in qua ſyſtema Religionis & Eccleſiæ Catholicæ prout Religioni Proteſtanticæ oppoſitum fuſiori calamo deduximus, cujus intelligentiam Juris eccleſiaſtici Candidatis eo magis fore neceſſariam exiſtimavimus, quo certius nobis perſuaſum habemus, in hac ſola quæſtione & ſyſtemate totius rei Catholicæ verti cardinem, ac fundamentum, quo non intellecto aut perperam expoſito Jurium Candidatos per omnem Jurisprudentiam ceſpitare, ac hallucinari neceſſe eſt.

Placuiſſe hos meos conatus quibusdam Viris etiam doctis haud obſcure intellexi, qui proin monitis & conſiliis me urgere, ſtimulare, ac hortari non deſtiterunt, ut eos ſecundis curis committerem, ea præcipue ex ratione, quod, quia in prima editione exemplaria admodum pauca fuere impreſſa, & hæc diverſimode diſperſa, pauci fuerint, qui integrum opus poſſiderent. Ego huic labori eo promptiori animo humeros eſſe ſubjiciendos exiſtimavi, quo melius perſpectum habebam, opus a me cœptum eſſe valde imperfectum, mancum, & defectuoſum, multa adhuc in eo deſiderari, plura non ſatis eſſe elaborata, plurima in melius eſſe reformanda. Et quid mirum? eæ enim ferme plerumque, dum hiſce opellis inſudabam, erant rerum circumſtantiæ, ac temporum anguſtiæ, ut vix tempus ſimpliciter eas ſcribendi, ne dicam ſublimius cogitandi, ruminandique habuerim, & cum omni veritate dicere & ſcribere potuerim, ea eſſe *opera tumultuaria.*

Idcirco

Digitized by Google

Idcirco altera vice manum operi admovi. Et en! vix intelle-ctum pro adornanda nova editione ad legendum, cogitandumque, & paulo poſt manum ad ſcribendum applicueram, mox illa, quæ hinc inde velut per otium legeram, ita affecere intellectum, ut, cum iis digerendis non par eſſet, eadem ipſe poſtea manui ſcribere paranti quaſi ingenti vi obtruderet, quin calamum, ne ea pro typo effluere ſineret, intra ſuos fines continere poſſem, ut merito mihi ſit pertimeſcendum, ne imprudentiæ notam apud Doctiores contraham, quod, dum pro incipientibus compendium, & prima quaſi principia ſcribere intendi, in opus grande ingenio juvenum minime accommodatum deſierim.

At veniam me meriturum ſpero, ſi rationes totius operis dedero. Nam ubi ſemel ſcriptionem meam non juvenibus duntaxat, ſed etiam Viris quibusdam Catholicis eruditione conſpicuis haud diſplicere intellexeram, neſcio quæ cupido me inceſſit (pace mea ambitionis ſtimulos quis dicat) etiam illis placendi, ſerviendi, & tales materias ſeligendi, & tractandi, quas illorum palatui haud ingratas fore, optime noveram, a Scriptoribus vero Catholicis rarius tractari in dies querimur. Dein cum in legendis libris Doctorum Proteſtanticorum magis præcipuorum, quorum eruditionem immenſam (nam etiam in hoſte laudanda eſt virtus) & impigram in conſcribendis libris induſtriam ſuſpicit orbis literarius univerſus, quosque jam promiſcue legere ferme nemo juvenum, quidquid contradicat Eccleſia Catholica, piaculo ſibi ducit, aſſiduus fuerim non in alium finem, niſi ut eorum principia genuina mihi magis magisque perſpecta redderem, ne, quod multis Catholicis accidiſſe ſcio, in doctrinis illorum impugnandis & me & lectorem deciperem, in his vero præter principia & dogmata, quæ ſovent, noſtræ Religioni ſummopere nociva, miram dicendi, & hac arte ſuas doctrinas proponendi, exornandi, & econtra Religionis noſtræ dogmata ridicula reddendi vim deprehenderim, qua non ſimplices duntaxat, ſed etiam doctos, juvenes præcipue in omnes novitates amplectendas aliunde pronos in errores induci ab experientia habemus, me opus

bonum operaturum exiſtimavi, ſi, ut periculo ſeductionis quodammodo contravenirem, illorum principia & dogmata in lucem protraherem, & alia opponerem. Aliud quoque hominum genus, quos *Politicos* appellare ſolent, me mirum in modum, & in vias, quo ego ire non volebam, diſtraxit. Pro boni Superi! quæ hodie vivimus tempora, periculoſa, Religioni Catholicæ & Chriſtianæ extremam ruinam minitantia, quæ hodie nutriuntur principia apud Magnates in aulis Principum, in tribunalibus judicum ſæcularium, in conventibus Virorum Nobilium, & Doctorum, ferme dixiſſem, etiam muliercularum, quæ jam paſſim doctæ videri volentes de Rebus Religionis & Eccleſiæ diſputare non verentur, & veluti de cathedra loquentes audiri volunt contra monitum & præceptum Apoſtoli, qui illas in Eccleſia tacere juſſit (f). Et unde hoc? niſi quod ſimiles libros eleganter quidem ſcriptos, ſed occulto veneno plenos incaute legant, cæterum inter album & nigrum diſtinguere non valentes & principiis chriſtianæ Religionis non ſufficienter imbuti falſa principia imbibant, adoptent, & incautiſſime applicent. Avertant Superi, ne Religio chriſtiana in Naturaliſmum, Libertiniſmum, Indifferentiſmum, aut omnino Deiſmum degeneret, quod merito pertimeſcendum, dum jam paſſim Religio chriſtiana ad aniles amandatur fabulas, dogmata plura in dubium vocantur, Clerus uterque vilipenditur, jura Eccleſiæ, Pontificum aliorumque Præſulum ſupprimuntur, antiqua Imperatorum, Regum & Principum pietas habetur tanquam ſuperſtitio aut omnino fatuitas & ſtupiditas, Reſpublica politica ad ſolium elevatur, & econtra Religio & Eccleſia tanquam humilis & abjecta famula ſervire jubetur.

Ex Doctoribus proteſtanticis, quorum libros mihi uſum præbuiſſe præſtantiſſimum libere fateor, præter plures alios ſelegi Boehmerum, Moshemium & Pfaffium, Viros inter ſuos facile principes, omnigena eruditione ſumme conſpicuos, quorum doctrinas hinc inde caſtigandas aſſumpſi, hinc inde plurimum dilaudavi, Moshemii præcipue

(f) 1. Cor. 14. v. 34.

præcipue Authoris ſane plurimum modeſti, & inter ſuos æquioris, propius non nihil ad principia Catholica accedentis, Chriſtianiſmum contra non paucos ex ſuis pro aris & focis defendentis, Eccleſiæ ſuæ nævos, & Religionis ſuæ ſequacium doctrinas aut falſas, aut periculoſas ingenue & ingenua animi magnanimitate perſtringentis, quem proin, cum adhuc in vivis ageret, ſui Collegæ haud immerito ſuſpexerunt, & in tantum reſpexerunt, ut juſto timore perculſi Naturaliſmum, & alia principia ad Deiſmum inducentia ſaltem publice propalare non auderent. Egi cum his ſecundum leges chriſtianæ lenitatis, manſuetudinis & charitatis, excepto, ſi ipſi limites omnis modeſtiæ perruperunt. Atque in hoc præcipue peccavit Pfaffius, Vir ultra modum vehemens, & in Catholicos injurioſus præſertim in libello, quem inſcripſit: **Academiſche Reden über das allgemeine teutſche Kirchen-Recht der Proteſtanten**, in quibus nihil aliud intendiſſe videtur, quam ut Religionem Catholicam orbi univerſo redderet ridiculam, abominabilem, & plusquam Atheiſmum deteſtabilem. Quapropter mihi quoque ignoſcendum, ſi etiam ego nonnunquam vehementius exarſi, & jure retorſionis eſſe utendum ratus ſtylo vehementiori contra ipſum uſus ſum.

Cæterum in hac mea ſcriptione ſtudui claritati, quantum potui, & ideo ſtylo protractiori plerumque uſus ſum, communi tamen, non affectato, licet vehementiori nonnunquam, ubi opus videbatur, & magis oratorio, quam hiſtorico, quia malui in leges ſtyli hiſtorici peccare, quam humili dicendi modo veritatem quodammodo occultare, aut ſupprimere. Quod ſi hinc inde errores quidam contra ſtylum irrepſerint: illos quomodocunque excuſes, aut pace mea incuriæ, levitati, lapſui memoriæ, aut etiam typo adſcribas, volo.

In eo quoque multum operæ collocavi, ut principia & doctrinas Religionis noſtræ Adverſariorum in minimis quibusve, ſi tamen in materia Religionis minimum quid dici valeat, detegerem, quia experientia doctus ſum, quod Doctiores non infrequenter in illis hallucinentur, aliquoties hoſtem per cuniculos agentem non animadvertant, & non raro contra hoſtem imaginarium in aciem deſcendant.

In rebus fidei, & dogmatum nec latum unguem me a mente & judicio Eccleſiæ receſſiſſe, in doctrinis morum potius ad *rigoriſmum* quam *laxiſſimum* me deflexiſſe exiſtimo. In rebus diſciplinaribus referendis, & dilucidandis ea libertate uſus ſum, quæ ſcriptorem cordatum, veritatis amantem, a ſtudio partium alienum, nemini adulantem, aut placere cupientem, multo minus, quæ ſua ſunt, quærentem decet, & hinc diſciplinam antiquam & novam, diverſa illius fata, mutationes & viciſſitudines ſincere retuli, contra maledicta, & blaſphemias Sectariorum illam defendi, obſcura explicavi, ſed nec nævos hinc inde irrepentes, & aliunde notos diſſimulavi, ſatius eſſe, & honoribus Eccleſiæ magis eſſe conſultum exiſtimans illos ſincere confiteri, & pro modulo excuſare, quam turpiter diſſimulare, & Eccleſiam irriſionibus, & vituperiis Sectariorum exponere. Quæ in Religione certa ſunt, tanquam certa, quæ dubia ſunt, tanquam dubia propoſui, quin unquam auſus fuerim, id quod multi facere audent, dubias fidei doctrinas, quas ne ipſa quidem Eccleſia ut tales proponere, declarare, & definire auſa fuit, tanquam certas proponere, & hac ratione judicium meum judicio univerſalis Eccleſiæ, cui ſoli Chriſtus ſuum lumen adfuturum promiſerat, præponere, optime perſpectum habens, quantum Religioni & Eccleſiæ Catholicæ noceant illi Scriptores, qui zelo indiſcreto zelantes, & neſcio quid obſequii honoribus Dei, & Sanctorum ſe præſtare putantes dogmata fidei multiplicant, & ut talia vendunt, quæ ſufficienter ſecundum regulas ab Eccleſia Catholica uſque nunc obſervatas demonſtrare non poſſunt, quippe quæ in definiendis & declarandis fidei dogmatibus ſolam Scripturam & traditionem ſufficienter demonſtratam inſtar regularum fidei habuit, & ſecuta fuit. Nam demus, vel ſemel tantum Eccleſiæ lumen neceſſarium in declarando dogmate defuiſſe, nonne actum erit de authoritate Eccleſiæ? In defendendis juribus & prærogativis Eccleſiæ, Romanorum Pontificum, cæterorumque Præſulum me, ni vehementer fallor, vindicem imperterritum exhibui, ita tamen, ut, quæ Dei ſunt, Deo, & quæ Cæſaris, Cæſari reddiderim. Contra abuſus, uſurpationes, & invaſiones jurium eccleſiaſti-

corum

corum aliquoties fortaſſis plus, quam oportebat, exarſi, abuſus poteſtatis ſæcularis decenter perſtrinxi, ſed nec exceſſus poteſtatis eccleſiaſticæ & pontificiæ moderate referre, & quantum par erat, excuſare intermiſi. Romano Pontifici *triplicem Primatum honoris, authoritatis, & jurisdictionis* aſſerui, de cæteris illius juribus, prærogativis & præeminentiis non ex omni parte nec certitudine fidei certis ea cum moderatione ſcripſi, ut illius poteſtatem nec ſublimius, quam par erat, extulerim, nec juſto plus depreſſerim, ſed potius regulam ſecutus fuerim, quam tradidit erudititiſſimus Muratorius, cujus opera ubivis celebrantur, & ipſe Benedictus XIV. Romanus Pontifex ſapientiſſimus, & erudititiſſimus plurimi æſtimavit. Hic ergo ſic ſcribit: *uti modeſti, & non vulgaris animi hominisque ſupra ſuos affectus regnantis eſt, nil ſibi arrogare, quam quod in publicæ rei commodum, & in juſtitiæ & veritatis tutelam redundet, ita pii ſimul & prudentis eſt, nihil Eccleſiæ tribuere, quod tributum in ipſius Matris noſtræ contumeliam publicumque incommodum recidat. Ut eidem bene ſerviatur, & conſulatur, non ſolus zelus, non ſola pietas conſulenda eſt, ſed ſcientia quoque, & omnium maxime prudentia* (g).

Novi ego perbene, quam delicatum ſcribendi argumentum ſit ſcribere de poteſtate Pontificis, cum vix ulla ſeu in Theologia, ſeu Jurisprudentia occurrat materia, quæ ex principiis cum Catholicis tum politicis (ſapientes me intelligent) majori cum circumſpectione & cautela tractari debet, ac iſta de poteſtate Pontificis. Quidquid enim in ea ſcripſeris, ſive poteſtatem Pontificis ad ſumma extuleris, ſive eam moderate depreſſeris, cenſuras non effugies. Habebis ex una, qui te ignorantiæ, inſcitiæ aut adulationis, ex altera vero parte, erroris vel omnino hæreſeos accuſabunt, aut certo de hæreſi ſuſpectum habebunt. Haberem ego vel maxime, quod mihi metuerem, niſi mens conſcia recti me ab omni metu liberaret, quippe qui hinc inde non tam meas, quam aliorum ſententias liberius retuli, quasdam vero omnino indeciſas reliqui. Cauſam, ſi quis a me ſcire cupiat? ſciat velim, me iſta neutiquam eo animo, ut authoritati Pontificum, quam humillimo reſpectu revereor, vel in minimo detraherem, ſed eum in

(g) De Ingen. moderat.

in finem ſcripſiſſe, ut Viris non minus trivialia tantum ſcientibus, quam etiam quibusdam Doctioribus, quos tamen ſua tenent præjudicia, ſuarum opinionum tenacioribus, & hinc inde in ferendis cenſuris liberalioribus aliquid ſaltem luminis affunderem, quatenus eo mediante illuminati fierent mitiores, & ſaltem a ſeverioribus cenſuris abſtinerent, ſi ſua præjudicia deponere nolint (h). Ne ingratus eſſem in Patriam, juribus quoque patriis, id eſt Germaniæ, colluſtrandis haud exiguam operam dedi. Quæſo quis non ſuccenſeat nobis Germanis, qui fuimus & ſumus gens prorſus nobiliſſima, & talibus colluſtrata juribus, prærogativis, libertatibus & præeminentiis ad invidiam usque aliorum, qualibus vix ulla alia gaudet natio, & tamen tam parum in Jura noſtra inquirimus, ea quodammodo neglectim habemus, ſed potius Jura noſtra ex aliorum Juribus metimur, peregrinorum amplectentes ſententias, quibus Germaniæ noſtræ jura aut non ſatis perſpecta, aut aliunde odioſa eſſe ſcimus? Eccleſiæ quoque Salisburgenſis honoribus, quæ una ex præcipuis Germaniæ eſſe dignoſcitur, & cui me ex multiplici titulo obſtrictum eſſe fateor, ex debito pietatis & gratitudinis conſulendum, & hinc illius juribus & prærogativis exornandis meam qualemcunque operam conſecrandam eſſe exiſtimavi. Materias hinc inde immiſcui ex aliqua parte theologicas, ut plurimum tamen hiſtoricas. Fuſius præſertim egi de *liturgiis*, & *de cultu SS. Martyrum.* Videbatur mihi hæc materia ſingulariter utilis, a ſcopo meo minime aliena, & diſcuſſione digna ex rationibus ſingularibus, quas adducere non eſſe neceſſarium duco. Præſertim in dilucidandis quæſtionibus *Juris publici*

(h) Lector non gravetur legere ea, quæ Tom. I. Quæſt. 4. cap. 4. §. 4. ſcripſimus, ubi inter alia ſequentia leget: *fatemur rem eſſe periculoſam quidquam authoritati Pontificis detrahere: imo vero Eccleſiæ vel maxime intereſſe, ut illius authoritas ſalva & incolumis conſervetur: Verum inſimul in id eſſe incumbendum novimus, ne illam ultra ſuos limites extendamus, nec ſublimemus, incerta pro certis venditemus, & talia privilegia eidem aſſeramus, quæ convincenter probare non poſſumus; ſed cogitemus magis dari zelum exuberantem, zelum, ut ait Apoſtolus, non ſecundum ſcientiam, errandi periculo obnoxium. Aut enim authoritatem Pontificis nimium deprimimus? & Eccleſiæ noſtræ ſummopere nocemus. Aut illam cum exceſſu extollimus? & facile contingere poteſt, ut ſi illud privilegium vel in unico caſu defuiſſe monſtrari valeat, tota Eccleſiæ authoritas vacillet, aut omnino corruat, ut adeo prudens dubium remaneat, plusne noceant Eccleſiæ moderati defenſores poteſtatis Pontificiæ, quam illius exceſſivi vindices.*

publici germanici fuſior fui, in quibus exponendis Proteſtantes ferme omne ingenii ſui robur, vires, nervosque conſumunt, ut vix ulla ſit ars & ſcientia, quæ ab ipſis tanto excolitur ſtudio, quanto Jurisprudentia publica Germaniæ, dum econtra Scriptores noſtri Catholici, ſi admodum paucos excipias, id quod non ſine rubore ſcribo, illud valde neglectim tractant, & in ultimis habent curis. Quantopere vero Proteſtantes noſtræ Religioni, Eccleſiæ, & Reipublicæ Catholico-politicæ ſuo ſtudio noceant, quis ſufficienter enarrare ſufficiat? quippe qui nobis principia ante hunc diem inaudita obtrudunt, de quibus nemo antea cogitavit & ſomniavit, & leges Imperii Romano-Germanici ſecundum arbitrium prout libuerit, ac unice in favorem ſuum, & in odium Catholicorum interpretantur. Et quoniam ipſorum libri ferme omnium, juvenum æque ac virorum manibus teruntur, quid mirum, ſi odium Religionis Catholicæ concipiant, principia falſa imbibant, hæc cum detrimento Religionis applicent, eaque demum faciant communia?

En! rationes genuinas & ſinceras ſcriptionis meæ, quas fuſius deducendas exiſtimavi, ut lectorem mihi redderem benevolum, contra aliorum detrectationes me obarmarem, clypeo neceſſariæ defenſionis contra Pſeudo-Criticorum criſes ineptas & exceſſivas me præmunirem, exceſſive timentium, etiam ubi non eſt timor, timorem mitigarem, ſcrupuloſorum levidenſibus ſcrupulis quodammodo contravenirem, & conſulerem, me vero Virum ſincerum & genuinum, qui lucem publicam non abhorreſcit, probarem.

Tu ergo, Lector benevole, labores & conatus meos æqui bonique habeto. In his, ſi quid boni legeris, illud totum & tantum Deo adſcribe, quem mihi ſua aſſiſtrici gratia ſemper adfuiſſe fateor, defectus vero omnes, quos legeris (leges autem plurimos) mihi adſcribe, eos benigne excuſa, Deum pro me ora, & cogita, Authori non raro tempus, aliquoties etiam libros neceſſarios defuiſſe. Quare, ſi quæ in iis legeris, quæ vel non ſat clare vel pure dicta ſunt, in benigniorem partem ea accipe. Cæterum hanc meam levidenſem non omnibus æque placituram (& quis eſt ille, qui omnibus placeat?) facile prævideo, quorum criteria non moror, non enim placendi ſtudio, ſed in utilitatem legentium, quæ ſcripſi, ſcripſi. Iterum vale.

CON-

CONSPECTUS
TOTIUS OPERIS.

TOMUS I.

QUÆSTIO I.

De Jure eccleſiaſtico in genere, illius nomine, definitione, diviſione, objecto, fine, præcognitis, neceſſitate, utilitate, præſtantia, ortu & progreſſu, fontibus originariis, & collectionibus tam generalibus, quam ſpecialibus.

CAP. I. De nomine, definitione, objecto, & fine Juris eccleſiaſtici.

CAP. II. De præcognitis Juris eccleſiaſtici.

CAP. III. De neceſſitate, utilitate, præſtantia, & amplitudine Juris eccleſiaſtici.

CAP. IV. De ortu, & progreſſu Juris eccleſiaſtici.

CAP. V. De principiis ſeu fontibus Juris eccleſiaſtici in genere.

CAP. VI. De collectionibus Juris eccleſiaſtici tam generalibus, quam ſpecialibus in genere.

CAP. VII. De ortu, fundamento, fontibus originariis, & incrementis Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici.

QUÆSTIO II

De fontibus originariis Juris eccleſiaſtici, Scriptura, & Traditione.

CAP. I. De S. Scriptura.

CAP. II. De authoritate & uſu S. Scripturæ in Jure eccleſiaſtico.

CAP. III. De Traditione.

QUÆSTIO III.

De Conciliis generalibus, & particularibus.

CAP. I. De nomine, natura, & origine Conciliorum.

CAP. II. De requiſitis Conciliorum.

CAP. III. De præliminaribus, modo procedendi, authoritate, & infallibilitate Conciliorum.

CAP. IV. De ſtudio, & recta intelligentiæ Conciliorum.

CAP. V. De Conciliis particularibus.

QUÆSTIO IV.

De ſummo Pontifice, & ſanctis Patribus.

CAP. I. De nomine, definitione, & titulis honorificis Pontificis, origine Pontificatus, & præcipue Primatus Romani.

CAP. II. De authoritate, & poteſtate Pontificis, qua Primatis, & Legislatoris.

CAP. III. De poteſtate Pontificis, qua Judicis, & Doctoris.
CAP. IV. De erroribus Pontificum.
CAP. V. De notitia, & ſtudio hiſtoriæ Romanorum Pontificum.
CAP. VI. De ſanctis Patribus, eorumque auctoritate.

TOMUS II.

QUÆSTIO I.

De collectionibus Juris eccleſiaſtici antiqui.
CAP. I. De collectione Juris eccleſiaſtici In genere, & in ſpecie usque ad Sæculum quartum.
CAP. II. De liturgiis, collectionibus, libris liturgicis, & ſtudio liturgico.
CAP. III. De canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis, & libris Dionyſianis.
CAP. IV. De collectionibus Juris eccleſiaſtici a Sæculo quarto usque ad collectionem Photianam in Orientali, & Iſidorianam in Eccleſia Occidentali.
CAP. V. De collectionibus Juris eccleſiaſtici a Sæculo octavo, & nono usque ad Sæculum decimum quartum in Eccleſia Orientali, & Sæculum duodecimum, ſeu Decretum Gratiani in Eccleſia Occidentali.

QUÆSTIO II

De collectionibus Juris eccleſiaſtici novi.
CAP. I. De auſpiciis Juris novi potiſſimum ex erectione ſcholarum, reformatione, & ratione ſtudiorum.
CAP. II. De Decreto Gratiani.
CAP. III. De collectionibus Decretalium, potiſſimum Gregorii IX.
CAP. IV. De reliquis collectionibus in corpore Juris clauſis.

QUÆSTIO III.

De collectionibus Juris eccleſiaſtici noviſſimi.
CAP. I. De collectionibus Juris eccleſiaſtici noviſſimi in genere, earum origine, & incrementis.
CAP. II. De Curia romana, & diverſis tribunalibus Pontificiis.
CAP. III. De Bullis, Brevibus, ſignaturis Pontificiis, Bullario, & Regulis cancellariæ.
CAP. IV. De Congregationibus Cardinalium in genere, & Congregatione S. Officii ſeu inquiſitionis in ſpecie.
CAP. V. De Congregatione Indicis.
CAP. VI. De Congregationibus ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium, nec non ſacrorum rituum, & aliis quibusdam.
CAP. VII. De Congregatione interpretum S. Concilii Tridentini.

CAP. VIII. De Rota Romana.

CAP. IX. De libris & collectionibus Juris eccleſiaſtico ritualis.

CAP. X. De collectionibus Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici.

QUÆSTIO IV.

De authoritate, uſu, & ſtudio Juris eccleſiaſtici.

CAP. I. De authoritate, & uſu Juris eccleſiaſtici.

CAP. II. De ſtudio Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ quoad methodum docendi.

CAP. III. De præcognitis, & ſubſidiis Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ, ſpecialiter de litteris, ſeu ſcientiis humanioribus.

CAP. IV. De diſciplinis Philoſophicis, velut altero Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ ſubſidio.

CAP. V. De hiſtoria, præcipue eccleſiaſtica, ac litteraria ad Jurisprudentiam eccleſiaſticam neceſſaria.

CAP. VI. De ſtudio antiquitatum.

CAP. VII. De ſtudio Theologiæ, & Jurisprudentiæ cujuscunque ad Jurisprudentiam eccleſiaſticam utili, & neceſſario.

CAP. VIII. De ſtudio Jurisprudentiæ eccleſiaſticæ potiſſimum quoad methodum ſtudendi.

TOMUS III.

QUÆSTIO I.

De Jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ antiquiori usque ad Carolum IV.

CAP. I. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum a tempore nativitatis Chriſti usque ad Conſtantinum Magnum.

CAP. II. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum a tempore Conſtantini M. usque ad initium Monarchiæ Francicæ.

CAP. III. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum ab origine Monarchiæ Francicæ usque ad Imperatores Germaniæ.

CAP. IV. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum ſub Patriciatu & Advocatia Regum, Imperatorum, aliorumque Advocatorum.

CAP. V. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum a tempore Imperatorum germanicorum usque ad Carolum IV.

CAP. VI. De Jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ.

QUÆSTIO II.

De Jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ ab ævo Caroli IV. usque ad noſtra tempora.

CAP. I. De ſtatu Eccleſiarum Germanicarum a Carolo IV. usque ad Carolum V.

CAP. II

CAP. II. De ſtatu Eccleſiarum germanicarum a tempore Caroli V. usque ad noſtra tempora.

CAP. III. De Jure eccleſiaſtico noviori particulari Eccleſiarum germanicarum, in ſpecie de Concordatis Germaniæ.

CAP. IV. De transactione Paſſavienſi, & Pace religioſa.

CAP. V. De actis potiſſimum in negotio Religionis a tempore Pacis religioſæ, usque ad Pacem Weſtphalicam.

CAP. VI. De Pace Weſtphalica.

CAP. VII. De Jure reformandi, ſimultanei, & Jurisdictionis epiſcopalis ſecundum ſyſtema commune, & antiquum.

CAP. VIII. De Jure reformandi, ſimultanei, & Jurisdictionis epiſcopalis ſecundum ſyſtema novum.

CAP. IX. De aliis controverſiis ex pace Weſtphalica natis, ſpecialiter de Jure primarum precum.

TOMUS IV.

QUÆSTIO I.

De Statu in genere, & ſtatu Eccleſiæ in ſpecie.

CAP. I. De ſtatu in genere, illiusque diviſione.

CAP. II. De origine, ſtructura, & fine Civitatis, ſeu Reipublicæ.

CAP. III. De ſtatu Eccleſiæ, & diverſo ſyſtemate Catholicorum, & Proteſtantium.

CAP. IV. Syſtema, & dogma Catholicum contra Proteſtantes defenditur.

QUÆSTIO II.

De Hierarchia eccleſiaſtica.

CAP. I. Quid, & quotuplex ſit Hierarchia eccleſiaſtica?

CAP. II. De Prælatis majoribus Hierarchiæ eccleſiaſticæ.

CAP. III. De Capitulis eccleſiarum cathedralium.

CAP. IV. De Prælatis Epiſcopo inferioribus, & cæteris Clericis.

CAP. V. An, & quæ in Eccleſiis Proteſtanticis ſit Hierarchia?

QUÆSTIO III.

De libertatibus Eccleſiarum ita dictis, ſeu potius de prærogativis earum, præſertim Germaniæ.

CAP. I. De libertatibus Eccleſiarum in genere.

CAP. II. De libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

CAP. III. De libertatibus Eccleſiarum germanicarum, earumque fundamentis.

CAP. IV. Quæ Eccleſiarum germanicarum ſint libertates, ſeu prærogativæ?

CAP. V. De libertatum eccleſiaſticarum Germaniæ moderato uſu, & defenſione.

QUÆSTIO IV.

De Prærogativis, & Juribus ſpecialibus Eccleſiæ Metropolitico-Salisburgenſis.

CAP. I De Prærogativis Eccleſiæ Salisburgenſi, illiusque Præſuli, qua Archi-Præſuli in Statu eccleſiaſtico competentibus.

CAP. II. De Prærogativis Archi-Epiſcopo Salisburgenſi qua Legato nato, & Primati Germaniæ, vel alias in Statu eccleſiaſtico propriis.

CAP. III. De Prærogativis Eccleſiæ Salisburgenſis, illiusque Archi-Præſulum in Statu politico.

CAP. IV. De meritis Eccleſiæ Salisburgenſis, illiusque Archi-Præſulum.

QUÆSTIO I.

QUÆSTIO I.

DE

JURE ECCLESIASTICO IN GENERE, ILLIUS NOMINE, DEFINITIONE, DIVISIONE, OBJECTO, FINE, PRÆCOGNITIS, NECESSITATE, UTILITATE, PRÆSTANTIA, ORTU ET PROGRESSU, FONTIBUS ORIGINARIIS, ET COLLECTIONIBUS TAM GENERALIBUS QUAM SPECIALIBUS.

Cum uſu receptum ſit, ut Magiſtri artium & ſcientiarum pene omnium, cum primum prima ſuæ artis & ſcientiæ elementa explicare aggrediuntur, mox & ante omnia in ipſum nomen, naturam, diviſionem, objectum, finem, originem & prima quaſi incunabula, progreſſum, fontes & incrementa illius quam accuratiſſime inquirant, nos eorum veſtigiis inſiſtere volentes in prima noſtra Quæſtione de his omnibus per ſeptem Capita agere conſtituimus, ne Candidati Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ, quibus hæc ſcribimus, in hiſtoria ſuæ artis ac ſcientiæ, quod nemini non turpiſſimum videri deberet, prorſus hoſpites rudes & peregrini inveniantur.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.
De nomine, definitione, objecto & fine Juris Eccleſiaſtici.

CAPUT II.
De Præcognitis Juris Eccleſiaſtici.

CAPUT III.
De neceſſitate, utilitate, præſtantia & amplitudine Juris Eccleſiaſtici.

CAPUT IV.
De ortu & progreſſu Juris Eccleſiaſtici.

CAPUT V.
De principiis ſeu fontibus Juris Eccleſiaſtici in genere.

CAPUT VI.
De Collectionibus Juris Eccleſiaſtici tam generalibus quam ſpecialibus in genere.

CAPUT VII.
De Ortu, fundamento, fontibus originariis & incrementis Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici.

Digitized by Google

CAPUT I.

De nomine, definitione, objecto & fine Juris Eccleſiaſtici.

§. I. *Explicantur varia nomina Juris noſtri.* II. *Quæ aliter ab Acatholicis exponuntur.* III. *Ipſum nomen Juris Eccleſiaſtici a prima ſua origine exponitur.* IV. *Definitur Jus Eccleſiaſticum.* V. *Ejus objectum & finis,* & VI. *Diviſiones explicantur.*

§. I.

Ab ovo, ut ajunt, incipere volentes in ipſo quaſi limine ſubſiſtimus, quo potiſſimum nomine & prædicato proprio, diſtinctivo, & characteriſtico *jus*, cujus naturam diſcutiendam aſſumimus, appellemus. Plura namque paſſim apud Noſtrates inſtar quaſi ſynonymorum, atque ex iis tria magis uſitata, communiora ac celebriora, duo vero minus uſitata minusve communia illius circumferuntur nomina, quorum aliqua a ſcriptoribus Acatholicis in alio longe ſenſu accipiuntur, quædam ſimpliciter indignanti veluti ſtomacho rejiciuntur, & e ſcholis ac libris eorum proſcribuntur. Apud Noſtrates Jus noſtrum paſſim audit primo *Jus ſacrum* vel *a materia* (liceat more ſcholarum loqui) quam perſonæ & res divino cultui in Eccleſia ſingulariter dicatæ (a) conſtituunt, vel *a fine ſacro*, ad quem omnes ſuos Canones, & his mediantibus fidelium actiones ultimato dirigit. (b) Secundo *Jus Divinum* ſive quod quædam ex Divinis Literis deprompta contineat (c), aut certe ex revelatis legitime deducat, ſive quod illius Canones & a Conciliis inſtinctu Spiritus Sancti, & a ſummis Pontificibus vicaria a Chriſto Domino accepta poteſtate (d) conditi eſſe credantur.

Nomina Juris Eccleſiaſtici potiſſimum ſunt quinque.

Jus ſacrum.

Divinum.

(a) Perſonæ ſacræ in Eccleſia noſtra ſunt Clerici, de quibus agitur ad tit. de vita & honeſt. Cleric. res ſacræ ſunt multiplicis generis, de quibus ad tit. de rebus Eccleſ. alien.

(b) Vid. infra ad §. VI.

(c) Cap. 2. de privileg. in 6.

(d) Emanuel Gonzalez in apparat. de orig. J. C. *Jus hoc dicitur Divinum tum quia*

Canonicum. tur. Tertio *Jus Canonicum* a ſacris Conciliorum Canonibus veluti regulis (Canon enim dicitur a græca voce Κανὼν (e), quod idem eſt ac regula) ad recte vivendum, ordinandumque Eccleſiæ ſtatum inſtitutis. ***Pontificium.*** Quarto *Jus Pontificium* a Decretis, Reſcriptis & Epiſtolis Pontificum ſive in Corpus Juris authoritate publica relatis, ſive conſuetudine uſuque receptis. (f) ***Eccleſiaſticum.*** Quinto *Jus Eccleſiaſticum* ab Eccleſia, eo quod circa regimen, ſtatum & leges ab Eccleſia latas, receptasque totum quantum occupetur. ***Explicatur Conceptus Eccleſiæ.*** Dictum eſt *ab Eccleſia*, quæ vox origine ſua Græca a verbo græco ἐκκαλέω *evoco* dicta eſt, ut idem ſit, ac quædam *evocatio.* Primitus quidem illius uſus fuit in Democratiis. (g) Apud Græcos quidem *Conventum* ſeu *Congregationem populi præconis voce Reipublicæ cauſa evocati*, poſtea vero apud Scriptores Eccleſiaſticos *cœtum* & *conventum qualemcunque*, & demum preſſius accepta *univerſam fidelium multitudinem* ſeu *cœtum Sanctorum*, vel, ut cum Cypriano loquamur (h) *plebem Sacerdoti unitam* ſignificaverat, hodie tandem apud Catholicos omnes prædefiniente Bellarmino (i) *cœtum fidelium ſub uno Capite Chriſto in unione fidei & participatione Sacramentorum ſub regimine legitimorum Paſtorum, Romani maxime Pontificis congregatorum* ſignificat. Hanc definitionem enucleatius expendunt noſtri Theologi, indeque deducunt, ad hoc, ut quis ſit membrum Eccleſiæ requiri primo profeſſionem

---

quia ex ipſis S. Literis, tanquam ex veritatis Divinæ fontibus ſacri Canones dimanarunt, tum quia authoritate & poteſtate a Chriſto Domino conceſſa, a Vicario ejus, & ejus nomine ſtatuuntur.

(e) Vid. §. III. (f) Vid. §. ſeq.

(g) Ita Bœhmerus de Jure Paroch. Sect. I. cap. 2. §. 2. ubi in originem hujus vocis ideo accuratius inquiſivit, ut erroneam ſuam opinionem de conceptu Eccleſiæ, quam ad inſtar Collegii vel Societatis æqualis habet, eo poſſit facilius defendere.

(h) Lib. 4. epiſt. 19. *Eſt Eccleſia plebs Sacerdoti unita, & paſtori ſuo grex adhærens, unde ſcire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſt.*

(i) Tom. II. l. 3. c. 2. hæc definitio opponitur erroribus hæreticorum & antiquiorum e. g. Novatianorum, Donatiſtarum ac Pelagianorum, Eccleſiam cœtum Juſtorum tantum, noviorum e. g. Wicleffiſtarum & Huſſitarum cœtum Prædeſtinatorum tantum eſſe volentium, & præcipue noviſſimorum ſectariorum Puffendorffii, Bœhmeri, Huberi ad infima ſubſellia ſimplicis collegii illam detrudentium.

Digitized by Google

nem fidei Chriſtianæ, quæ debet eſſe una unitate doctrinæ. . Secundo participationem eorundem Sacramentorum, ac tertio ſubjectionem & obedientiam legitimis Paſtoribus exhibendam. Ita nos Catholici.

§. II.

Triplex Jus Eccleſiaſticum diſtinguunt Proteſtantes.

Paulo aliter Acatholici triplex Jus Eccleſiaſticum diſtinguentes nempe *proprie ſic dictum* conſtans ex Canonibus Conciliorum, *Pontificium* ex epiſtolis decretisque Pontificum conflatum, & *Eccleſiaſticum* regimen Eccleſiæ, legesque hodie ab Eccleſia receptas complectens (k), qui, etſi Jus noſtrum dicere *ſacrum* vel *ſanctum* non omnino abhorreant, in eo facile nobiscum conſentientes, quod finem ſacrum reſpiciat, & ideo *ſacrum*, & non pauca ex S. Literis depromat, & propterea *ſanctum* dici mereatur, attamen *ſacrum* illud dicere ob perſonas vel res ſanctas, *ſanctum* vocare ob Canones Conciliorum & Decreta Pontificum, quaſi hæc ex Vicaria Chriſti poteſtate Pontifici conceſſa, illi inſpirante Spiritu S. forent conditi, modis, quibus poſſunt, perhorreſcunt, haud ignari, quam difficillime hæc cum ſuis principiis conciliari valeant, quippe qui inter *Laicos* & *Clericos* nullum ex jure Divino diſcrimen agnoſcunt (l), res quamplurimas, quas veluti *ſacras* habemus, ex harum numero eliminant (m), nullum in ſacris Eccleſiæ Canonibus inſtinctum Spiritus Sancti, multo minus in Decretis Pontificum Vicariam Chriſti authoritatem ſuſpiciunt. (n)

Equidem paſſim apud Scriptores Acatholicos (o) *Jus* noſtrum audit

(k) *Jus Canonicum triplex eſt vel proprie ſic dictum, vel Pontificium, vel Eccleſiaſticum*, ait Gotthelf Struvius in hiſt. Juris cap. 7. §. 1. & hoc ipſum triplex Jus ferme iisdem verbis explicat, quibus nos ſupra.

(l) Eſt hæc perpetua doctrina Puffendorfii de habit. relig. Huberi de jure civit. Bœhmeri in Jure Eccleſ. maxime ad tit. de M. & O. & in diſſert. Jur. Eccleſ. diſſert. 7.

(m) Vide idem Bœhmerus ad tit. de reb. Eccl. alien. & de ſimon. & alibi paſſim.

(n) Infallibilitatem Eccleſiæ, & præcipue Pontificum negari ab Acatholicis aliunde palam eſt, quare ſupra citatus Struvius expendens nomina & definitiones Juris Canonici inquit: *Verum demonſtrent Pontificii, omnes Canones gratia Spiritus Sancti fuiſſe confectos, & Vicariam Papæ fuiſſe conceſſam authoritatem*, quaſi vero infallibilitas Eccleſiæ a noſtris non fuiſſet centies demonſtrata.

(o) Gundling in annotat. ad Jus Canonicum Corvini ad lib. I. tit. 1. §. 2. ubi ſenſum in appellatione Juris Eccleſiaſtici contentum fuſe exponit. Bœhmerus etiam ſuum Jus inſcripſit *Jus Eccleſiaſticum*.

In quo ſenſu Proteſtantes Jus vocent Eccleſiaſticum.

dit *Eccleſiaſticum*, in alio tamen longe ſenſu minime Catholico, utpote qui in Eccleſia Chriſti nullam prorſus Hierarchiam aut Rempublicam a politica ſeparatam, & poteſtate legislativa inſtructam, ſed meriſſimam ſocietatem æqualem ſimplici nudave dirigendi vi præditam agnoſcunt, quam appellationem haud improvide, ſed ea potiſſimum ex ratione ab ipſis electam exiſtimamus, quod ad explicandum ſtabiliendumque famoſum ſyſtema de Eccleſia tanquam *Collegio ſimplici ac ſocietate æquali, & de jure Principum in ſacra* ipſis videatur eſſe longe aptiſſima; quodcunque enim aliud nomen ſeu Juris Canonici ſeu Pontificii adoptent, videri poſſent, ſi non Pontifices, ſaltem Patres in Conciliis congregatos in participium *Juris in ſacra* quodammodo admittere; cum enim appellatio *Juris Eccleſiaſtici* ex naturali ſua ſignificatione equidem ſupra *Eccleſiam*, a qua dicitur (quidquid nomine Eccleſiæ intelligas) neutiquam vero ad authores ſuos, penes quos deberet eſſe poteſtas condendi Jus Eccleſiaſticum, nec ex naturali nec Juridica uſu & conſuetudine obtenta ſignificatione appellet, ſed magis ab his abſtrahat (niſi fortaſſis ſolos Novatores, qui hanc poteſtatem ſuis Principibus vindicare contendunt, veluti Dictatores audire velimus) & econtra Jus Canonicum ex ipſorum confeſſione a Canonibus dicatur (p), quorum nomine juxta antiquiſſimum eumque communem Eccleſiaſticorum Scriptorum loquendi & ſcribendi modum veniunt Conſtitutiones Patrum coadunatis ſententiis in Conciliis factæ, ſatius ducunt jus ſuum dicere *Eccleſiaſticum*, ne cum Catholicis, a quorum non tantum principiis & doctrinis, verum etiam loquendi modis ex quacunque cauſa ſuſpectis volunt eſſe remotiſſimi, catholice ſentire, Patribus vero, quorum erogatis ſuffragiis Canones Conciliorum ſunt conditi, jus quodcunque condendi leges concedere videantur. Equidem haud nos latet, Patres in Conciliis congregatos non inſtar Legislatorum, ſed Doctorum, Canones ab ipſis factos non legum ſed regularum inſtar ab ipſis haberi (q): ſed hoc ipſum aſſerere, & hujus aſſerti convincentes dare rationes quanti moliminis res ſit, quis non videat? Interim appellationem Juris Canonici non tantum non dedignantur, ſed etiam haud pauci illorum, ſi non plerique, libros, quos typis mandant, paſſim inſcribunt Jus Canonicum. (r) Neque

Vocant etiam Jus Canonicum ſed in alio ſenſu.

(p) Zieglerus in Diſſert. de orig. Juris Canon. §.5.

(q) Bœhmer. ad tit. de M. & O. & in Jure Paroch. Sect. I. cap. 2. §. 29. Puſſendorfius de habitu Relig. paſſim.

(r) Ziegler ſuum Commentarium in 4. lib. Lancelloti, & Schilterus ſuum Tractatum inſcribunt: *Inſtitutiones Juris Canonici.*

Neque id mirum videri debet, cum etiam ipſi antiquis Eccleſiæ præcipue vero quatuor primorum Conciliorum Canonibus reverentiam eſſe habendam clamitent, & a ſe haberi glorientur. Sed nec ab hoc modo loquendi, ſcribendique fraus omnis abeſt; nam ex eo, quod Eccleſia ſua Decreta inſcripſerit *Canones*, contra Eccleſiam arguunt, nomen Canonis, quod idem eſt, ac regula, in vicem legis provide fuiſſe ſubrogatum ab Eccleſia, ut oſtenderet, quam longe ab omni dominandi libidine (s) (fas ſit ipſorum verba utut piarum aurium offenſiva admetiri) abſit, minus vero ullam ferendi leges poteſtatem ſibi arroget. Porro autem nomen Juris Pontificii diris omnibus devovent, affectata illud Pontificis niti authoritate, merumque illius redolere faſtum contendentes. (t) Quidquid tamen de his ſit, quæ quaſi præliminariter & fuſius, non propterea, quaſi his & ſimilibus multum roboris, quippe quæ toties a Noſtratibus (u) confutata ſunt, ineſſe crederemus, ſed eum in finem adducere libuit, ut diſcipuli noſtri ſciant, quid Adverſarii dicant, ne andabatarum more, ut ajunt, in hoſtem non viſum, aut incognitum ruant. Jam propius ad ſcopum noſtrum accedamus, & prætermiſſis cæteris nomen *Juris Canonici* ad accuratiorem trutinam vocemus, quod nec ipſis Acatholicis, quamvis hodie ſaltem frequentius *Jus Eccleſiaſticum* dicere conſueverint, diſplicet, nobis vero diſplicere non poteſt, utpote qui ipſa etiam Decreta Pontificum in Corpore Juris clauſa inſtar Canonum (undecunque ſuam authoritatem ſive ab Authoribus ſive ab uſu & receptione habeant, de quo hic diſputare non vacat) habemus; quare ab ipſo nomine *Juris* exordium ducamus, illudque paulo accuratius ſcrutemur.

Nolunt dicere Pontificium, & quare?

§. III.

Explicatur nomen juris.

Ipſum nomen *Juris* in genere non ſine omni difficultate enucleari poſſe comperimus ob diverſas, quas apud Authores antiquos æque ac novos nactum eſt, ſignificationes, quarum tres ſunt celebriores; accipitur enim vel pro *lege* (x) vel pro *facultate agendi ex jure naturæ reſultante,*

(s) Bœhmer. de Jure Parochiali Sect. I. cap. 3. §. 3.

(t) *Jus Pontificium ex Epiſtolis, & Decretis Pontificum eſt conſtatum, atque adfectata Papæ authoritate nititur*, Struvius in hiſt. Jur. cap. 7. §. 1. crudius loquitur Gundling. in Notis ad lib. I. tit. 1. §. 2. & ſeq.

(u) Theologi & Canoniſtæ paſſim.

(x) Tot. tit. I. de J. N. G. & C.

ſultante, quam Juris-Conſulti *Jus rerum* appellant (y), atque in *Jus in re*, & *ad rem*, quæ primaria & princeps eſt Juris diviſio, dividunt (z) vel pro *Jurisprudentia* (a), ſub qua ſignificatione hic illud accipimus. Haud abſimili, majorique difficultati ſubjacet nomen *Juris Canonici*, ſive de antiquitate ſive de ſignificatu illius diſceptemus. Antiquitatem ſi conſulamus, novior & minus antiqua eſt hæc hujus nominis uſurpatio, utpote quod ante Sæc. XII. vix legitur; antiquitus enim idipſum, quod nunc *Jus Canonicum* appellamus, *Codex* tantum vel *collectio Canonum* dicebatur (b), donec ſucceſſu temporis, probabilius tempore, quo Jus Canonicum cum Jure civili publice doceri in ſcholis, parique haberi honore cœpit, Juris Canonici appellatio fuerit ſubſtituta. Inde aliud nomen hodie vulgare, quo collectionem appellare ſolemus, *Corpus Juris Canonici* ſuum ortum traxit, cujus authorem falſo laudant (c) Iſidorum illum vulgo Mercatorem dictum, qui circa Hadriani I. Pontif. & Caroli M. tempora famoſam ſuam ex dubiis primorum Pontificum epiſtolis conſarcinatam collectionem privata opera confecit, eamque, ſi hisce Scriptoribus fides adhibenda eſt, non jam *Codicem* aut collectionem Canonum, ſed *Corpus Canonum* dicere maluit; nam Eccleſiæ Romanæ potius hæc appellatio adſcribenda videtur, apud quam tanta fuit compilationis Dionyſianæ ad finem Sæc. V. vel ad initium VI. factæ authoritas, ut ea ſemper ſub appellatione corporis Canonum uteretur (d), ex quo facile deinceps appellatio *Corporis Juris Canonici* enaſci potuit.

Quare & unde dicatur Canonicum Jus?

Undenam veniat, quod collectio vocetur Corpus Juris Canonici?

Pluribus & gravioribus difficultatibus ſubeſt nomen *Juris Canonici* ita dicti a *Canone*, quod eſt græcum nomen, & ſua origine idem ſignificat, ac *regula* diſt. 3. cap. 1. & 2. uſu autem & conſuetudine maxime apud Scriptores antiquiores *catalogum*, *codicillum*, ſeu *matriculam*. (e) Dixi primo *a Canone* tanquam regula. Primitus quidem nomen *Canonis* ſolis Architectis erat familiare denotans regulam, ſeu inſtrumentum, quo fabri ad rectitudines expendendas utuntur inde velut a lege quadam linea-

Vocatur a Canone, & hæc ipſa vox explicatur.

(y) Jus eſt *qualitas moralis*, ait Hugo Grotius de jure belli & pacis cap. 1. §. 4. *ex jure naturæ perſonæ competens ad aliquid juſte habendum vel agendum.*

(z) Authores paſſim ad tit. Inſtitut. de R. d.

(a) L. 1. & tot. tit. ff. de Juſtit. & Jure.

(b) Authores paſſim Van Eſpen, Petrus de Marca, Claudius Fleury.

(c) Caſpar. Ziegler in Diſſert. de orig. Jur. Can. §. 6.

(d) Claudius Fleury in Inſtit. Jur. Eccleſ. Part. I. cap. 1. §. 6.

(e) Joannes Caballutius in notit. Eccleſ. pag. 165.

Google

lineamenta artis ac ſtructuræ petentes. Uſus illius ſucceſſive in aliis etiam negotiis invaluit, ita, ut omne rectum quatenus rectum *Canon* diceretur ad dignoſcenda recta ab incurvis. Equidem a principio Eccleſia nomen *Canonis* ſolis ſacris Scripturis adoptavit (f), illarumque libros vocavit canonicos (inde nata eſt diſtinctio inter libros proto- & deutero-canonicos (g): regulas vero fidei in illis contentas dixit *Canones*. Porro ſucceſſive illius uſum extendit ad alia quoque ſcripta & monumenta ſpeciatim ad decreta Conciliorum æque generalium ac particularium (h) tum quod aſſiſtente Spiritu Sancto Eccleſiæ promiſſo fieri, tum quod regulam ſeu normam recte vivendi coadunatis ſententiis, atque erogatis ſuffragiis ſtatutam, quamvis longe inferiorem, ac ſunt regulæ in S. Codicibus contentæ (definitio enim Concilii eſt mera dogmatis in Scriptura revelati declaratio, Scriptura vero ipſum Verbum Divinum & dogma a Deo revelatum, a Spiritu Sancto dictatum, & a S. Scriptoribus ſcriptis conſignatum) fidelibus exhibere crederentur; quam ob rem jam pridem ſancti Patres decreta Conciliorum *ſtatuta Spiritus Sancti*, *regulas ſpiritu Dei inſpirante conditas*, *per Spiritum Sanctum ordinatas* dicere haud dubitarunt (i). Dixi ſecundo *catalogum*, *matriculam*, *codicillum*, cui nempe omnium Eccleſiaſticorum cuidam Eccleſiæ inſervientium nomina erant inſcripta. Inde Clerici de ſportulis & oblationibus Eccleſiarum par-

Canon etiam ſignificat catalogum, matriculam &c.

(f) Van Eſpen in tract. hiſtor. Canon. p. 1. cap. 1. §. 1. *juxta hanc Canonis nomenclaturam propriiſſime ac illuſtriori modo libri ſacri dicuntur canonici; eo quod hi præ omnibus libris & ſcriptis perpetuas, ac infallibiles fidei & morum regulas tradant.*

(g) Proto-Canonici dicuntur, qui ſemper, & ab omnibus in Eccleſiam fuere recepti; deutro-Canonici, de quibus olim dubitabatur e. g. de ſecunda Petri, de Epiſtola Jacobi &c. hanc diviſionem heterodoxi quidam nimis acute notant, quidam ut abſurdam explodunt, quidam mitius agentes velut diviſionem non generis in ſpecies, ſed æquivoci in ſua æquivocata excuſandam potius quam defendendam putant. Vid. Zieglerus loc. cit. ſed de his alibi fuſius.

(h) Van Eſpen loc. cit. dicens: *Quia vero Eccleſiæ ſuæ Chriſtus aſſiſtentiam promiſit Spiritus S., regulas, quas ipſa eodem ſuggerente ſpiritu veritatis pro morum ac vitæ directione præſcripſit, ad ſimilitudinem ſacrorum librorum CANONES dici cœperunt.*

(i) Idem ibid.

participantes *Clerici de Canone*, ſeu *Canonici* appellabantur (k). Illa quoque ſacræ liturgiæ pars, in qua Eccleſia Dei ante & poſt myſticam conſecrationem quorundam Sanctorum nomina recitare, eorumque opem ac præſidium implorare conſuevit, ex priſca hodiedum adhuc recepta conſuetudine *Canon* dicitur, quam inde ſuum ortum habere aſſerunt, vel quia Eccleſia aliqua particularis ſanctum quemdam ſibi ſingulariter vindicatum ſuo Sanctorum indici inſerebat, vel quia ſanctus vita functus, cujus publice colendi & invocandi per Eccleſiam dabatur facultas, *Canoni*, id eſt, Sanctorum *albo* ac *ſyllabo* inſcribebatur (l).

Quare Eccleſia potius utatur nomine Canonis quam legis?

Ex his jam liquet, id quod Scriptores Catholici ſat multi perbene animadvertunt, Eccleſiam noſtram modeſta appellatione provide electa maluiſſe ſua decreta vocare *Canones*, quam *Leges* (m) non ideo, ut perperam volunt heterodoxi, quod ſibi poteſtatem legislativam a Chriſto Domino conceſſam non crederet, ſed quod ipſa lex vel ex ſua natura, vel ex diſpoſitione legis (n) & ipſo velut ſono rigorem quemdam ex eo, quod vim coactivam per impoſitionem pœnarum exercendam ſibi conjunctam habeat, præſeferre videatur, a quo Eccleſia Chriſti exemplum ſui mitiſſimi Magiſtri imitatura quam longiſſime abeſſe, ſuosque fideles tanquam filios excepto, ſi neceſſitas rigorem extorqueret, potius in vinculis charitatis trahere, quam in virga ferrea ad portandum ſuave jugum Chriſti, & exhibendam debitam ſibi obedientiam (aliis alia placet ratio (o) compellere voluit.

§. IV.

(k) Caballutius loco ſupra citato, ubi id multis Conciliorum ac SS. Patrum teſtimoniis evincit. Idem fuſius ex iisdem fontibus demonſtrat Bingham lib. 1. orig. Eccleſ. cap. 5. §. 10.

(l) Caballutius loc. cit. cujus pene omnia verba adduximus.

(m) Van Eſpen, & cum hoc P. Franciſcus Xav. Zech. S. J. in præcog. Jur. Can. tit. II. §. 16.

(n) L. 7. ff. de LL. *Legis virtus eſt imperare, vetare, permittere, punire.* & l. ult. ff. de offic. ejus, cui &c. *Jurisdictio ſine modica coërcitione nulla eſt.*

(o) Author. princip. Jur. Eccleſ. hanc dat rationem: *Ne, ſi leges dicerentur, invidiæ dediſſent fomentum imperantibus* cap. 7. N. I. quæ ratio nobis ſuſpecta videtur.

§. IV.

Jus Canonicum, ſeu *Eccleſiaſticum*, in cujus nomen, & nominis originem hactenus inquiſivimus, accipitur vel pro *Jure ſeu complexu legum*, vel pro *ipſa Juriſprudentia*, in priori ſenſu recte definiveris, quod ſit *jus e Scripturis ſacris, traditionibus, Conciliorum Canonibus, Pontificum decretis, & SS. Patrum doctrinis ad regendam Eccleſiam, informandos mores, atque ſalutem animarum procurandam inſtitutum & collectum*. In poſteriori ſenſu, quod ſit *facultas ſeu ſcientia recte interpretandi Leges Divinas & Eccleſiaſticas, easque ſcite applicandi in bonum Eccleſiæ, ad inſtructionem morum, & animarum ſalutem*. Hanc deſcriptionem non omnibus placere in comperto habemus, quibus Juriſprudentia potius eſt *facultas diſponens ad actus juſtitiæ conformes*: vel, ut aliis loqui placet, *introducens juſtitiam in actiones hominum*. Verum, ſi quod res eſt, dicere liceat, vereor, ne hæc ipſa definitio in regulas juſtitiæ, quæ cuivis ſuum tribuere jubet, impingat, & juriſprudentiæ tribuat, quod Juſtitiæ tribuendum foret. Cuivis ergo in ſua linea, imperante ipſa Juſtitia ſuum eſt dandum, ſuum dandum eſt *virtutibus*, ſuum *legibus*, & *ſcientiis*. Virtutis Juſtitiæ eſt diſponere & inclinare ad actus ſibi conformes, legis vero præſcribere regulas veluti media ad conſequendam virtutem magis idonea, Juriſprudentiæ denique has regulas ſcite explicare, & velut media apte applicare non ex alio certe fine, quam ut Juſtitia inde tanquam finis eveniat. Profecto Juriſconſultum virtute Juſtitiæ debere eſſe inſtructum nemo ſanus negaverit, ſecus fas & nefas miſcebit, attamen illius induſtriæ præcipue fudandum eſſe in explicandis, riteque ad normam Juſtitiæ applicandis legibus facile deprehenderit, quisquis officium Juris-conſulti ad exactiorem trutinam vocaverit. Aliam Juris Eccleſiaſtici deſcriptionem obtrudit Author. princip. Jur. Eccleſ. (p) quando definit, quod ſit *regula juſte ac pie vivendi Chriſtiano præſcripta*, quam deſcriptionem utpote nimis amplam, ſingulis virtutum præceptis communem, Juri Canonico nec in prima, nec in ſecunda acceptione adaptaveris. Quod ſi author Anonymus *jus* ſub ratione legis definiat, facile nos & omnes ſibi conſentientes habebit. Cæterum diſſimulamus, quæ animadverſione in hac definitione digna cenſemus, & fortaſſis alii facili negotio animadvertent.

Quid ſit jus Eccleſiaſticum?

Genuina definitio illius.

Carpitur author Princip. Jur. Eccleſ.

(p) In Introduct. N. I.

§. V.

Objectum juris Eccleſiaſtici.

Ex his ſuapte fluit, objectum Juris noſtri *materiale* (liceat more ſcholaſticorum loqui) eſſe *leges æque Divinas ac Eccleſiaſticas*, *formale* vero *earundem rectam interpretationem & applicationem*, ac denique finem *regimen Eccleſiæ*, *informationem morum*, *eorumque ad præſcripta legum conformitatem*, & ultimato denique *ſalutem Eccleſiæ & animarum* ex recta gubernatione Eccleſiæ ac directione morum reſultantem, ut adeo hic valeat illud: *Salus Eccleſiæ ac fidelium ſuprema lex eſto.*

De finibus Jurisprudentiæ Eccleſ. & Theologiæ Moralis.

Eccleſia in ſuis legibus reſpicit non tantum bonum externum Eccleſiæ, ſed etiam internum animarum.

Inde per ulteriorem ſequelam deduces, qua arte dirigendi ſint fines *Theologiæ Moralis* & *Jurisprudentiæ* Eccleſiaſticæ, atque inter utramque id intercedere diſcriminis, quod prior dirigat actiones *fidelium qua* talium ſecundum regulas virtutum chriſtianarum, poſterior vero quatenus ſunt *cives & membra* Eccleſiæ per canones & leges, illa conſideret *fideles ſingulos*, hæc *univerſam Rempublicam Chriſtianam*, aut *ſingulos relate ad communitatem Eccleſiaſticam*, illa ſalutem animarum internam immediate, hæc mediantibus actionibus externis juxta præſcripta legum ordinate & honeſte exercendis illam mediate reſpiciat; non enim facile perſuaſeris, leges Divinas æque ac humanas unice in bonum Eccleſiæ & fidelium mere externum collimare, ſed e contrario firmiter perſuaſum nobis habemus, quod, quemadmodum Chriſtus Dominus in ſuis ſanctiſſimis legibus ſuæ Eccleſiæ noviter inſtitutæ promulgatis, quas duplicis generis eſſe ſuo loco (q) dicetur, nempe vel pure *divinas* de *Sacramentis* recte utendis, quibus in interiorem gratiam introducimur, vel *morales*, queis rectum gratiæ uſum docemur, ita etiam ipſa Eccleſia in ſuis Canonibus in proprium ſuorumque fidelium bonum conditis non tam tranquillitatem, ſecuritatem ac ordinatiſſimum ordinem mere externum, ſed magis principaliter ſanctitatem morum internam, & ſecuturam inde animarum ſalutem intenderit, ad quam obtinendam ordo externus certis regulis, talibus præcipue, quæ ad cultum Divinum Deo debite ac decenter exhibendum pertinent, determinatus velut medium ad finem unice & præcipue deſervit. Ipſos etiam heterodoxos nobis in hoc aſſentientes habemus (r). De quorum aſſenſu certo certius deſperandum foret, ſi quæ inde contra ipſos validiſſime deduci poſſunt, & ſuo tempore ac loco deducentur, præviderent. Profecto omni ſanæ ratio-

(q) Vid. cap. 2. §. 2.

(r) Bœhmerus in Diſſert. prælim. §. XI.

rationi naturali ac fidei ſupernaturali (demus dictorum prætermiſſis rationibus pluribus aliqualem rationem) repugnat dicere, quod Chriſtus Dominus, qui in hunc mundum venit ut *Redemptor*, ut *Salvator*, & *Author gratiæ*, Eccleſiam ſuam utut viſibilem unice propter bonum viſibile & externum inſtituerit, ipſa vero Eccleſia ſuam poteſtatem qualemcunque, & penes quemcunque reſidentem unice propter finem cuivis Reipublicæ politicæ communem acceperit, & poteſtate accepta unice in præfatum finem uſa fuerit, & usque nunc utatur. Sed de his ſuo loco. Interea

§. VI.

Tranſitum facimus ad varias diviſiones Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ, quas inter principem ferme locum obtinet diviſio, qua illam dividunt in *Jus publicum* & *privatum:* illud dicunt eſſe, quod ordinat ſtatum Eccleſiæ publicum, cauſas univerſitatis, & negotia publica e. g. electiones Epiſcoporum, ordinationes Clericorum, Jurisdictionem Prælatorum Eccleſiaſticorum; iſtud vero, quod cauſas & negotia ſingulorum, atque hominum privatorum dirigit e. g. contractus, teſtamenta, proceſſum judiciarium &c. (s) Iterum dividunt in *ſcriptum*, & non *ſcriptum;* ad prius referuntur S. Scripturæ, Canones Conciliorum, Decreta Pontificum, & doctrinæ Patrum; ad poſterius traditiones, conſuetudines, obſervantiæ, & juxta non nullos conniventiæ. Dividunt ulterius ſeu a cauſa efficiente, ſicut multis placet, ſeu a finibus locorum, in quibus vim obligandi obtinet, in *univerſale*, quod univerſam vel quaſi univerſam Eccleſiam, id eſt plerasque nationes chriſtianas obligat e. g. Decretales Gregorii IX. in Corpore Juris clauſæ; & *particulare*, quod unam alteramve nationem vel omnino Diœceſin ſtringit e. g. Concordatum Gallicum, Concordata Germaniæ, conſuetudines particulares Diœceſium, item Bullæ Pontificiæ, Regulæ Cancellariæ, ſi fortaſſis in quibusdam locis fuerint promulgatæ ac receptæ.

Variæ diviſiones explicantur.

Aliam ſubjungimus diviſionem propter dicenda notatu dignam, qua hodierni Scriptores (t) Jus Canonicum dividunt in *antiquum*, & *novum:* anti-

Dividitur in antiquum, novum & noviſſimum.

(s) Omnia quidem Jura reſpiciunt bonum publicum, non tamen ſemper cauſas Reipublicæ vel univerſitatis publicas, vel perſonas publicas, vel negotia publica, ſed ſæpe perſonas privatas, & negotia privatorum.

(t) Petrus de Marca de concor. Sac. & Imp. lib. 3. cap. 6. & Claudius Fleury in Inſtit. part. 1. cap. 2. §. 8.

antiquum appellant illud, quod in uſu utriusque Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis fuit per VIII. Sæcula usque ad Iſidorum vulgo Mercatorem dictum, & continet collectiones antiquas utriusque Eccleſiæ.

Quare a tempore Iſidori novum jus auſpicemur?

Novum vocant cæteras collectiones a tempore Iſidori usque nunc factas. Rationem novitatis in eo conſtituunt. Ediderat Sæc. VIII. præfatus Iſidorus ſuam collectionem ex ſpuriis, ut volunt, vel ſaltem dubiis antiquorum Pontificum Epiſtolis conflatam, ſtabiliendæ authoritati Pontificiæ peropportunam, Synodorum vero particularium ac Epiſcoporum poteſtati e diametro adverſam, & hoc ipſo ab Eccleſia Romana ingenti cum applauſu receptam, & aliis Eccleſiis invitis etiam velut obtruſam (u); inde enim tum Synodorum particularium usque in illud tempus valde frequentium authoritatem ut plurimum ſuppreſſam, tum Epiſcoporum valde fuiſſe diminutam & econtra poteſtatem Pontificiam mirum in modum excreviſſe, atque in dies majora accepiſſe incrementa queruntur, ut vix non omne condendarum conſtitutionum jus ad Pontifices devolutum videri poſſet. Hi ergo poteſtate ſua utendum eſſe rati innumera decreta, epiſtolas decretales, ac reſcripta, quibus pleni ſunt Decretalium Libri, ediderunt, quæ & plurium diſciplinæ Eccleſiaſticæ capitum immutationem, & præcipue novum Judiciorum Eccleſiaſticorum ordinem introduxerunt, (x) atque hac ratione agendi compilandis novis collectionibus *Jus Pontificium* magis quam *Canonicum* (y) complectentibus occaſionem ſuppeditarunt. (z)

Nos

(u) Colligitur hoc ex epiſtola Nicolai I. Pontificis ad Epiſcopos Galliæ ſcripta, in qua conqueritur, quod has epiſtolas recipere nolint, eo quod in corpore Canonum non reperiantur. Epiſtolam totam exhibet Gratianus in cap. 1. diſt. 19.

(x) Simplicem fuiſſe per X. Sæcula Judiciorum Eccleſiaſticorum formam, & cauſas Eccleſiaſticas ſine ſtrepitu forenſi & proceſſu formulario ab Epiſcopis quaſi arbitris fuiſſe diſcuſſas, & in Sæc. XI. & XII. primum, quo Jus Civile & Canonicum publice in ſcholis doceri cæpit, proceſſum judiciarium ad normam Juris Civilis fuiſſe introductum paſſim Scriptores noviores docent.

(y) Nomine enim Canonum ſtricte loquendo veniunt ſolummodo conſtitutiones Conciliorum. Vid. dicta §. III.

(z) Audiatur Petrus de Marca loc. cit. ubi ita ſcribit: ***Summum Caput, in quo jus novum ab antiquo differt, in eo jam conſtitui, quod ſuprema poteſtas,***

quam

Digitized by Google

Nos hac diviſione & doctrina, qua Doctores Galli potiſſimum utuntur, in ſuo valore, aliorumque altiori diſcuſſioni relicta malumus Jus Eccleſiaſticum dividere in *antiquum, novum* ſeu *medium,* & *noviſſimum. Antiquum* vocamus collectiones omnes ad collectionem usque Gratiani Sæcul. XII. compilatam. *Novum* dicimus collectiones omnes in corpore Juris clauſas; ac demum *Noviſſimum* Canones Conciliorum, Bullas, Conſtitutiones, & Decreta Pontificum, quæ a tempore ultimæ collectionis usque nunc emanarunt. Denique aliud dicimus *Jus*, quod eſt *clauſum intra corpus Juris*, quo omnes collectiones in corpore Juris contentæ; & aliud, *quod extra vagatur*, quo pertinent Concordata Germaniæ, leges Diœceſanæ, conſuetudines locorum particulares, item Regulæ Cancellariæ, Bullæ Pontificiæ vim legis ſaltem in quibusdam locis, ubi receptæ ſunt, obtinentes.

CAPUT II.

De Præcognitis Juris Eccleſiaſtici.

§. I. *Quinque ſunt præcognita Juris Eccleſiaſtici proximiora.* II. *Primum præcognitum eſt notitia Religionis.* III. *Alterum notitia Eccleſiæ.* IV. *Tertium Jurisprudentiæ univerſalis.* V. *Quartum & Quintum Hiſtoriæ literariæ & Eccleſiaſticæ.* VI. *Ab his progrediendum ad fontes originarios & collectiones Juris Eccleſiaſtici.*

§. I.

Acceſſuris ad ſtudium *Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ*, priusquam ipſarum rerum *ſacrarium* introeant, in ipſo limine non nihil eſt ſubſiſtendum. Neque illud introire audeant, niſi primaria illius fundamenta, & *Præcognita* intimius perſpecta habeant, ſine quibus nemo unquam ad ſolidam Jurisprudentiam eluctabitur. *Quinque ſunt Præcognita neceſſaria.*

Ser-

quam in plerisque cauſis judicandis Synodi provinciales obtinebant, penitus extincta ſit, & ad ſolum ſummum Pontificem revocata, & ea, quæ in Canonibus condendis verſatur, ſit adeo imminuta, ut Pontifici ſoli conſtitutionum condendarum onus incubuerit. Hinc ſecutus eſt novus judiciorum Eccleſiaſticorum ordo &c. unde tot conſtitutiones emanarunt de reſcriptis, de Judicibus delegatis &c. Plura vid. loc. cit.

Digitized by Google

Sermo nobis non eſt de *Præcognitis remotioribus*, qualia ſunt *literæ humaniores*, *Diſciplinæ Philoſophicæ* &c. (a), ſed *proximioribus*, quæ nobiliſſimam hanc, & ampliſſimam Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ ſcientiam propius attingunt, perficiunt, & exornant. Quinque autem potiſſimum hujusmodi *Præcognita* principaliora eſſe exiſtimamus, quibus veluti totidem fundamentis Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ moles vaſtiſſima ſuſtentatur, nempe *notitiam Religionis*, *Eccleſiæ*, *Juriſprudentiæ Univerſalis*, *Hiſtoriæ literariæ*, ac *Eccleſiaſticæ*. Hæc ſi quis vel neglexerit, vel obiter non niſi, aut omnino perperam imbiberit, per omnem hujus ſcientiæ campum ceſpitabit, hallucinabitur, per devia & avia vel invitus rapietur; ſumma imis, rotundis quadrata miſcebit, elegantiſſimamque hanc ſcientiam falſis ubique notionibus, principiis, & doctrinis defœdabit.

§. II.

Præcognitum primum Religio. Una naturalis altera revelata.

Auſpicemur a *Religione*, quæ in genere eſt *norma credendorum, cognoſcendi, & colendi Deum ex lumine naturæ, vel revelationis ab homine cognitæ:* Unde & Religio eſt duplex, vel *naturalis*, quæ ex natura per rationem cognoſcitur, vel *revelata*, quæ nobis a Deo vel per ſcripturam, vel traditionem, vel per inſpirationem, vel alium quemcunque modum manifeſtatur. Illa prior oritur ex cognitione naturali ipſius *Dei* tanquam *Entis ſupremi*, & perfectiſſimi: Hoc ipſo enim, quod Deum veluti Ens ſupremum, primum infinitum, ac perfectiſſimum cognoſcamus, a natura, & lumine naturæ vehementiſſime impellimur ad Ens iſtud ſupremum colendum, amandum, adorandum, ac ſummo cultu proſequendum. Illa altera ortum ſuum trahit ex *revelatione*, qua docemur modum illum, quo Deus a nobis coli, amari, adorarique poſtulat. Utramque ex ratione naturali eſſe demonſtrabilem, facile inter DD. plerosque ſaltem Theologiæ tam naturalis, quam ſupernaturalis convenit. De *Religione Naturali* evidenter demonſtrabili, nemo niſi Atheus, vel Scepticus dubitaverit. De *revelata* inde convincimur, quod ad providentiſſimum hoc & ſapientiſſimum Numen pertineat, ut nos modum illum doceat, quo a nobis coli velit, & debeat: ſecus neque illius honori, neque noſtræ infirmitati ſufficienter erit proſpectum, quippe qui facillime in errores enormiſſimos labemur, & vel per exceſſum, vel defectum in cultu divino hallucinabimur, niſi normam colendi a Deo præſcriptam habeamus: qua in re turpiſſime lapſos, atque a recto colendi Numen tramite deflexiſſe Gentiles etiam ſapien-

Utraque demonſtrabilis.

(a) vid. Diſſert. de Auth. uſu, & ſtudio Juris Eccl. §. 9. & ſeq.

ſapientiſſimos, quales erant plures Philoſophi, ex antiquiſſimis hiſtoriarum documentis edocemur. Utraque hæc *Religio* conſtat duobus potiſſimum capitibus, ſcilicet *cognitione Dei*, & *cultu* eidem exhibendo: hic iterum eſt vel *internus*, vel *externus:* ille in piis motibus, & actibus intellectus, ac voluntatis, quorum motiva ſunt perfectiones divinæ, potiſſimum in honore & amore, quo Deum in fide & veritate proſequimur, conſiſtit. Hic in actionibus externis, ritibus, cæremoniis internum mentis judicium, atque affectum voluntatis exuberantiſſimum conteſtantibus. Utriusque principia, fundamenta, præcepta ac regulæ traduntur in Theologia tam *Naturali* quam *Revelata*, in qua *Religio naturalis* contra *Atheos* (b), *Revelata* contra Deiſtas (c), *Naturaliſtas* (d), *Materialiſtas* (e), *Libertinos* (f), *Indifferentiſtas*

Cultus duplex, internus & externus.

(b) Gottes Verläugner, oder Ohn-Götter, qui Deum exiſtere negant, quibus accenſendi ſunt *Egoiſtæ*, & *Sceptici*, negantes exiſtentiam Dei demonſtrari poſſe.

(c) Antiqui *Epicurei*, & hodierni *Pantheiſtæ*, ac *Materialiſtæ*, qui Deum faciunt formam, ſubſtantiam, ac animam mundi, quibus jure merito annumeraveris *Spinoſam* &c. hodie dividuntur *Athei* in *theoreticos* & *practicos*.

(d) Nomen iſtud circa medium Sæc, 16. invaluit in Gallia, & Italia, & tales appellabantur illi, qui omnem Religionem revelatam negabant, ſeque vocabant Eſprit forts, item Degrues. Hinc inde etiam vocantur *Naturaliſtæ*, & eorum quidam *mortales*, alii *immortales*, alii *Deiſtæ naturales*, alii *fanatici*. Secta *Deiſtarum* Sæc. 17. in Anglia potiſſimum radices egit. Primus qui Syſtema *Deiſmi* ſcripſit, fuit Herbertus Cherbury, quem ſecuti ſunt Hobbeſius, Carolus Blount, Toland, Schafftesbury, Collin, Wooeston, Tindal, Morgan, Chubb, Bolingbroke &c. contra hos præter alios ſcripſit Pfaffius in dem Entwurff der *Theologiæ Anti-Deiſticæ*, ubi plures *Deiſtas* recentiores recenſet.

(e) Tales vocantur, qui dari Spiritus negant, & omnia eſſe corporea aſſerunt, inter quos merito numerandus Spinoſa.

(f) De his fit mentio in Act. Apoſt. Cap. 6. v. 9. Sed in alio ſenſu, quam in illo, in quo hodie quoſdam vocamus libertinos. Sæc. 16. circa An. 1525. in Flandria quidam ſub nomine *libertinorum*, qui etiam dicebantur *Spirituales*, innotuere, qui ſe poſtea per Galliam diffundebant, & probatum ſuum ortum trahunt a *Beguinis* ſeu *Fratribus liberi ſpiritus* Sæc. 14. per flandriam graſſantibus. Nomine libertinorum Genevæ appellabantur Sæc. 16. qui-

ſtas (g) *Chriſtiana* contra *Judæos*, *Mahumetanos*, *Catholica* contra *Proteſtantes* potiſſimum, & *Reformatos* aliosque tam antiquiores, quam noviores Sectarios explicatur.

Notitia Religionis Chriſtianæ eſt neceſſaria.

Jam ut ſcopo noſtro propius accedamus, notitiam *Religionis Chriſtianæ*, & quidem *Catholicæ*, ſibi præprimis comparabit Candidatus Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ: Cum enim Religioni veluti fundamento tota quanta Eccleſiæ ſtructura ſit ſuperædificata, Juriſprudentia vero Eccleſiaſtica vel maxime ad religionem, ſalutemque Eccleſiæ, quæ ſuprema illius lex eſt, promovendam faciat, religionis intimiores receſſus, genuinamque indolem ante omnia ſolide noſſe convenit. Totum itaque fidei Chriſtianæ ſyſtema ſaltem ſecundum ſua principaliora Dogmata non ex inanibus controverſiis, & quæſtionibus ſcholaſticis, ſed ex ſolidioribus principiis, & fontibus eſt addiſcendum, quo facto Jurium ſtudioſus incomparabiles in ſua Juriſprudentia Eccleſiaſtica faciet progreſſus, ſcopulosque omnes, & Syrtes facile præternavigabit. Neque inde quis exiſtimet, nos nimium a Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ Candidatis exigere, dum eos ad intimiora Theologiæ capita addiſcenda obſtringimus, & prius eſſe Theologos, quam Jurium ſtudioſos eſſe volumus. Abſit, ut Candidatis noſtris immenſam rerum Theologicarum addiſcendarum copiam, aut totam quantam Theologiæ ſcientiam in ſuo ampliſſimo ambitu obtrudamus. Novimus fines Theologiæ, ac Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ. Prima, præcipua, eaque ſolidiora Theologiæ tam *naturalis* quam *revelatæ* principia deſideramus. Ipſum præprimis *Chriſtianæ*, in quantum *Atheiſmo*, *Deiſmo*, *Naturaliſmo*, *Pyrrhoniſmo*, ac *Indifferentiſmo*, & Religionis Catholicæ ſyſtema, in quantum opponitur novioribus Sectis, intelligat, neceſſe eſt, quisquis ſolidiori Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ comparandæ ſuas locat operas. Remittimus Candidatos noſtros ad ea, quæ in Differt. de Auth. uſu, & ſtudio Jurisprud. diſputavimus, ubi individuum Theologiam inter & Juriſprudentiam nexum, unaque commonſtravimus, qua arte utrisque

Addiſcenda ex principiis ſolidioribus.

Prima & præcipua Theologiæ tam naturalis quam revelatæ principia deſiderantur.

quidam, qui ſe rigidiori Calvini diſciplinæ opponebant, quorum Dux erat Jacobus Gruetus, qui omnem Religionem Chriſtianam reiiciebat, & propterea 1550. ad mortem damnatus fuit. Novioribus & noſtris temporibus Libertini etiam Deiſtæ, Latitudinarii, & Indifferentiſtæ vocantur.

(g) Tales vocantur, qui omnes religiones Chriſtianam, Judaciam Mahumetanam &c. in eandem claſſem collocant. Vid. Wernsdorf de Indifferentiſmo Religionum.

Digitized by Google

usque fines dirigendi, utraque ſibi mutuas ferre ſuppetias, & ab invicem mutuare ſubſidia debeat (h).

§. III.

Notitia ſyſtematis Eccleſiæ tam Catholicæ quam proteſtanticæ comparanda.

Inde ulterius conſectarium eſt, incipientibus ſtudium Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ in id poſtea incumbendum, ut præter ſyſtema *Religionis*, etiam Syſtema, naturam, indolem, & conceptum *Eccleſiæ* tam *Catholicæ*, quam *Proteſtanticæ* rite intelligat ac utriusque genuinam ſolidamque ideam in ſua mente efformet. Totius Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ unica hæc idea fundamentum eſt. Longe aliud enim ſyſtema Eccleſiæ usque nunc docuere Catholici, longe aliud ſibi noviſſimis temporibus fabricarunt prætenſi Reformatores. Catholici a primordiis Eccleſiæ ad noſtra usque tempora in ſua Eccleſia *Statum*, ſocietatem majorem inæqualem, Rempublicam, ſubordinationem Imperantium & obedientiam, Hierarchiam tam Ordinis quam Jurisdictionis, poteſtatem ferendi leges, decidendi cauſas, & in hac Republica Eccleſiaſtica Pontifices, Epiſcopos, aliosque Prælatos Eccleſiaſticos veluti Imperantes ſuſpexerunt. Econtra dicti Reformatores omnem Rempublicam eliminarunt, Hierarchiam proſcripſerunt, Eccleſiam ad infima collegii ſubſellia detruſerunt, *Jus in ſacra* ſuis Principibus vindicarunt, & quidquid hactenus in Eccleſia quoad perſonas, Res, & Jura ſacrum fuit, maxima ex parte proſanarunt. Quantopere vero Doctores Proteſtantici in hoc ſuo ſyſtemate varient, & inter ſe ipſos collidantur, quis ſatis edicere valeat? In hoc igitur ſyſtemate Eccleſiæ rite efformando ſi quis erraverit, per totam Jurisprudentiam errabit, nullibi inoffenſo pede incedet, ſemper ceſpitabit, multoties hallucinabitur, ut plurimum in ſcopulos illidetur. Quapropter operæ pretium eſſe duximus utrumque ſyſtema ſpeciali, eaque prolixiori Diſſertatione exponere (i).

Utriusque ſyſtema explicatur.

Proteſtantici in ſuo ſyſtemate mirum in modum variant.

§. IV.

Notitia Jurisprudentiæ Univerſalis.

Cum ex dictis inter Catholicos, & Proteſtanticos de Statu Eccleſiæ plurimum dimicetur, ulterius conſequitur, ad Præcognita Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ velmaxime pertinere ſcientiam Jurisprudentiæ pub-

(h) Cap. 3. §. 15. Vid. etiam Joan. Georg. Pertſchius in Diſſert. Prælim. von der Juriſten Studio in der Theologie, quam præmiſit Tract. von Recht der Beicht-Stühle, und Kirchen-Banns edito Halæ 1721.

(i) Vid. Diſſert. de Statu Eccleſiæ.

publicæ Univerſalis ſanioribus principiis innixam (k). Edicat enim nobis aliquis, qua arte fieri poſſit, ut quis in ſtudio Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ ſine offenſa incedat, proficiat, & in virum perfectum evadat, qui Civitatum originem, naturam, & indolem, jura Summorum Imperantium, maxime quæ circa ſacra verſantur, imperiorum varias formas, jura Societatum & Cœtuum ignorat? quippe quæ omnia ex *Juriſprudentia publica Univerſali* addiſcenda ſunt (l).

§. V.

Item notitia Hiſtoriæ literariæ & Eccleſiaſticæ.

Quid utraque doceat.

Hiſce, quæ abs hujus ſcientiæ Cultore deſideramus, *Præcognitis*, adjungimus cognitionem *Hiſtoriæ literariæ*, & *Eccleſiaſticæ*. Utraque docet origines, facta, revolutiones, ætates, ſtatum antiquum & modernum Juriſprudentiæ Eccleſiaſticæ, non minus quam ipſius Eccleſiæ: illa prior inſuper veras notiones hujus ſcientiæ nobiliſſimæ, illius defectus & vitia una cum arte iiſdem obviandi, ſtudii hujus neceſſitatem, elegantiam, præſtantiam, amplitudinem, ac genuinam rite ſtudendi tradendique methodum: hæc poſterior revolutiones Eccleſiæ, varias Eccleſiarum formas, legum Eccleſiaſticarum veterum, modernarumque, rituum, Cæremoniarum, & totius Eccleſiaſticæ diſciplinæ viciſſitudines, & quidquid ad rectam Canonum intelligentiam oppido neceſſarium aut utile eſſe queat. Horum autem omnium notitia tanto magis eſt neceſſaria, quanto turpius eſt in Cultore Juriſprudentiæ ignorare incunabula, fata, prærogativas & defectus ſuæ artis ac ſcientiæ, aut periculoſius eſſe videtur, ſine duce, ſine remige immenſo pelago, qualem jure optimo dixeris Juriſprudentiam Eccleſiaſticam, ſeſe committere. Quænam autem ſecurior eſſe poteſt dux navigantibus in hoc pelago, quam Hiſtoria Eccleſiaſtica? ſine hac enim impoſſibile eſt omnes ſcopulos ſyrteſque in interpretandis Sacris Canonibus, iiſque rite applicandis præternavigare, & ad optatum portum pervenire, hæc facem præferre debet, ne tenebris circumfuſi a recto tramite deflectamus, & vel ad ſcopulum allidamus, vel in profundum demergamur (m).

§. VI.

Quæ ſit genuina Juriſprudentia Eccleſiaſtica.

Hæc ſi quis ſua intelligendi vi complexus fuerit, facile intelliget, quæ ſit vera, ac genuina Juriſprudentia Eccleſiaſtica, qua arte huic

(k) Vid. Diſſert. de Statu Eccleſiæ Cap. 1.

(l) Ibidem.

(m) Vid. Diſſert. de Auth. uſu, & ſtudio Jur. Eccleſ.

huic nobiliſſimæ ſcientiæ ſtudendum, qua via ulterius progrediendum? errant, & toto cælo aberrant, qui Jurisprudentiam Eccleſiaſticam in ſola cognitione Juris Pontificii intra *Corpus Juris*, ut vocant, conſtituti collocant. Altius eluctandum, ab his *Præcognitis* progrediendum ad *fontes originarios* evolvendos, ad *collectiones* antiquas, novas, & noviſſimas enucleandas, & tunc demum ipſum Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ Sacrarium introeundum, & integrum Jus Eccleſiaſticum ſecundum triplex ſuum objectum, quod *perſonæ*, *res*, & *actiones* conſtituunt, diligentius examinandum. Quemcunque ordinem, aut methodum in diſcuſſione triplicis hujus objecti ſane ampliſſimi aliquis ſelegerit, nos haud invitos habebit: Sed de his ſpecialiter agemus infra, ubi de ſtudio Juris Eccleſiaſtici fuſiori calamo diſſeremus.

Triplex illius objectum.

CAPUT III.

De neceſſitate, utilitate, præſtantia, & amplitudine Juris Eccleſiaſtici.

§. I. *Neceſſitas Juris Eccleſiaſtici ex triplici illius fine demonſtratur.* II. *Ex multiplici ratione illius utilitas.* III. *Item præſtantia, ac demum* IV. *Amplitudo ex triplici objecto.*

§. I.

Inquiſituri in neceſſitatem, utilitatem, præſtantiam, & amplitudinem Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ ipſum Juris Eccleſiaſtici finem ante oculos nobis ponamus, qui profecto alius non eſt, quam ſalus Eccleſiæ, fidelium, & reſpective Reipublicæ politicæ, quæ hujus ſcientiæ *ſuprema lex* eſſe debet. Porro autem ſive Eccleſiam Chriſtianam cum Catholicis faciamus Rempublicam ſeparatam per Epiſcopos, quos Chriſtus conſtituit regere Eccleſiam (a), ſive cum Proteſtantibus transmutemus in Collegium quoddam Reipublicæ politicæ ſubordinatum, nemo ſana ratione præditus inficias ibit, leges quasdam eſſe neceſſarias, ut in ſyſtemate Catholicorum illa Reſpublica ſuis legibus veluti ſuis fundamentis ſuſtentetur ſine his in ſuum facile ruitura nihilum, in ſyſtemate vero Proteſtantium cœtus ille in uni-

Triplex finis Juris Eccleſiaſtici ſalus Eccleſiæ, fidelium & Reipublicæ politicæ.

In quocunque ſyſtemate Eccleſiæ ſunt leges neceſſariæ.

(a) Act. 20. v. 28.

unitate religionis participantium in ſuo nexu individuo, quem habet cum Republica politica, conſervetur, ne hoc diſſoluto tota compages Reipublicæ politicæ ſubruatur: Nam quodcunque quis ſyſtema adoptaverit, negare non auſerit, quod Religio, cujus exercendæ & excolendæ gratia homines in ſocietatem, quam Eccleſiam appellamus, coeunt, ſit vinculum Reipublicæ, ſine quo nulla civitas ſtare, conſervari, aut beata eſſe poteſt: Tolle enim religionem, tolle metum cujusdam Numinis inde reſultantem, & ſuſtuliſti omnè vinculum ſocietatis civilis inter imperantes, & obedientes, quippe qui diutius obedientiam non præſtabunt, niſi quamdiu ſua intereſſe ipſis viſum fuerit, quo ceſſante omnem ſubjectionem, omnem fidelitatem, omnem obedientiam conculcabunt, dum econtra illam Rempublicam florere, ac beatam eſſe ſcimus, in qua religio ſanioribus innixa principiis dominatur, cujus cives ex vinculo quodam interno ad virtutum, legumque feruntur obſequia. Inde factum eſſe ſcimus, ut gentes etiam barbaræ nihil habuerint ſanctius quam ſuam religionem, eidemque veluti fundamento felicitatem ſuæ Reipublicæ ſuperædificaverint, quin imo ad ſuperſtitionem usque ſuam religionem coluerint, adeo quidem, ut nihil ſine Numine Divum auſpicandum, nullum ſine auguriis, ac vanis auſpiciis bellum gerendum, nihil ad continendos in ſuo officio cives, nihil ad integros exercitus ad prælium fortiter ineundum ſtimulandos opportunius eſſe exiſtimaverint, quam ſi illos neſcio quibus ſuperſtitionibus ex ſua inani religione depromptis vel in ſpem erigerent, vel ſalubri metu concuterent. Hujus rei tot ſunt teſtes, quot ſunt ſcriptores, qui res geſtas Romanorum, Germanorum, aliorumque populorum, barbarorum maxime, ſcripſerunt. In hanc rem facit, quod Doctores quidam Proteſtantici, etſi ſine ullo fuco veritatis, ſcribere non dubitant, videlicet authoritatem Epiſcoporum, cœterorumque Clericorum Catholicorum nova eaque immenſa incrementa accepiſſe ex converſione Barbarorum Italiam invadentium: Cum enim hi ſuis ſacerdotibus ſummos honores deferre aſſueviſſent, facile induci potuere, ut ſimiles honores Clero Catholico impenderent (b). Et quare ferme ex omnibus civitatibus, in quibus alias omnium religionum colluvies toleratur, proſcribuntur Athei, Sceptici &c., niſi quod ſint homines *ſine religione*, adeoque Reipublicæ bene ordinatæ peſtis, ruina, & excidium (c). Faceſſant igitur religio-

Religio eſt vinculum Reipublicæ.

Etiam gentiles & Ethnici id agnoverunt.

(b) Boehmer ad Tit. de hæret.

(c) Idem ibid. vid. Pfaffius Academiſche Reden cap. 6.

ligionis tam naturalis, quam revelatæ oſores, contemptores, Atheiſtæ, Naturaliſtæ, ac Pſeudo-Politici, qui rempublicam ſine ulla religione ſubſiſtere, ac florere poſſe exiſtimant (d), quorum argumenta perverſa, futilia, ac improba pridem profligarunt etiam Doctores Proteſtantici (e), confutat communis populorum ſenſus, ſanior Philoſophia ac Ratio (f).

Homines ſine religione e civitatibus proſcribendi ſunt.

Itaque cum ex dictis Religio ſit fundamentum Eccleſiæ non tantum, ſed etiam fulcrum Reipublicæ politicæ, ſive *Jus in Sacra* in Principes politicos cum Proteſtantibus transtuleris, ſive cum Catholicis illud Epiſcopis ex omni jure divino, & Eccleſiaſtico vindicaveris, ſuperioribus Eccleſiaſticis quibuscunque in id præcipue erit innitendum, ut religio Chriſtiana ſuis ſuffulta legibus fundamentalibus pura, integra, ſarta tectaque conſervetur, ipſa vero Eccleſia ſeu cœtus ille hominum religionis profitendæ cauſa in ſocietatem coeuntium ſaluberrimis legibus ad fines ſibi a Chriſto præſtitutos dirigatur, atque nexus inter Eccleſiam, & Rempublicam politicam inviolabiliter cuſtodiatur, ne vel per abuſum Imperii politici Eccleſiæ, vel ſub prætextu, & per abuſum Religionis Reipublicæ graviſſima damna inferantur.

Ex neceſſitate religionis ſequitur neceſſitas legum Eccleſiaſticarum.

Jam vero cum omnes ferme leges ſint regulæ generales, & impoſſibile ſit legem ferre ita claram, quæ nulla egeat interpretatione, aut ita univerſalem, ut ad omnes caſus in ſacris occurrentes, quos nullus legislator prævidere poteſt, applicari & extendi valeat, opus erit quadam prudentia, qua mediante leges non ſolum recte intelligantur, ſed & ad actiones hominum ſapientes applicentur, & ad caſus in legibus non ſat expreſſos juſta interpretatione extendantur, ut inde ſalus Eccleſiæ, fidelium, & ipſius Reipublicæ politicæ eveniat. Atque hæc eſt illa ipſa Jurisprudentia Eccleſiaſtica in genere, quam ſupra deſcripſimus, cujus proin neceſſitas abunde demonſtrata manet.

Leges indigent interpretatione & hoc ipſo neceſſaria eſt Jurisprudentia.

De neceſſitate particulari Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ quid dicamus? aut enim ipſa Eccleſiæ Gubernacula quis tenet? & qua arte

Jurisprudentia Eccleſiaſtica eſt

(d) Rempublicam ſine religionu poſſe conſiſtere docuit Petrus Baylius dans la continuation de penſées diverſes §. 122., quem refutavit Joan. Franciſcus Buddeus de Atheiſmo cap. 4. §. 5.

(e) Idem Buddeus, & Albert. Haller in præf. ad tract. Prüfung der Secte, die an allem zweifelt.

(f) Vid. Authores paſſim, qui de jure naturali ſcribunt.

neceſſaria Principibus Judicibus. Conſiliariis, & Miniſtris principum.

te ſuum exercebit regimen, ſi ne quidem ſua, ſuorumque jura, ſuas prærogativas, & fines ſui imperii noverit? aut quis Jurisdictioni præeſt? & quomodo exercebit judicia, decidet cauſas, puniet crimina, adminiſtrabit Juſtitiam, niſi Jus Eccleſiaſticum profunde imbiberit? aut fortaſſis a conſiliis quis eſt ſummis imperantibus, & Principibus politicis? Et o boni Superi! quanta pertimeſcenda mala Eccleſiæ non tantum ſed etiam Imperio, ſi Princeps a Conſiliariis jurium Eccleſiaſticorum imperitis in ſuo regimine dirigatur, regaturque? quomodo ſtabit pax inter Epiſcopos, & Principes, quomodo nexus inter Sacerdotium & Imperium, tranquillitas inter imperantes, & obedientes? ſi miniſtri Principum jura Eccleſiæ & ſacerdotii ignorent? Profecto ſuum foret imperium Principibus, ſua poteſtas Pontificibus, ſua Jurisdictio Epiſcopis, ſua jura Clericis, ſua Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis immunitas, ſi ſanioribus religionis Eccleſiæ & Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ principiis imbuti forent Miniſtri, & Conſiliarii ſecretiores Principum. Deleamus de libro vitæ, ſi ita dicere licet, & eradamus de terra viventium Jurisprudentiam Eccleſiaſticam veterem aut noviorem, &, per me licet, adoptemus Jurisprudentiam antiquiſſimam, primitivam, & noviſſimam antiquiſſimi, & noſtri ævi: Anne principia ſive hujus, ſive illius Pſeudo-Politicis patrocinari exiſtimamus? cœcus ſit, & talpa, qui in pleno meridie cæcutit, neceſſe eſt, ſi quis utroque lumine non perſpexerit, omne Jus Eccleſiaſticum antiquiſſimum, medium, novum & noviſſimum hodiernis illorum principiis adverſari. Optandum itaque, imo neceſſarium foret, ut illi, qui ad gubernacula Imperiorum, vel ſubſellia Conſiliariorum admoventur, prius ſaniora Religionis, Eccleſiæ, & Juris Eccleſiaſtici principia imbiberent. Verum res dolenda, ultimo ferme loco ſtudium Juris Eccleſiaſtici apud non paucos habetur: & quare ſtudium iſtud adeo neglectim habetur, & juvenibus optimæ ſpei præſertim Nobilibus aut interdicitur, aut ſaltem diſſuadetur? in promptu cauſa eſt: Ne tales meliora edocti principia Pſeudo-Politicorum peſſima principia, quibus non tam ſalus Reipublicæ, ſicuti jactitant, quam privata utilitas cordi eſt, peſſundent. Sed ne quid nimis.

§. II.

Studium illius utiliſſimum

Ex his facile dimetiri licet utilitatem Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ, in qua dimetienda non multum immorabimur: hujus teſtem afferre liceat extraneum (g) ita ſcribentem: *Vix dici poteſt, quanta utili-*

(g) Pfaffius in Jur. Eccleſ. cap. 1. §. IV.

utilitas ex Juris Eccleſiaſtici ſolida notitia profluat. Etenim & ſalus Eccleſiæ ſic promovetur, & pax Eccleſiaſtica coadunatur, & vinculum religionis & ſocietatis eo arctius ſic ſtringitur, & vera pietas plurimum ſtabilitur. Hæc nempe illa ſcientia, quæ ſua jura vindicat Eccleſiæ, ſuum Primatum Pontifici, ſuam poteſtatem Epiſcopis, ſceptra firmat Imperantium, ordinat diſciplinam eccleſiaſticam, inſtruit judicia, ſubditos docet ſua officia, mores inſtruit fidelium, ac demum promovet ſalutem religionis, & Eccleſiæ. Paucis multa complexi ſumus.

§. III.

Præſtantiſſimum & jucundiſſimum.

Dum de præſtantia Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ mihi ſermo eſt, neſcio profecto, quid ad illius præſtantiam, ſtudiumque commendandum aptius & efficacius dicere poſſim, quam ſi illam dixero Encyclopædiam, quacum nexu individuo cohærent ferme omnes artes & ſcientiæ, quarum non paucæ eidem ancillantur, haud pauciores ab ea ſuppetias emendicant, plures mirum in modum ab ea illuſtrantur (h). Commendat illius præſtantiam non modo neceſſitas tam generalis quam particularis, & utilitas hactenus explicata, ſed etiam ſumma jucunditas, quam ſtudium Juris Eccleſiaſtici affert ſedulo incumbentibus, maxime ſi illud cum ſtudio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conjungatur, & ſecundum noviorem methodum inſtituatur. Quid enim aut jucundius aut delectabilius eſſe poteſt, quam per omnia Imperantium jura libere evagari, & quæ ſint Jura Pontificum, Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum Eccleſiaſticorum, Principum, Eccleſiarum, Clericorum, ac laicorum ſecundum decempedam ſcripturæ, traditionis emetiri? quid nobili ingenio dignius, quam origines dignitatum, & officiorum Eccleſiaſticorum, jura & prærogativas Prælatorum ex antiquis codicibus, & hiſtoriarum monumentis eruere, totam quantam diſciplinam Eccleſiaſticam per ſæculorum ordines digerere, diverſa diverſarum religionum ſyſtemata illuſtrare, revolutiones, fata, viciſſitudines in regimine Eccleſiaſtico, in judiciis Eccleſiaſticis, in cultu publico, in ritibus Eccleſiaſticis evolvere? Juvat mox ante laudatum authorem audire (i): *denique*, ait, *hujus ſtudii ſumma præſtantia, ſummaque elegantia eſt, maxime ſi antiqua ſemita poſthabita elegantio-*

(h) Vid. Diſſert. de Auth. uſu & ſtudio Jur. Eccleſ.

(i) Pfaffius loc. cit.

tiorem viam adoptes, nec vel in ſcyllam, vel charybdim labi te patiare, ſed medio in tramite progrediare, ſuum cuique tribuas, terminos recte eviſceres, atque recluſis antiquitatum Judaicarum, recluſis iterum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quæ diſciplinam veterem Canonumque veterum codices nobis exhibet, recluſis & Jurisprudentiæ univerſalis, politicæque cataractis, amplis eruditisque obſervationibus diſciplinæ nobiliſſimæ latiſundia inebries, denique & per ſæculorum ordines Eccleſiarumque diverſarum, & veterum & modernarum ſyſtemata eundo; quæ ubique egregia conſpiciuntur, in unam maſſam fundas, & genuinum venuſtumque ordinem tractationi adſpergas, juraque Eccleſiaſtica per capita diſtribuas, Eccleſiarum nullas formas facile carpas, & omnia ad pietatem promovendam dirigas, & modeſtia haud vulgari diluas. Qua ipſa tractatione quid elegantius, quid venuſtius excogitari poſſit, haud perſpicimus.

§. IV.

Ampliſſimum ex triplici objecto.

Amplitudinem Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ ſi quis metiri deſideret, triplex illius objectum ſibi ante oculos mentis ponat, *perſonas*, *res*, & *actiones*. In primo objecto ſeſe objicit tota quanta Hierarchia Eccleſiaſtica ſecundum omnes ſuos gradus a Pontifice usque ad infimum gradum Clericorum tam ſæcularium quam regularium; horum dignitates, officia, munia, jura, prærogativæ; item diverſi Canonicorum & Clericorum regularium, Monachorum, & Monialium Ordines, inſtituta, regulæ, diverſi ordines Eccleſiaſtici apud Proteſtantes: item diverſi modi acquirendi prælaturas, ordines, & officia Eccleſiaſtica, quales ſunt nominatio, poſtulatio, electio, confirmatio, præſentatio, collatio, preces primariæ; item modi easdem amittendi, quo pertinent reſignatio, permutatio, translatio &c.

Objectum ſecundum conſtituunt res, & quænam ſint?

Ad ſecundum objectum pertinent res Eccleſiaſticæ in ſenſu latiſſimo ſumptæ, ſacroſancta Eccleſiæ ſacramenta, vaſa ſacra, imagines ſacræ, veſtes ſacræ, domus religioſæ, templa, capellæ, monaſteria, cœmeteria, jus Aſyli, & quidquid ad cultum publicum, diſciplinam Eccleſiaſticam, ritus, & cæremonias ſpectat. Item bona Eccleſiaſtica, decimæ, dos Eccleſiarum, ſalaria miniſtrorum Eccleſiæ, jura ſtolæ, eleemoſynæ, legata pia &c. eaque omnia, quæ de horum omnium originibus, adminiſtratione, immunitate, privilegiis, imo etiam ſæculariſatione dici poſſunt. Huc etiam plures reducunt ea, quæ ad Jus Liturgicum pertinent, & ideo agere conſueverunt de liturgiis, quas Doctores Proteſtantici Kirchen-*Agenda* appellant, Miſſalibus, libris liturgicis, & Eccleſiaſticis Eccleſiæ Orientalis,

lis & Occidentalis, confeſſionibus publicis, precibus, hymnis, Ritualibus, Paſtoralibus, Pœnitentialibus, quæ omnia & ſingula aperiunt campum ampliſſimum excurrendi in omnem hiſtoriam omnium ſæculorum ac religionum.

In tertio objecto, quod *actiones* conſtituunt, ea omnia, quæ de regimine, Jurisdictione, & judiciis Eccleſiaſticis diſputari poſſunt, e. g. de jure in ſacra, de jurisdictione Epiſcopali, Senatu Eccleſiaſtico, Conſiſtorio, Audientia Epiſcopali, de ipſa norma exercendorum judiciorum, quæ per decurſum ſæculorum fuit varia, de proceſſu Denuntiationis, Inquiſitionis, Accuſationis, de cauſis Eccleſiaſticis præcipue matrimonialibus, item de delictis & criminibus e. g. ſimonia, uſuris, hæreſi, aliisque, de quibus multi inſcribuntur tituli in lib. 5. Decretalium, de diſciplina pœnitentiali, pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis &c. Hæc ſi quis apud ſe expenderit, facile dijudicabit, limites Juris Eccleſiaſtici eſſe ampliſſimos, immenſos, incircumſcriptos, illiusque ſcientiam liberrime veluti vagari per cœteras ſcientias omnes, præcipue Theologiam, Jurisprudentiam univerſalem, Hiſtoriam tam ſacram, quam profanam, ac demum literariam. Verum de his plura in Diſſert. de uſu & ſtudio Juris Eccleſiaſtici. *Tertium objectum ſunt actiones.*

Dum ergo fines Juris Eccleſiaſtici ſecundum triplex ſuum objectum emenſi ſumus, illam, quæ circa methodum tradendi Jus Eccleſiaſticum ſemper nobis inſedit, diſſimulare non poſſumus mentis ſententiam. Præplacuit nempe methodus quædam ſyſtematica, quæ Jus Eccleſiaſticum ad normam Jurisconſulti Lancelloti, & materias connexas concinno quodam ordine tractat: Hæc enim methodus eſt longe accuratior, legibus logicalibus conformior, ad captum facilior, juvandæ memoriæ aptior, jamque paſſim in Gallia, & hinc inde etiam in Germania in Academiis præſertim proteſtanticis obtinet, & civitate donatur, etſi illam adoptare difficillimum foret, eo quod libri, quos in ſcholis noſtris explicare ſolemus, ſecundum ordinem Decretalium Gregorii IX. ſint digeſti. (k).

(k) Vid. Diſſert. de uſu, authoritate, & ſtudio Jur. Eccleſ.

CAPUT IV.
De Ortu, & Progreſſu Juris Eccleſiaſtici.

§. I. Antiquitas & neceſſitas legum Eccleſiaſticarum oſtenditur. II. Primus legum Conditor fuit Chriſtus, qui duplicis generis præcepta dedit. III. Relicta poteſtate cætera determinandi penes Eccleſiam, IV. Quam primitus exercuere Apoſtoli in Conciliis, & extra in ſuis Eccleſiis, & quidem aliquas leges fecere nomine Chriſti qua Miniſtri, & alias nomine proprio qua Rectores Eccleſiarum. V. Apoſtolis in regimine Eccleſiæ ſucceſſerunt Epiſcopi, qui eadem poteſtate præditi pro neceſſitatibus exigentibus innumeros condidere Canones, ex quibus factæ ſunt collectiones Juris Canonici.

§. I.

Ortum Juris Eccleſiaſtici indagaturi ipſos Eccleſiæ noſtræ natales inveſtigare neceſſe habemus, quippe quod Eccleſiæ & Juris Eccleſiaſtici eadem eſſe incunabula prope extra controverſiam videatur, ex eo enim, quod Chriſtus Dominus Eccleſiam novam inſtituerit, eamque ſupra firmam petram fundaverit (a), ut eſſet indefectibilis in finem mundi usque duratura (b), eidem legibus quibusdam, tot quaſi lapidibus fundamentalibus, & angularibus providere debuit, ut nova hæc Eccleſiæ fabrica hisce ſuperſtructa fundamentis immota, nullisque turbinibus e ſuo fundamento evellenda atque tanto immobilior conſiſteret, quanto firmiora eſſent fundamenta, quibus tanta tamque ingens moles ſuſtentanda foret. Quemadmodum enim nulla alia Respublica & ſocietas humana ſine legibus & præceptis ſalva, tranquilla, ac immota conſiſtere, multo minus propoſitum ſibi finem conſequi, & ad apicem intentæ felicitatis eluctari valet, ſine legum compage certo certius in teterrimum chaos ruitura, ita Reipublicæ Chriſtiano-Catholicæ, ſeu cœtui fidelium per omnes mundi plagas in immenſum diffuſorum, in unitate tamen fidei, doctri-

(a) *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Matth. 16. v. 18.

(b) *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, ibid. & Matth. ult. v. ult. *Ecce ego vobiscum ſum usque ad conſummationem ſæculi.*

Digitized by Google

doctrinæ, Sacramentorum, & Capitis inviſibilis ac viſibilis participantium (c) directionem quamdam non qualemcunque, ſed per ſaluberrimas leges (d) tanto magis eſſe neceſſariam perſpicuum palamque eſt, quanto plures & natione, & genio, & moribus ac præconceptis ideis diverſæ ſunt gentes in hunc cœtum coadunatæ, & finis omnibus huic cœtui nomen ſuum dantibus præſtitutus eſt ſublimior, & media ad illum conſequendum præſcripta nedum in ſui electione, verum etiam, & magis quidem in executione ſunt difficiliora, ſi tamen, ut ſingula a ſingulis uniformiter, ordinate, decenter, ac honeſte fiant, ratio ſtatus Eccleſiæ (de quo quis prudenter dubitare valeat?) exigat; ſiquidem ſine legibus nec unionem membrorum, nec ordinem in rebus agendis, nec uniformitatem actionum obtineri poſſe antiqua & quotidiana experientia edocemur. Profecto ſine legibus nec boni in bono perſiſtunt, nec mali, qui communitatibus nunquam deſunt, a viis ſuis peſſimis avertuntur: illi ergo in bono confirmandi, hi intra limites coërcendi; ſecus de honeſtate, ne dicam ſanctitate morum, quam principaliter Chriſtus in ſua Eccleſia intendit, de pace, ſecuritate Reipublicæ, atque ipſa Republica actum erit.

Haud equidem nos latet, plures e ſectariis hodiernis (e) Eccleſiæ omnem ferendi leges poteſtatem abnegare, eidemque non niſi ſimplicem quamdam directionem, manuductionem, ac pædagogiam concedere, in ipſo Authore Eccleſiæ Chriſto non tam perſonam *Legislatoris*, quam nudi *Doctoris* ſuſpicere, ac denique totam hierarchiam ac Rempublicam Chriſtianam in meram *ſocietatem æqualem*, ac *collegium* ſine ſubordinatione imperantium ac parentium transformare: quoniam vero de *Hierarchia Eccleſiaſtica* (*Monarchica* illa ſit, an *Ariſtrocratica* parum quoad præſentem quæſtionem intereſt) ſpecialiter ac fuſius diſſerere nobis conſtitutum eſt, dogma de Hierarchia Eccleſiaſtica interim velut certum ſupponimus, eidemque tanquam fundamento Juris Eccleſiaſtico-Catholici ſequentes quæſtiones ſuperædificabimus.

(c) Hæc participatio eſt nota characteriſtica Eccleſiæ Catholicæ, cujus Caput ſupremum inviſibile eſt Chriſtus, viſibile ſummus Pontifex. Ita Doctores Catholici omnes.

(d) De quo alibi ex profeſſo agemus.

(e) Vid. cap. præced. §. II.

§. II.

Primus Eccleſiæ author eſt Chriſtus. Duplicis generis præcepta dedit.

Idem ergo ipſe primus Eccleſiæ Author Chriſtus Dominus primus quoque fuit Rector & Legislator Eccleſiæ, qui ſuis fidelibus in hunc novum cœtum coadunandis duplicis potiſſimum generis præcepta dedit, quædam *pure divina* nempe de *Sacramentis* a ſe ex libera voluntate in nova lege inſtitutis, & a ſuis fidelibus pie ac devote ſuſcipiendis, queis in interiorem Salvatoris gratiam pio illorum uſui alligatam introducimur; & *moralia*, queis rectum gratiæ uſum docemur. (f) Etenim per Sacramenta gratiam conſequimur, per opera vero charitatis aliarumque virtutum, quarum exercitium præcepta moralia determinat, gratia recte utimur, eamque in nobis fovemus, nutrimus, conſervamus.

§. III.

Cætera ordinanda reliquit Eccleſiæ.

Reliquorum vero determinationem, quæ tum in ordine ad cultum DEI externum rite exhibendum, quo ſpectant præcepta *cæremonialia*, tum ad bonum politicum & maxime pacem externam inter membra Reipublicæ Chriſtianæ conſervandam neceſſaria eſſe videbuntur, quo præcepta *judicialia* referas (g), arbitrio illorum determinanda reliquit, quibus curam & ſollicitudinem gubernandi Eccleſiam commiſit, id, quod continuata traditio a morte Chriſti ad noſtra usque tempora luculentiſſime confirmat, ſiquidem, quidquid cæremoniarum ac rituum in adminiſtratione Sacramentorum & cæteris rebus liturgicis cultum divinum ſpectantibus, quidquid etiam juris ac diſciplinæ in regimine externo, & judiciis Eccleſiaſticis obſervatum fuit, & usque nunc obſervatur, id omne vel inſtitutioni Apoſtolorum, vel Eccleſiæ in Conciliis congregatæ vel Epiſcopis Eccleſiarum ſibi commiſſarum Rectoribus ſuam debet originem.

§. IV.

(f) S. Thomas 1. 2. q. 108. art. 1. & 2. ubi ſic habet: *Dicendum, quod, ſicut dictum eſt, lex nova in exterioribus illa ſolum præcipere debuit, vel prohibere, per quæ in gratiam introducimur, vel quæ pertinent ad rectum gratiæ uſum ex neceſſitate, & quia gratiam ex nobis conſequi non poſſumus, ſed per Chriſtum ſolum, ideo Sacramenta, per quæ gratiam conſequimur, ipſe Dominus inſtituit per ſe ipſum &c. rectus autem uſus gratiæ eſt per opera charitatis.*

(g) Etiam in lege nova dari triplicis generis præcepta: moralia, cæremonialia, ac judicialia communis eſt doctrina.

§. IV.

Apoſtoli fuere Miniſtri Chriſti.

Uſi ſunt ſua poteſtate tam in Conciliis quam extra.

Duplici munere functi ſunt, nempe Miniſtri & Rectoris Eccleſiarum.

Ad id muneris aſſumpſit Chriſtus, miſitque Apoſtolos, quemadmodum ipſe miſſus erat a Patre cum poteſtate ligandi & ſolvendi. (h) quapropter poſt Chriſti in cœlos aſcenſum viſibile Eccleſiæ regimen ab ipſo ſibi commiſſum ſuſtinuerunt Apoſtoli, adjuti procul dubio, animatique a Spiritu S. divinitus ſibi promiſſo (i), & in die Pentecoſtes in ſignis viſibilibus communicato (k), atque poteſtate ſibi tradita uſi ſunt tum univerſi in Concilio Jeroſolymitano (l) tum ſinguli in ſingulis Provinciis & Eccleſiis, quæ ad prædicandum Evangelium Chriſti cuivis obtigerunt. Quorum teſtem omni exceptione majorem adducere liceat Apoſtolum Paulum, quem ſeu qua *Miniſtrum Chriſti*, & nomine Chriſti, ſeu qua *Rectorem Eccleſiarum* (m) varias ſanxiſſe leges, quarum priores in numerum legum *divinarum* ab Eccleſia immutabilium veniunt, poſteriores vero legum *Eccleſiaſticarum* inſtar pro varietate temporum & neceſſitate Eccleſiæ mutabilium habentur, non minus Acta Apoſtolorum quam Epiſtolæ illius teſtatum faciunt (n), ubi aliquoties gloriatur in *Domino*, id eſt in ſuo Miniſterio, quo nomine Chriſti fungebatur, aliquoties in *authoritate* ſibi a Chriſto conceſſa accurate diſtinguens inter leges nomine Chriſti promulgatas, & proprias authoritate Apoſtolica muneri Epiſcopali annexa noviter latas. Porro autem quemadmodum non omnes leges divinæ, ſicuti nec omnia dogmata a DEO revelata a quatuor Evangeliſtis in ſcripturas fuere redacta, & non pauca de ore ad os, de manu ad manum tradi-

(h) *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Joannis 20. v. 21.

(i) *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis.* Joan. 14. v. 26.

(k) *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ.* Act. 2. v. 3. *& repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, v. 4.

(l) Tria legimus ab Apoſtolis habita Concilia, primum Act. 1. in quo Barnabas in locum Judæ fuit ſuffectus. Secundum Act. 6. ubi communibus ſuffragiis electi fuere 7. Diaconi, & tertium Act. 15. in quo fideles a lege circumciſionis & rituum Moſaicorum immunes pronuntiati ſunt: *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.*

(m) Duplicem enim in Apoſtolis perſonam nempe Miniſtrorum Chriſti, ac Rectorum Eccleſiæ ſuſpiciunt Catholici.

(n) *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis.* Cor. 11. v. 13. & cap. 7. v. 13. *Præcipio non ego ſed Dominus.* En! præcepta divina ab Apoſtolo nomi-

tradita ad nos uſque pervenerunt (o), ita non omnes leges Apoſtolicæ ſcriptis fuere conſignatæ, ſed plures ex continua traditione habemus (p) æquali reverentia ac ſubmiſſione recipiendas; ecquid enim majoris authoritatis eſſe deberet doctrina ſcripta, quam tradita? ſiquidem doctrina ſuam vim non a ſcriptura, ſed ab authoritate docentis ac imperantis mutuare conſuevit. Atque hæc ſunt prima incunabula Juris Canonici.

§. V.

In locum Apoſtolorum ſuccedunt Epiſcopi.

Quoniam vero Chriſtus Eccleſiam noviter fundatam ad conſummationem uſque ſæculi ſe conſervaturum promiſerat (q), neceſſum erat, ut in locum Apoſtolorum novi ſemper Eccleſiarum Rectores, eadem poteſtate prædīti, quos Epiſcopos eſſe credimus, ſucceſſione nunquam interrupta, haud ſecus ac in alia quacunque Republica politica, ſuccederent, ne fides & doctrina Chriſti & Apoſtolorum ſeu ſcripto ſeu verbo tradita ob defectum Doctorum a Pſeudo-Doctoribus (oportet enim eſſe hæreſes (r) corrumperetur, vel modo quocunque labefactata deficeret, & ipſi fideles Paſtoribus & Rectoribus deſtituti vacillare inciperent, ac ſucceſſive tota Eccleſiæ ſtructura, quantacunque illa foret, ad inſtar aliarum Rerumpublicarum in ſuum nihilum corrueret, quam Epiſcoporum ſucceſſionem noſtrates non tantum invictis argumentis demonſtrant (s), verum etiam inter notas veræ Eccleſiæ characte-

nomine Chriſti promulgata. Et verſ. 12. *Cæteris ego dico non Dominus.* En! præceptum Apoſtoli. Præceptis Apoſtolicis plenæ ſunt ſcripturæ e. gr. de viduis, velandis virginibus, bigamis &c.

(o) Inter dogmata fidei, quæ ex traditione divina habemus, communiter referuntur perpetua Virginitas Bmæ V. MARIÆ, valor Baptiſmi ab hæreticis collati, nec non parvulorum ante uſum rationis baptizatorum, divinitas ſacrorum librorum, numerus ſeptenarius Sacramentorum &c. Utrum detur dogma fidei, ut vocant, *pragmaticum* & *fundamentale*, quod traditione *mere-orali* nitatur, de quo dubitat Author princip. cap. 2. de tradit. §. 21. alibi videbimus.

(p) Ad traditiones mere Apoſtolicas communiter referuntur Jejunium quadrageſimale, ſanctificatio diei Dominicæ, mixtio aquæ cum vino in Sacrificio Miſſæ, exorciſmi & unctiones baptizandorum &c.

(q) Vid. §. I. hujus Cap.

(r) 1. Cor. 11. v. 19.

(s) Hiſtorici Catholici paſſim & omnes.

racteriſticas jure optimo collocant (t). Hi ergo veſtigiis Apoſtolorum impigre inſiſtentes, atque eodem Spiritu S. directi & animati pro exigentibus Eccleſiæ neceſſitatibus nunc in Conciliis generalibus (u) nunc particularibus Nationum (x), provinciarum ac diœceſium, & non raro ſe ſolis, conſultis tamen aliis, quorum opera & conſilio utebantur, viris doctrina ac pietate conſpicuis, noviter exortas hæreſes vel mox in primo ſui ortu ſuffocarunt (y), vel longius graſſantes confixerunt, ſchiſmata extinxerunt (z) controverſias non raro non ſine aliquali ſcandalo agitatas deciderunt (a), nova fidei dogmata declararunt (b), atque innumeras, easque ſaluberrimas leges pro inſtruendis moribus fidelium, & diſciplina Eccleſiæ rite ordinanda ſanxerunt. Leges iſtæ more loquendi antiquitus recepto (c) ac hodiedum uſurpato

Varie exercuerunt ſuam poteſtatem.

Leges olim dicebantur Canones.

(t) Vid. Bellarminum, & Theologos Dogmaticos quoscunque.

(u) In Conciliis generalibus confixæ ſunt hæreſes principaliores, tum antiquæ e. g. *Arianorum* in Nicæno I. *Macedonianorum* in Conſtantinop. I. *Neſtorianorum* in Epheſino, *Eutychianorum* in Chalcedonenſi &c. tum noviſſimæ *Huſſitarum* & *Wicleſiſtarum* in Conſtantienſi, *Lutheranorum* & *Calviniſtarum* in Trident.

(x) In Conciliis particularibus damnata fuit hæreſis *Pauli Samoſateni* in Conciliis Antiochenis Sæc. 3. *Macedonianorum* in Synodo Alexand. Sæc. 4. *Pelagianorum* in Synod. Carthag. & Milevitana Sæc. 5. *Semi-Pelagianorum* in Concil. Arauſicano II. Sæc. 6.

(y) Vix caput erexerat hæreſis *Arianorum*, eam ſuffocare laboravit Alexander Epiſcopus Alexandrinus: contra hæreſin *Neſtorianorum* vix exortam inſurrexit Cyrillus Alexandrin. contra Eutychianomur Flavianus Conſtantinop. &c.

(z) e. g. *Novatianorum* Sæc. 3. *Donatiſtarum*, *Meletianorum*, & *Luciferianorum* Sæc. 4. *Photianum* Sæc. 9.

(a) e. g. controverſiam *Rebaptizantium* inter Stephanum & Cyprianum, *Quartodecimanorum* inter Victorem & Polycratem, item controverſiam circa vocem *hypoſtaſis* Sæc. 4. inter Patres Latinos, & circa propoſitionem: *Unus de Trinitate paſſus eſt*, inter Monachos Scythas, aliosque Catholicos Sæc. 6. acerrime agitatas.

(b) Non enim Eccleſiæ DEUS nova dogmata fidei revelat, nec Eccleſia nova facit, ſed revelata, & vel in Verbo DEI ſcripto, vel tradito contenta declarat, qualia multa declaravit occaſione hæreſum, e. g. unam perſonam in Chriſto contra Neſtorianos, duas naturas contra Eutychianos &c.

(c) Vid. §. 3. Cap. I.

pato vocabantur *canones*, qui ſucceſſu temporum authoritate tum publica Eccleſiæ, tum privata compilatorum (d) in diverſas collectiones (inde nomen traxerunt codices & collectiones canonum) ſuere redacti. Canonibus acceſſerunt diverſæ conſtitutiones, decreta, reſcripta & epiſtolæ Summorum Pontificum, doctrinæ SS. Patrum quovis ſæculo doctrina & ſanctitate eminentium, ex quibus omnibus Jus noſtrum de ſæculo ad ſæculum immenſa accepit incrementa. Ex his ſua ſponte ſequitur, originem Juris Canonici verbo DEI *Scripto & tradito*, incrementa vero *Canonibus Conciliorum*, *Conſtitutionibus Pontificum & doctrinis SS. Patrum* in acceptis eſſe referenda. Quare poſthac de primis illius principiis & fontibus quaſi originariis erit diſpiciendum, pro quo ſit.

CAPUT V.

De Principiis ſeu Fontibus Juris Eccleſiaſtico-Catholici in genere.

§. I. *Quamlibet ſcientiam ſua habere prima principia aſſeritur.* II. *Varii varios adſtruunt fontes: videntur quinque ſufficere.*

§. I.

Prima Jur. Eccleſ. principia ſeu fontes originarii.

Quemadmodum quælibet alia ſcientia, ita etiam Jurisprudentia Catholica certa quædam habet principia, e quibus ſua depromit argumenta, & his mediantibus ſuas concluſiones deducit. Theologi ſua principia communi nomine *locos Theologicos* appellare conſueverunt, quia ſunt quaſi ſedes & promptuarium, e quibus rationum, & argumentorum arma mutuantur. De his omnium primus ſcripſit celeberrimus ille Melchior Canus Ord. S. Dominici poſtea Epiſcopus Canarienſis in ſuo tractatu de locis Theologicis inſcripto, ubi decem *locos Theologicos* non minus accurate quam erudite explanat (a), quem ſecuti ſunt alii (b) & hodie ſequuntur Theologi Dogmatici pene ad unum

(d) Authoritate privata vix non omnes antiquiores collectiones ſuere compilatæ, licet poſtea ab Eccleſia fuerint receptæ. Authoritate publica prodiit. e. g. *Collectio decretalium* Greg. IX. de quo alibi inferius.

(a) Primus fuiſſe creditur Melchior Canus, qui hanc materiam methodice, & ex profeſſo examinavit.

(b) De locis Theologicis ſpecialiter ſcripſit Petrus Annatus in ſuo *Apparatu*. R. mus ac Magnificus D. P. Bertholdus Vogl in tractatu *Prolegomenon* inſcripto

unum omnes. Nos hæc Principia more aliorum (c) fontes originarios appellabimus, quoniam ex illis veluti rivuli quidam variæ collectiones Juris æque communis, ac particularis dimanarunt.

§. II.

In adſtruendo numero *fontium* Juris Eccleſiaſtici Canoniſtæ haud ſecus, ac Theologi in numero *locorum Theologicorum* determinando variant, etſi in ſubſtantialibus non diſcordent. Quidam eorum pauciores e. g. quatuor (d), quidam numerant plures. (e) Nobis quinque ſufficiunt, *Scriptura*, *Traditio*, *Canones Conciliorum*, *Decreta Pontificum*, & *Doctrinæ Patrum*. *Traditionem* a quibusdam prætermiſſam, eo quod ſit regula non modo *credendorum*, ſub qua ratione unice Theologiæ ad demonſtranda fidei dogmata ancillatur, uſumque præbet ampliſſimum; ſed etiam *agendorum*, qua ſub ratione non minus Jurisprudentiæ Eccleſtaſticæ ac Theologiæ ſua præſtare obſequia prorſus inſignia, illiusque diſcuſſioni ſe ſubmittere non dedignatur, prœterire nec poſſumus, nec volumus. *Symbolorum* vero diſcuſſionem, quorum nomine veniunt *ſummariæ collectiones principaliorum ac fundamentalium fidei articulorum* (f) ad forum Theologicum remittimus, & tanquam locum

Quinque ſunt fontes originarii.

Quid ſit Symbolum.

E 2

ſcripto, Clariſſimus P. Virgilius Sedlmayr in theſibus de *Locis Theologicis*. Cardin. Gotti Tom. I. Theolog.

(c) Clariſſ. D. P. Franciſcus Xaverius Zech in præcog. Jur. tit. III. §. 41.

(d) Idem Author ibid. dicens: *ex his quatuor fontibus originem ſuam ducit univerſum Jus Canonicum* 1. *Scriptura ſacra*. 2. *Conciliis*. 3. *Decretis Pontificum*, & 4. *Sententiis Patrum*.

(e) Author princip. Juris Eccleſ. addit *Symbola* & *conſenſum Eccleſiarum*.

(f) Sunt ſymbola breve quaſi compendium credendorum *fundamentalium* memoriæ juvandæ cauſa collectum. Dixi *fundamentalium*, non in ſenſu Novatorum ſyncreticorum duplicis generis articulos fidei ſtatuentium, e quibus quosdam vocant *fundamentales*, *ſubſtantiales* ac *primarios*, quos nemo non credere obligatur, reliquos *accidentales*, *arbitrarios*, quos credere, vel reſpuere licet, quin tamen unquam ſeu *fundamentales*, & *neceſſarios* ſeu *arbitrarios* determinaverint, vel determinare potuerint; ſed in ſenſu Catholicorum, quorum aliqui, in ſpecie Petrus Annatus Lib. I. Apparat art. 7. diſtinguunt quidem inter dogmata fidei *imperata*, *libera*, & *tolerata*, in alio tamen longe ſenſu: nam ſola *dogmata imperata* in horum ſententia fidem tangunt, cætera vero ſeu *libera* ſeu *tolerata* fidem non attingunt, & im-

locum Theologis proprium, hoc ipſo, quod non niſi credenda proponant, ſubliminori illorum examini, ne falcem in alienam meſſem mittere videamur, ſubjicimus. Non enim ratio finis noſtri patitur, ut cum infidelibus & hæreticis manus conſeramus, & contra ipſos fundamentales veræ fidei articulos in iis contentos, quod proprie Theologorum eſt, demonſtremus. Aliqua tamen de numero, & genuinitate ſymbolorum a nobis ſuo loco ſunt dicenda ad tit. de Summa Trinit. & fide Catholica. *Conſenſum Eccleſiarum* ſuis inſtructum requiſitis, ad quem antiqui toties provocarunt (g), quem Eccleſia ſemper maximi habuit,

Conſenſus Eccleſiæ commode reducitur ad traditionem.

& impropriiſſime dicuntur *dogmata fidei*, ſed magis dici deberent ſententiæ, circa quas Eccleſia, cum nihil certi nec in Scripturis nec in Traditionibus reperiatur, nihil determinare, ſed potius libertatem ſentiendi concedere voluit. Alii vero diſcrimen faciunt inter *articulos*, & *dogmata* fidei, vel inter articulos fidei quaſi *fundamentales & primarios*; & *ſecundarios*: *primarios* vocant illas doctrinas fidei, quas omnes & ſinguli explicite & neceſſario neceſſitate medii credere debent e. g. Myſterium Trinitatis, Incarnationis &c. ſecundarios vero, quos abſolute ſciri, & implicite credi ſufficit. Card. Gotti Tom. I. Q. I. dub. VI.

(g) *Neque hæ*, inquit S. Irenæus L. 1. adverſus hær. c. 10. *quæ in Germania e. g. ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Iberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Lybia, neque hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ:* Hoc ipſo argumento *conſenſus* utitur Tertullianus Lib. de præſcript. adverſ. hæret. c. 28. & 29. dicens: *Ecquid vero ſimile eſt, ut tot, ac tanta in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus eſt unus exitus: variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterum, quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Poſtea inſultans Marcionitis & Valentinianis pergit: *quoquo modo ſit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu hæreſes non erant. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos liberanda veritas exſpectabat &c.* eodem modo Donatiſtas aggreditur S. Auguſt. l. 3. de Bapt. contra Donat. c. 2. ubi, poſtquam Agrippinum & Cyprianum velut contra communem Eccleſiæ conſuetudinem ſuæ doctrinæ inhærentes redarguit, ita proſequitur: *itaque, ut dicere cœperam, in ejus Eccleſiæ communione ſecuri ſumus, per cujus univerſitatem* (id eſt *conſenſum communem*) *id nunc agitur, quod ante Agrippinum & Cyprianum per ejus univerſitatem ſimiliter agebatur, & cujus univerſitatem neque Agrippinus deſeruit, neque Cyprianus &c.*

Digitized by Google

habuit, & econtra hodierni Sectarii velut inutilem ad definiendas res fidei & morum rejiciunt, & inter impoſſibilia reponunt (h), authoritatis ſuæ pondere plurimum valere in utroque foro Theologico & Canonico nemo Catholicorum & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritus facile iverit inficias. Ne tamen numerum fontium ſine neceſſitate multiplicari contingat, illum ad traditionem, cujus individua indiviſibili nexu eidem conglutinata comes eſſe ſolet (eſt enim ſignum traditionis infallibile) reducendum exiſtimamus; vel enim diſceptamus de *conſenſu* Eccleſiarum *antiquo*, proprio, ſuisque requiſitis veſtito, quæ ex mente partis adverſæ ſunt, ut ſit *Catholicus*, hoc eſt, *ubique*, *ſemper*, & ab omnibus præſtitus (i) *immutabilis* (k) habens *objectum*, quod poteſt ſub definitionem Eccleſiæ cadere (l) *certus* (m), ut conſtet de conſenſu univerſalis Eccleſiæ. Profecto conſenſus iſte propriiſſimam ſapit naturam traditionis, aut, quod verius eſſe videtur, apertiſſimum eſt ſignum a poſteriori traditionis & Divinæ & Apoſtolicæ, juxta vulgatum illud: *quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime credimus* (n). Vel diſputamus de conſenſu Eccleſiarum juniori, cujus oſtendi initium valet? & hic ipſe, ſi reſpiciat dogma fidei ab Eccleſia ob exortam hæreſin quamcunque noviter definitum, fundatur vel in Scriptura, vel in traditione divina, vel ſi materiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ attingat, ad traditionem Eccleſiaſticam magis reduci, quam inter primaria Juris fundamenta collocari meretur. In- de

Quænam ſint requiſita conſenſus Eccleſiarum?

(h) Dallæus de vero uſu Patrum.

(i) Author princip. cap. 4. §. VII.

(k) Idem §. VIII. dicens: *Ex quo conſequitur, conſenſum iſtum non debere obnoxium eſſe mutationi, quod multarum opinionum cæteroquin Theologis communium eſt fatum.* Exemplum ponit in ſententiis Scholaſticorum, qui certum aliquod Philoſophiæ ſyſtema pro baſi elegerunt, quo variante neceſſe eſt variari ipſam talem Theologiam, e. g. in accidentibus abſolutis &c.

(l) Inde cit. Author infert, quod Eccleſia multas quæſtiones definire nequeat, e. g. de pœna parvulorum ſine Baptiſmo decedentium, de excidio orbis, de exiſtentia lunicolarum &c.

(m) Hanc certitudinem raro haberi poſſe idem ibid. oſtendere conatur, ubi tamen aliqua ſat audacter dicta deprehendimus, & id præcipue, quod hunc conſenſum inter impoſſibilia reponat, & ita a doctrina Dallæi, aliorumque Novatorum parum abludere videatur.

(n) S. Auguſt. lib. 5. de Bapt. cap. 24.

Digitized by Google

Alius eſt conſenſus Eccleſiarum, & alius ſcholarum neutiquam confundendus.

de venire exiſtimamus, quod Theologi in dogmatibus fidei, morum, ac diſciplinæ, potius ad Scripturam & traditionem (has enim ſolas veluti regulas infallibiles Eccleſia in definiendis fidei dogmatibus conſulere conſuevit) in quæſtionibus vero ſcholaſticis ad conſenſum magis ſcholarum, quam Eccleſiarum provocent. In eo tamen aliquoties committi exceſſum experientia docemur, quod nonnunquam conſenſus ſcholarum & Eccleſiæ ita confundatur, ut unus pro altero venditari videatur (o). Hæc de fontibus in genere. Veniamus ad collectiones.

CAPUT VI.

De Collectionibus Juris Eccleſiaſtici in genere.

§. I. *Collectiones Juris Eccleſiaſtici dividuntur in tres claſſes.* II. *Collectiones Juris antiqui*, III. *Collectiones Juris novi intra Corpus Juris clauſæ*, IV. *Collectiones Juris noviſſimi quaſi in compendio referuntur.* V. *Recenſentur Collectiones Juris particularis Germaniæ, earumque diſcuſſionem etiam ad interpretes Juris Canonici pertinere oſtenditur.*

§. I.

Triplicis generis ſunt Collectiones Juris Eccleſiaſtici.

Quaſi in compendio referimus omnes Collectiones Juris Eccleſiaſtici, *communis*, & *particularis*, *antiqui*, *novi*, & *noviſſimi*, pleniorem illarum diſcuſſionem in aliud tempus, locum & occaſionem nobis reſervantes. Sunt ergo collectiones aliæ juris *communis*, & aliæ *particularis*. Collectiones Juris communis dividimus in tres claſſes (a). Primam conſtituunt Collectiones *Juris antiqui* usque ad collectionem Decreti Gratiani Sæc. 12. adornatam. Secundam Collectiones *Juris novi* intra corpus Juris clauſæ. Tertiam Collectiones cæteræ quales-

(o) Id quod videre eſt in quibusdam ſententiis ſcholaſticis, quæ per plura Sæcula communi Scholaſticorum calculo fuere receptæ, hodie vero a Theologis novioribus Dogmaticis impugnantur, quorum Doctrina non raro novitatis traditioni (potius dicendum foret conſenſui Scholaſticorum) contrariæ poſtulatur.

(a) Vid. dicta Cap. I. §. ult.

Google

leſcunque extra corpus Juris vagantes, quæ a tempore ultimæ collectionis emanarunt.

§. II.

Ad primam pertinent potiſſimum ſequentes: Primo Collectio *Canonum Apoſtolorum* incerto authore & tempore compoſita, ac *Conſtitutionum Apoſtolicarum* vulgo Clementi I. adſcribi ſolita (b). Secundo *Codex Orientalis Eccleſiæ*, vulgo *Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ* dictus, Sæc. IV. itidem incerto authore collectus (c). Tertio *Codex Eccleſiæ Africanæ* Canones Conciliorum Africanorum exhibens incerti iterum Authoris Sæc. IV. compoſitus, & a Dionyſio exiguo ſuæ collectioni inſertus (d). Quarto *Codex Eccleſiæ Romanæ ſeu Occidentalis* complectens Canones Nicænos, Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Sardicenſes, Antiochenos, Laodicenſes, quibus ſubjunguntur 7. Canones Concilii Chalcedonenſis, & demum Carthaginenſes, probabilius poſt Concilium Chalcedonenſe adornatus. Hoc codice Eccleſia Occidentalis, quæ per tria Sæcula unice jure non ſcripto, præter ſcripturas, nempe traditionibus, conſuetudinibus & obſervantiis, ac poſtea ſolis Canonibus Nicænis, quibus etiam Sardicenſes velut appendix Concilii Nicæni inſerti erant, regebatur, ultra 60. annos uſa fuit, imo in Eccleſiis Galliæ ac Germaniæ illius authoritatem usque ad tempora Hadriani I. perduraſſe haud improbabiliter multi exiſtimant (e). De hoc codice varia authorum judicia. Sexto *Codex Dionyſii exigui* a ſuo authore ita dictus, circa finem Sæc. V. vel ad initium Sæculi VI. compilatus, concinniorem editionem antiquæ verſionis latinæ Codicis Canonum exhibens, in duas partes diſtributus, in quarum prima retentis Canonibus antiqui Canonis addidit Canones Apoſtolicos 50, Sardicenſes 25, Conſtantinopolitanos tres, & Chalcedonenſes 27. in 2da parte adjecit epiſtolas decretales Romanorum Pon-

Recenſentur Collectiones antiquæ.

(b) Vid. infra Cap. V. §. IV.

(c) Petrus de Marca ſuſpicatur illius authorem eſſe Stephanum Epheſinum Epiſcopum.

(d) Intellige de collectione antiquiori, cujus authorem laudant illum ipſum, qui fuit collector collectionis occidentalis juſſu Leonis I. factæ, non de noviori, cujus Author eſt Dionyſius exiguus, utpote qui Canones Africanos ſuæ inſeruit collectioni.

(e) De Marca in Diſſert. de veter. collect. Cap. II. N. 2.

Digitized by Google

Pontificum a Siricio usque ad Hormiſdam, qui ingenti cum applauſu ab Eccleſia Romana fuit receptus. Sexto: *Breviatio Canonum* Fulgentii Ferrandi Eccleſiæ Charthaginenſis Diaconi Dionyſio Coævi 233. capitibus totam Canonum doctrinam complectens. Septimo: *Duplex Collectio* Joannis Antiocheni Presbyteri vulgo Scholaſtici dicti, Apocriſarii, & poſtea Patriarchæ Conſtantinopolitani (quidam Authorem putant Theodoretum Cyrenſem, qui tamen ultra Sæculum Joannem anteceſſit) Sæc. VI. compoſita, quarum primam vocat *Collectionem omnium Canonum*, alteram *Nomo-Canonem*, illa continet Canones univerſæ Eccleſiæ ſub 50. titulis, hæc eſt hujus quaſi compendium. Octavo *Collectio Canonum Martini Baracarenſis* in Luſitania Epiſcopi, ex Pannonia, vel ut alii volunt, ex Græcia oriundi in duas partes diviſa, poſt medium Sæc. VI. facta & 84. capitulis conſtans, quarum prima exhibet Canones, qui de perſonis, rebus, & ritibus Eccleſiaſticis agunt, altera res ad laicos pertinentes complectitur. Nono collectio Creſconii Epiſcopi Africani, vel alterius authoris incerti Sæc. VII. compilata, & ſicut prior in duas partes diviſa, quarum prima vocatur *Concordia Canonum*, & conſtat ex 300. Capitulis, altera dicitur *Breviarium* ſimiliter conſtans 300. titulis. Decimo *Collectio celeberrima Iſidori vulgo Mercatoris* dicti, vel potius incerti authoris, circa initium Sæc. VIII. concinnata, a Riculpho Moguntino Epiſcopo ex Hiſpania in Galliam allata, a Nicolao I. approbata, exhibens epiſtolas antiquorum Pontificum usque ad Siricium Papam, a qua heterodoxi, & cum his etiam Scriptores Catholici *Jus novum*, id eſt, *Pontificium* (f) auſpicantur. Undecimo Codex Canonum (alii fuiſſe epitomen exiſtimant) ab Hadriano Papa anno 774. Carolo M. oblatus, quem ſub finem Sæc. VIII. & Duodecimo excepit alia collectio ex Synodis Romanis & decretis Pontificum conflata, quam multi adſcribunt Hadriano I. Pontifici, eamque oblatam Agilamno Metenſi Epiſcopo, & ab hoc per Galliam divulgatam aſſerunt, ac pleræque editiones ſub titulo Hadriani Papæ repræſentant. Plerique tamen negant eſſe fœtum Hadriani, ſed potius Agilamni Metenſis Epiſcopi (g). Collectionibus annumerari merentur decimo tertio *Capitularia Regum Francorum*, utpote quorum magna pars diſciplinam ac regimen Eccleſiæ concernens ex diverſis Synodis fuit excerpta. Horum ergo nomine veniunt ea, quæ in publicis comitiis, vel Synodis Epiſco-

(f) Vid. dict. Cap. I. §. ult.

(g) Van Eſpen part. IV. cap. 2. §. I.

Epiſcoporum, populi conſenſu ab ipſis Regibus edebantur, & primitus ſeparatim in ſchedulis & membranis ſcripta habebantur, donec Sæc. IX. anno 827. in unum volumen ab Anſegiſo Abbate Lobbienſi fuerint collecta, quæ prima eorum fuit collectio, quam aliæ fuerunt ſubſecutæ (h). Decimoquarto *Collectio Reginonis* Abbatis Prumienſis Diœceſis Trevirenſis juſſu Radbodi Archi-Epiſcopi Trevirenſis anno 906. adornata, ex antiquis Canonibus & decretis Pontificum congeſta, duos libros de Eccleſiaſtica diſciplina complectens. Decimoquinto *Collectio Burchardi* Wormatienſis Epiſcopi natione Haſſi anno 1020. edita ſub titulo *Magnum Canonum volumen*, ex Scripturis, S. Canonibus Conciliorum, Decretis Pontificum, SS. Patribus, ac Pœnitentialibus veteris Eccleſiæ, magis tamen ex præcedentibus collectionibus, quam ex ipſis fontibus (& hoc vitio illi vertitur) hauſta & combinata, quæ 20. libros complectitur. Sequitur demum decimo ſexto *duplex Collectio Ivonis Carnotenſis* circa annum 1100. edita, quarum una in XVII. partes diviſa communiter *decretum Ivonis Carnotenſis*, altera VIII. partibus conſtans *Pannomia* dicitur. Prima eſt indubitatum opus Ivonis, de altera dubitatur. Utraque non ex ipſis fontibus, ſed ex anterioribus collectionibus nec non ex Jure civili fuit excerpta, & vel ex hoc capite plurimum laudis apud multos ſuo conciliavit Authori, quod ipſe primus Jus Canonicum cum civili conjunxerit. His addantur decimo ſeptimo collectiones quædam minus celebres eodem ferme tempore in lucem editæ, nempe collectio ſub nomine *Anſelmi* Epiſcopi Lucenſis circa medium Sæculi XI. publicata, & communiter *authentica & compendioſa collectio regularum &c.* inſcripta, quisquis fuerit illius author, de quo Lis inter eruditos (i) item collectio ſeu *Liber Canonum* cujusdam Presbyteri Cardinalis nomine *Deusdedit* una cum 4. Libris de rebus Eccleſiaſticis Victori III. circa annum 1087. oblatus, & demum *Collectio ſub nomine Polycarpi*, cujus tamen authorem fuiſſe quemdam Gregorium Presbyterum Hiſpanum & Eccleſiæ Compoſtellanæ Cardinalem circa annum 1141. eruditi paſſim tradunt. Atque hæ ſunt præcipuæ collectiones Juris Canonici antiqui

(h) Idem cap. 3. §. IV.

(i) Rationem dubitandi facit, quod in hac collectione contineantur conſtitutiones quorundam Pontificum Anſelmo poſteriorum, qui obiiſſe ſcribitur 1086. quamvis dici poſſit, iſta decreta a quodam alio poſt mortem Anſelmi fuiſſe adjecta.

Digitized by Google

qui, quas in compendio referre placuit, dum illas ſuo tempore ac favente Numine ſuſius ſimus diſcuſſuri (k).

§. III.

Collectiones novæ recenſentur.

Collectiones ad ſecundam claſſem pertinentes ſunt primo *Decretum Gratiani* a ſuo Authore ita dictum, circa annum 1150. Sæc. XII. ſub titulo *Concordia diſcordantium Canonum* editum, ac in tres partes diviſum (l). Cui ſubjunguntur Canones pœnitentiales & Apoſtolorum, de quibus alibi. Secundo *Decretales Gregorii IX.* juſſu hujus Pontificis & opera Raymundi de Pennafort 1230. Sæc. XIII. editæ, ac in V. Libros diſtributæ. Obiter hic annotamus, quod collectionem iſtam aliæ quinque collectiones hodie quaſi obſoletæ, aut certe tanto honore non habitæ, ut corpori Juris insererentur, præceſſerint, quæ Raymundo in adornanda ſua collectione inſignem præbuerunt uſum. Prima fuit Bernardi *Circa* Præpoſiti Papienſis poſtmodum Epiſcopi Faventini circa annum 1190. ſub nomine *Breviarii Extravagantium* edita (m) & præcipue ex decretis & decretalibus epiſtolis Pontificum, ſpeciatim ex Epiſtolis Alexandri III. & Canonibus Concilii Lateranenſis III. ac Turonenſis III. deprompta, ac ferme eodem ordine ac forma, quo collectio Gregoriana, in ordinem redacta. Secunda *Joannis Gallenſis* ſeu *Vallenſis* circa annum 1202. ſimiliter ex epiſtolis decretalibus ſummorum Pontificum maxime Cœleſtini III. ad normam prioris concinnata, tertia *Petri Beneventani* Diaconi ex Conſtitutionibus Innocentii III. compilata, ejusdem Pontificis authoritate facta & approbata, atque Doctoribus & Scholaribus Bononienſibus cum ſpeciali Epigraphe transmiſſa & ad uſum Scholarum commendata (n). Quarta incerti eſt Anthoris, & complectitur 71. capita Concilii generalis Lateranenſis IV. ſub Innocentio III. celebrati, nec non conſtitutiones ejusdem Pontificis poſt tertiam collectionem mox ante memoratam editas. Innocentium III. ſecutus eſt Honorius III. cujus juſſu prodiit quinta collectio ad normam collectionis Innocentianæ confecta, quinque libris epiſtolas & decreta intra decendium, quo rexit Eccleſiam, ab ipſo edita complectens, & illius

(k) Vid. noſtra Diſſertatio I. de Collect. ubi plures alias collectiones recenſuimus.

(l) *Prima pars* continet *diſtinctiones* 101. *Secunda cauſas* 36. & una *tractatum de pœnitentia* cauſæ 33. inſertum. *Tertia diſtinctiones quinque de Conſecratione.*

(m) Van Eſpen part. III. Sect. 2. §. 1.

(n) Quoad hanc collectionem id ſingulariter notatu dignum eſt, quod hæc prima fuiſſe credatur, quæ authoritate publica Pontificis fuit adornata. Idem ibid. Sect. 2. §. I.

Digitized by Google

illius nomine per Tancredum Bononienſem Archidiaconum ſolemniter promulgata. Ex his quinque collectionibus duæ priores privata, tres vero poſteriores authoritate publica fuere confectæ, & promulgatæ, & tertia quidem omnium collectionum fuit prima, quæ auctoritate publica prodiit (o) quamquam & duas priores uſum publicum in ſcholis habuiſſe conſtet. Tertium locum occupat *Liber VI. Decretalium Bonifacii VIII.* a ſuo Authore ita dictus, ſub finem Sæc. XII. opera Guilielmi Archi-Epiſcopi Ebrudunenſis, Berenrengarii Epiſcopi Biterenenſis, ac M. Richardi de Senis S. R. E. Vice-Cancellarii velut appendix quinque Decretalium (p) (& ideo Liber VI. Decretalium inſcribitur) in lucem editus, & continet conſtitutiones tam poſteriores Gregorii IX. & ſequentium Pontificum Innocentii IV. Gregorii X. Alexandri IV. & Nicolai IV. tum proprias Bonifacii, nec non decreta utriusque Concilii Lugdunenſis, quorum unum ſub Innocentio IV. anno 1245. & alterum ſub Greg. X. anno 1292. fuit celebratum. Poſt ſextum Decretalium quarto loco veniunt *Clementinæ* Clementis V. ad normam decretalium partim ex Canonibus Concilii Viennenſis, partim ex conſtitutionibus extra illud a Clemente editis congeſtæ, ſed ob immaturam illius mortem primum a Joanne XXII. ſucceſſore promulgatæ. Sequuntur quinto loco *Extravagantes Joannis XXII.* nec non *Extravagantes communes* ita dictæ, quod ab initio incerta quaſi ſede vagarentur, donec in corpus Juris fuerint relatæ. Priores continent 20. conſtitutiones illius Pontificis in 14. titulos diviſas, poſteriores vero decreta aliorum etiam Pontificum Urbani IV. Sixti IV. & hoc ipſo *communes* dictæ, atque in quinque libros diſtributæ circa annum 1384. Et iſtæ ſunt collectiones intra corpus Juris clauſæ habentes vim deciſivam & authoritatem legalem, & quidem aliquæ earum ex approbatione Pontificum, aliquæ ex uſu & receptione, de quo alibi plura. Præter recenſitas duæ adhuc aliæ collectiones in corpore Juris clauſæ, vi tamen & robore legali deſtitutæ, reperiuntur, nempe primo *Liber VII. Decretalium* a Petro Matthæo Jurisconſulto Lugdunenſi authoritate privata compilatus, continens varia reſcripta ſummorum Pontificum, quin tamen de approbatione publica conſtet, & ſecundo *Inſtitutiones Lancelloti* authoritate & juſſu ſummi Pontificis Pauli IV. compoſitæ, & ad modum Inſtitutionum civilium in quatuor Libros diviſæ, quæ etſi in cauſis decidendis præfato Pontifice ante confirmationem mortuo authoritatem de-

(o) Vid. mox dicta.

(p) Hæc collectio aliquamdiu non fuit recepta in Gallia ob nota inter Bonifacium Pontificem, & Philippum Pulchrum Regem Galliæ diſſidia.

deciſivam non habeant, ob ſuum nihilominus accuratum ordinem Decretalibus longe antecellunt, dignæque videntur, ut commentaria in eas fierent.

§. IV.

Collectiones noviſſimæ.

Ad tertiam claſſem reducimus primo *Bullarium M.* ſeu collectionem variarum Bullarum a Summis Pontificibus editarum opera Laertii Cherubini, JCti Romani primum factam, dein a ſuo filio variis Bullis auctam ac tempore Urbani VIII. in lucem editam, quæ tamen usque nunc ob defectum approbationis publicæ ad vim legalem aſſurgere non potuit (q). Secundo *Regulæ Cancellariæ* regimen Pontificum ac res beneficiales potiſſimum concernentes authore Joanne XXII. circa annum 1316. conſcriptæ, & a Nicolao V. circa annum 1447. in conſtantem & meliorem formam redactæ (r). Tertio *Declarationes Cardinalium* ſuper doctrinis dubiis in Concilio Tridentino contentis a Congregatione Cardinalium (s) ſpecialiter ad id deputatorum factæ, & in forma authentica productæ. Quarto *Deciſiones Rotæ Romanæ* (t), & denique quinto varii commentarii in Jus Canonicum editi, quæ omnia & ſingula ſuo loco fuſius proſequemur.

§. V.

Collectiones particulares juris Germaniæ. Triplicis ſunt generis antiquæ, mediæ, & noviſſimæ.

Cum vix ullum ſit Regnum, aut Natio, quæ non legibus & conſuetudinibus particularibus regitur (u), videndum quoque, an non inclyta Natio Germanica jure quodam particulari utatur, & quodnam illud ſit? Author princ. (x) triplicis generis conſtitutiones Imperii recenſet: *Antiquas*, quæ incipiunt a Carolo M. & deſinunt in Carolo

(q) Extant nunc continuationes hujus Bullarii recens Romæ editæ, imo typis non ita pridem 1746. prodiit Romæ integer Tomus Conſtitutionum Benedicti XIV. Scholaribus Bononienſibus inſcriptus.

(r) In Germania obtinent, in quantum vel ſunt uſu receptæ, vel cum concordatis Germaniæ conveniunt.

(s) Quamplurimæ declarationes vel omnino ignorantur, vel ſaltem non ſunt ſufficienter promulgatæ.

(t) Rota Romana eſt ſupremum Pontificis tribunal, in quo vices Judicum ſuſtinent duodecim diverſarum nationum Auditores Rotæ. Habet hoc tribunal id ſpeciale, quod in eo trina quaſi appellatio locum habeat.

(u) e. g. in Gallia poſt abolitam Sanctionem Pragmaticam viget concordatum Gallicum inter Leonem X. & Franciſcum I. Regem Galliæ Bononiæ initum.

(x) Cap. XIII.

Digitized by Google

rolo IV. & ſunt potiſſimum *Capitularia Francorum* aliorumque Regum, *Conſtitutiones Imperiales* a Goldaſto editæ, & *Diplomata Imperatorum* Eccleſiis conceſſa; *Medias* a Carolo IV. usque ad Carolum V., inter quas ſunt potiſſimum *Bulla Aurea*, *Pax profana ſeu publica &c. Concordata Germaniæ*; & *Noviſſimas* a Carolo V. usque nunc editas, quo pertinent *Transactio Paſſavienſis*, *utraque pax Religioſa & Weſtphalica*. Ex his quasdam aliorum conſiderationi relinquimus, quasdam nobis vindicamus. *Antiquas*, ex eo quod ſint ut plurimum obſoletæ, & pleræque earum e. g. *Capitularia Francorum* (eo enim tempore ne quidem Imperium Romanum cum Germanico erat proprie conjunctum, cum hodierni Publiciſtæ epocham hujus unionis ab Ottone I. incipere ſoleant) ſtatum Germaniæ non concernant, miſſas facimus.

Quænam ſint media?

Ex mediis eligimus primo *Auream Bullam*, quæ non pauca ex Jure Canonico mutuavit, e. g. ea, quæ habet de electione Imperatoris, & ſecundo *Concordata Germaniæ* inter Nicolaum V. Summum Pontificem & Fridericum III. Romanorum Imperatorem, & reliquos tum Eccleſiaſticos tum Sæculares Proceres Imperii Romano-Germanici anno 1447. inita, quæ aliunde ad forum Canonicum pertinent, & tertio *pacem profanam*, ſine qua titulum de treuga & pace vix utiliter explicaveris.

Quænam noviſſima?

Ex noviſſimis vero adoptamus *Transactionem Paſſavienſem*, *pacem Religioſam* ac *Weſtphalicam* occaſione enaſcentium ſectarum Proteſtantium ac Reformatorum concluſas easque Juri Eccleſiaſtico adaptabimus. Porro autem quemadmodum *Auream Bullam*, *pacem profanam*, utramque pacem & *Religioſam* ac *Weſtphalicam*, & utriusque prodromam, id eſt, *Transactionem Paſſavienſem* tanquam leges fundamentales Imperii Romano-Germanici ſuſpicimus, & ex hoc capite ad *Jus publicum*, illiusque Interpretes pertinere non ignoramus, ita neminem nobis juſte indignaturum confidimus, ſi eas Juri quoque Canonico tanquam leges particulares vindicemus, eo quod ſtatus Eccleſiaſticus Germaniæ hodiernus ſuam normam non modo a Canonibus Eccleſiæ univerſalibus, ſed etiam a legibus Imperii particularibus ſortiatur.

Leges fundamentales Juris publici Germanici vel maxime pertinent ad Jus Eccleſiaſticum.

Vel enim ipſum *Imperium*, vel *Imperii ſtatus*, vel *cauſas & negotia Imperii & ſtatuum* ſpectas? Si *Imperium*, iſtud eſt *corpus quoddam mixtum ex ſtatibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus*, *Catholicis & Acatholicis totidem quaſi membris conflatum*, in quo tres Religiones *Catholicorum*, *Proteſtantium*, ac *Reformatorum* liberum Religionis habent exercitium (y), quarum duæ ultimæ tolerantur, prima vero, tanquam ſola vera, tolerata dici nequit, utpote

(y) Art. 7. pacis Weſtphalicæ §. I.

utpote quæ ſola vera eſt, & vel ex hoc capite liberrimum ſibi exercitium ex omni jure vindicat; Si vero ſtatus conſideres, hi, ſi ſint Eccleſiaſtici, e. g. Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, aliique Prælati majores, eo ipſo Rectores ſunt Eccleſiarum ſibi commiſſarum; ſi Sæculares, paſſim Advocati, Patroni, & Protectores Eccleſiarum audiunt (z); ſi Acatholici, aliunde *jus in ſacra* ſibi vindicant (a). Omnes denique & ſinguli intuitu Eccleſiæ variis privilegiis, Juribus, ac præeminentiis gaudent (b). Si denique ad negotia & cauſas reflectas, nullum negotium tanta animorum contentione ac partium ſtudio in comitiis & conventibus publicis, in conventis pactis ac fœderibus hucusque agitatum, atque negotium Religionis, nullæ cauſæ ſuprema Imperii tribunalia tantopere fatigarunt, ac cauſæ Eccleſiaſticæ, nulla lex fundamentalis lata, quæ non ad perſonas, & res Eccleſiaſticas, vel ad cauſas & negotia Religionis in ſuis diſpoſitionibus reſpexit, & principaliter reſpicere debuit juxta præſcriptum Receſſus Imperii de anno 1532. art. 1. §. 1. jubentis, ut Religio negotiorum primum ſit in Imperio. Ex his ſuperabunde demonſtratam exiſtimamus arctiſſimam illam Canones inter Eccleſiæ ac leges fundamentales Imperii connexionem, quæ tanta eſt, ut jam Jus Eccleſiaſticum ſine Jure publico, cum certo tamen moderamine, ne jura permiſceantur, & de finibus regundis agere quis cogatur, nec ſatis ſecure (quam enim facile quis in jura Sedis Pontificiæ vel Nationis Germanicæ poteſt impingere?) nec utiliter amplius doceri poſſe videatur, eo potiſſimum ex capite, quod leges Imperii multa ex Canonibus Eccleſiæ mutuaverint, (c) non

(z) Sic e.g. Imperator audit ſupremus Eccleſiæ Advocatus, & ideo paſſim in Receſſibus Imperii diſpoſitum eſt circa jura & officia huic ſupremo Juri Advocatiæ annexa.

(a) Communis eſt hodie heterodoxorum Doctrina, quod Principibus *jus in ſacra* & *Epiſcopale* competat; quamvis in aſſignando titulo, in quo fundari deberet, non conveniant, de quo meretur legi Bœhmerus ad tit. de Offic. Judic. Ordin. ubi varias ſuæ Religionis aſſeclarum opiniones refutat.

(b) Sic e. g. Electoribus Eccleſiaſticis Aurea Bulla proedriam ante cæteros Electores aliaque jura, præeminentias, & officia e. g. Electori Moguntino Officium Archi-Cancellarii attribuit. Alii Principes Eccleſiaſtici alia habent jura, præeminentias ac officia. Quid dicam de Principibus Acatholicis, quibus vi pacis Weſtphalicæ integri Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus, & Monaſteria advenerunt, in quibus exercitium omnium Jurium Epiſcopalium ex quocunque demum titulo uſurpant.

(c) E. g. circa electionem Imperatoris, circa beneficia &c.

non pauca alteraverint, ac ſtatui Imperii politico attemperaverint, ut mirari ſubeat, quod interpretes Juris Eccleſiaſtici quaſi unice huic enucleando inſudaverint, Jus Germanicum neglectim habuerint, illudque noſtræ Germaniæ accomodare parum curaverint, ſuo muneri abunde ſe ſatisfeciſſe exiſtimantes, ſi modo Jus Canonicum quaſi ſecundum literam, ſtylum & uſum Curiæ Romanæ explicarent, cæteroquin parum ſoliciti, an ad uſum fori Germaniæ ſit accomodatum. Quod ſi tamen ad jus particulare Germaniæ explicandum pervenire contigerit, eam adhibebimus cautelam, ut limites Juris Eccleſiaſtici exceſſiſſe nemini videri poſſimus, multo minus de regundis finibus agere cogamur. Jam ad exſplicandam originem, fundamenta, fontes originarios & incrementa Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici tranſeamus. Sit ergo,

CAPUT. VII.

De ortu fundamento fontibus originariis & incremento Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici.

§. I. *Ratio Inſtituti noſtri expenditur.* II. *De fundamento Juris Eccleſiaſtico Proteſtantici.* III. *De fontibus illius originariis.* IV. *Reflexiones ad principia Moſhemiana.* V. *De legibus fundamentalibus.* VI. *De progreſſu & incrementis illius.*

§. I.

Quamquam Lutherus *Corpus Juris Canonici* 10. Decemb. anno 1520. in copioſiſſima hominum frequentia Wittenbergæ in publico foro Vulcano tradiderit, ringentibus, & factum iſtud deteſtantibus tanquam impium, temerarium, & audax non modo illius, ſed etiam hodierni ævi ſaltem pluribus Jureconſultis Proteſtantibus, nihilominus Jus Eccleſiaſticum apud illos uſum habet ampliſſimum, & authoritatem ſat amplam. Publice & cum magno applauſu docetur in illorum Academiis, illuſtratur commentariis ferme innumeris, obſervatur in judiciis, obtinet in cauſis beneficialibus, matrimonialibus, aliisque quam plurimis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus eatenus ſaltem, quatenus principiis ſuæ religionis non adverſatur, aut praxis, conſuetudo & obſervantia non contradicit (a). ***Corpus Jur. Can. a Proteſtantibus eſt receptum***

Itaque operæ pretium eſſe duximus brevem Juris Proteſtantici dare Exegeſin, illius principia, fundamenta, fontes originarios, & doctri-

(a) Vid. Diſſert. de uſu, authoritate, & ſtudio Jur. Eccleſ.

doctrinas detegere, diſcrimina inter noſtrum, & ipſorum Jus Eccleſiaſticum in medium proferre eum præcipue in finem, ne Candidati Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ in legendis Proteſtanticorum libris erronea imbibant principia, aut inani verborum ac doctrinarum faſtu ſe decipi, & in errores peſſimos ſe induci patiantur, aut inepto armorum (argumentorum) genere, ſi quando cum ipſis contendendum eſt, inter ſe confligant.

§. II.

Quid nomine Juris Proteſtantico Eccleſiaſtici intelligatur?

Priusquam de Jure Proteſtantico agamus, illud animadvertere placuit, nomine Juris Proteſtantico-Eccleſiaſtici nos intelligere illud Jus Eccleſiaſticum, quod non modo a Proteſtantibus in Germania per Pacem Weſtphalicam ſub nomine *Corporis Evangelicorum* toleratis, ſed ab omnibus Sectariis a tempore Zwinglii ab avita religione Catholicá deficientibus per ſuam prætenſam reformationem fuit adoptatum.

Origo Juris Proteſtantici.

Ab ovo rem repetamus, & in originem hujus Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici inquiramus. A quo tempore prætenſi Reformatores ſuam reformationem incoeperunt, Romano Pontifici debitam ſubjectionem, reverentiam & obedientiam ſubtraxerunt, neceſſario de novo Jure Eccleſiaſtico efformando, ſolidoque fundamento, cui hæc moles ſuperſtruenda erat, ſtatuendo illis cogitandum fuit. Verum enim vero hic hærebat aqua, hic Rhodus, hic ſaltus, hic labor hoc opus erat. In eo cardo difficultatis vertebatur, quodnam hujus novi Juris fundamentum ſtatuendum foret. Quapropter graviſſimæ, eæque ferme innumeræ inter ipſos oriebantur controverſiæ. Quatuor potiſſimum controvertebantur, 1mo quodnam illud eſſe deberet fundamentum? 2do in quem poteſtas legislatoria ordinandi Religionem, ferendi leges, gubernandi Eccleſiam transferenda? 3tio quonamusque hæc poteſtas extendenda, & quomodo reſtringenda? 4to quodnam legum Eccleſiaſticarum objectum aſſignandum foret?

Quodnam fundamentum primarium illius?

Quantum ad *fundamentum* in eo facile omnes Zwingliani, Reformatores, Lutherani, & horum diverſiſſimæ ſectæ convenere, *ſacram ſcripturam* (b) in vim regulæ univerſalis, Principii fundamentalis ac fundamenti angularis eſſe aſſumendam. 2do religionem præprimis in ferendis legibus conſulendam, & ad hanc tanquam Cynoſuram reſpiciendum, eidemque poſthac leges Eccleſiaſticas eſſe accomodandas.

Porro

(b) Mosheim allgemeines Kirchen-Recht cap. 1. §. 14.

Quodnam fundamentum ſubſidiarium?

Deſuper multæ lites inter Reformatores.

Porro autem quoniam leges Eccleſiaſticæ in ſcripturis contentæ erant paucæ admodum, & ad ſuſtentandum ſyſtema religionis & Eccleſiæ haud ſufficientes, de *fundamento quodam ſubſidiario* ulterius cogitandum erat. Verum de hoc ipſo fundamento innumeræ enaſcebantur controverſiæ. Zwinglius voluntatem Principum, illorumque Ordinationes inſtar *principii ſubſidiarii* eſſe adoptandas exiſtimabat in iis, quæ in ſcripturis definita non erant (c). Alii ipſam *rectam Rationem* ad ſubſellia Dictatoris attollebant, atque ad inſtar legis & ordinationis quoad ea, quæ in ſcripturis non reperiebantur, eſſe habendum aſſerebant, quidquid *recta Ratio* dictitaret (d). Alii neque voluntati Principis, neque humanæ rationi veliſicabantur, exiſtimantes, neutri aſſurgendum, neutri eſſe fidendum, & neque per unam, neque per alteram religioni & Eccleſiæ ſufficienter conſultum iri. Hi ergo primitivam Eccleſiam, illiusque obſervantiam inſtar normæ, ac juris ſubſidiarii aſſumendam, & ad illius imaginem Eccleſiam reformatam eſſe regendam dictitabant. Hujus opinionis ſunt omnes Proteſtantes ſeu ſectarii præter Lutheranos, quales ſunt Brobniſtæ, Presbyteriani, Indifferentes, Epiſcopales, Sociniani, Quacheriani, Anabaptiſtæ. Sed ne hi quidem inter ſe ipſos erant concordes, dum inter ipſos diſceptabatur, quænam illa ſit primitiva Eccleſia, pura, immaculata, ad cujus imaginem in regenda Eccleſia foret reſpiciendum: Nam eorum quidam Eccleſiam Chriſti & Apoſtolorum adhuc quaſi in ſua infantia conſtitutam, veluti Brobniſtæ, alii jam jam adultam in Sæc. II. veluti Presbyteriani, alii demum jam ætate profectam ad Sæc. usque V. ſibi tanquam Prototypon in rebus Eccleſiaſticis imitandam proponebant, veluti Epiſcopales (e). Inde ſuum ortum habuere celeberrimæ controverſiæ in Anglia & Hollandia inter Brobniſtas, Presbyterianos & Epiſcopales, ac ipſos Epiſcopales rigidiores, & laxiores High-& Jow-Chuchmen, Whigs & Torrys; inter Remonſtrantes, & contra-Remonſtrantes, de quibus mox. *Epiſcopales* Eccleſiam repræſentativam agnoſcunt in Epiſcopis; his Jus in Sacra una cum poteſtate legiſlatoria adſcribunt, atque Eccleſiam jam jam adultam, qualis fuerat Sæc. 4to, & 5to veluti Magiſtram, cujus doctrinis & exemplis inhærendum, ſuſpiciunt. Sed neque hi inter ſe ipſos conveniunt, & in duas partes ſcinduntur, quorum aliqui *ſublimiores*, ac *rigidiores* communi nomine *Torris*, ſeu *High Churchmen*, alii *mitiores Whigs*, ſeu *Löw Churmen* appellantur. Sub-

Epiſcopales Eccleſiam adultam veluti Magiſtram ſuſpiciunt.

(c) Idem Ibid. (d) Idem ibid. (e) Idem §. 16.

Sublimiores Regem una cum Parlamento Anglicano a regimine Eccleſiæ penitus excludunt, eisque ad ſummum Jus quoddam Advocatiæ confirmandi leges Eccleſiaſticas precario concedunt; Mitiores vero notabiliſſimam Juris in Sacra portionem in Reges transferunt, quin tamen fines illius unquam determinaverint, aut poſthac determinaturi ſint, a quorum determinatione ex motivis politicis abſtinendum eſſe exiſtimant Angli. Longum nimis foret diſſidia Epiſcopalium inter ſe ipſos recenſere (f).

Diſſidia Independentium Presbyterianorum & Epiſcopalium recenſentur.

Longe graviora erant diſſidia, quæ inter tres ſectas *Independentium, Presbyterianorum, & Epiſcopalium* agitabantur, quam illa, quæ ſecta quælibet inter ſuos agitabat, dum nempe quælibet earum alteri Jus ſuum Eccleſiaſticum violenter obtrudere contendebat. Eo res devenit, ut in bellum publicum deſineret, quod ſub imperio Eliſabethæ inchoatum, ſub Jacobo I. & Carolo I. ac II. continuatum, ac demum ſub Wilhelmo per *Acta Tolerantiæ* ſingularum religionum finem accepit (g).

Georgius Fox & Thomas Hobbeſius Mediatores ſed infelices egerunt.

Quo tempore ſuper Jure Eccleſiaſtico tam acriter fuit diſputatum, prodiere in lucem publicam duo viri acerrimi ingenii, unus artis ſutoriæ magiſter, author, parensque Quaquerianorum, nulla generis, doctrinæ vel nobilitatis prærogativa conſpicuus Georgius Fox; alter ingenio præcellens, ſcientiarum Philoſophicarum, Mathematicarum, ac Theologicarum peritiſſimus Thomas Hobbeſius, ambo nullius frontis, nullius religionis, Libertini, audaces, Phanatici. Hi ergo, ut diſſidia, & bella componerent, munus pacificatoris, & veluti Mediatoris ſua ſponte non requiſiti non rogati nullo mandato inſtructi, nulla authoritate præditi aſſumpſerunt, aut potius ſibi arrogarunt, mediumque excogitarunt prorſus extremum, quod Religioni, Eccleſiæ, & Reipublicæ politicæ excidium ultimum afferre deberet. Ambo iterum in diverſas abierunt opiniones. In eo ſolum convenerunt, quod uterque omne Jus Eccleſiaſticum exterminaverit, & confuſionem Eccleſiæ ac Reipublicæ introduxerit.

Doctrina Joannis Fox.

De utroque ſingulariter agamus. Itaque Joannes Fox omnem Eccleſiam viſibilem proſcripſit, omnem cultum Dei externum, Sacramenta, ritus, cæremonias, liturgias eliminavit, Jus Eccleſiaſticum ſuſtulit, ſuos aſſeclas, quos Quaquerianos vocant, fecit cives ſimplices in actio-

(f) Vid. Pfaffii Orig. Jur. Eccleſ. pag. 18. item Mosheim Allgemeines Kirchen-Recht pag. 172.

(g) Vid. cit. Author pag. 182.

actionibus ſuis internis religionem ſpectantibus ſuo lumine interno, in actionibus vero externis ſolis legibus politicis dirigendos, regendosque (h).

Item Thomæ Hobbeſii.

Eadem intentio, idem finis, idem ſcopus erat Hobbeſio eliminandi Eccleſiam cum omnibus juribus eidem annexis: Quare docuit, Rempublicam eſſe Eccleſiam, & Eccleſiam eſſe Rempublicam, diſcrimen inter utramque eſſe quoad ſolum nomen, eundem eſſe Principem Eccleſiæ & Reipublicæ, nullas dari actiones in ſe bonas, aut malas, nullum jus, nec naturale, nec divinum exiſtere. Et ne quis ipſi jus quoddam divinitus revelatum objicere valeret, quo etiam Imperantes ligari deberent, negavit, quod Deus ullam legem tulerit, & econtra ſtatuit, quod ea, quæ in Scripturis vim legis habere viderentur, mera ſint conſilia vi nulla obligandi prædita, poteſtas vero ferendi leges unice penes Principes Rerumpublicarum reſideat. Ut autem hoc ſuum ſyſtema quodam ſuffulciret fundamenro, ulterius ſtatuit, finxit, & docuit, in ſtatu naturali dari bellum omnium contra omnes, hominem homini ex ipſa natura eſſe lupum, eſſe hoſtem capitaliſſimum, & inimicum inimiciſſimum, idem eſſe in ſtatu naturali occidere canem, & hominem, animal brutum, & ratione præditum. Ut ergo bellum iſtud omnium in omnes extinqueretur, neceſſarium fuiſſe ulterius, ut homines in Civitates & Societates politicas coirent, his vero Reges & Principes præficerentur cum poteſtate prorſus incircumſcripta ferendi leges, regendi cogendique, ſola neceſſitate obtemperandi ſubditis relicta. Et quoniam cum ſtatu Eccleſiæ a Republica ſeparato, & regimine Eccleſiaſtico diſtincto ſumma & illimitata regendi poteſtas ſtare nequit, eo ipſo omnem Eccleſiam eſſe eliminandam, ſecus actum fore de paçe, tranquillitate, ſecuritate & felicitate Reipublicæ. Noſtrum non eſt monſtroſum iſtud ſyſtema Hobbeſianum millies confutatum novis argumentis convellere.

Syſtema Hobbeſianum.

A ſyſtemate Hobbeſiano parum differt ſyſtema Thomaſii, & hujus aſſeclarum.

Hobbeſianis haud abs re accenſendi ſunt illi Jureconſulti Lutherani, qui *Jus* in *Sacra* ex Superioritate Territoriali derivant, quorum Dux, & Vexillifer jure optimo habetur Thomaſius. Vir hic, eo quod vatiniano odio perſequeretur Miniſtros Eccleſiæ Proteſtanticæ, Jus Eccleſiaſtico-Proteſtanticum reformare, & Jura Eccleſiaſtica utut modica, & pauca admodum poſt reformationem adhuc penes cœtum Eccleſiaſticum, illiusque Doctores ac Miniſtros reſidua e manibus illorum extorquere firmiſſime ſecum conſtituit, totisque viribus adlaboravit.

 Id

(h) Moshemius loc. cit. cap. 1. pag. 182.

In quo differat doctrina Thomaſii a doctrina Hobbeſii.

Id ut eo felicius exequeretur, nihil prorſus opportunius fore exiſtimavit, quam ſi principia, aliqua ſaltem, ex Syſtemate Hobbeſiano adoptaret; illud præcipue, quod in Principes Rerumpublicarum *Jus in Sacra* illimitatum, & incircumſcriptum ſit transferendum. Cætera vero principia Hobbeſiana adoptare non potuit, eo quod eſſet e ſchola Puffendorffianorum, utpote qui principium Juris naturæ & fundamentum Reipublicæ non in naturali & congenita hominum inimicitia cum Hobbeſio, ſed potius in ſocialitate collocaverunt. Aliud igitur principium & fundamentum, cui illa ſuprema poteſtas in ſacra ſecure poſſet inniti, fuit adinveniendum. Et profecto Thomaſius illud adinvenit, dum pro fundamento inconcuſſo poſuit *Superioritatem territorialem*, quam eo usque extendit, ut jam cœtui Eccleſiaſtico nihil prorſus Juris in rebus Eccleſiaſticis remaneret. Negabat Thomaſius diſcrimen inter Doctores & Auditores, inter Clerum & plebem, negabat munus docendi Doctoribus divinitus conceſſum, ipſos vero Doctores, Paſtores & Miniſtros faciebat mancipia Reipublicæ; quippe quibus nihil eſſet juris, niſi quod a Principibus emendicaſſent, & precario accepiſſent. Negabat Thomaſius a Chriſto quoddam Religionis ſyſtema in lege nova inſtitutum, duo ſolummodo præcepta Religionis Chriſtianæ admittebat, cœtera vero omnia tanquam figmenta Clericorum repudiabat, ipſos libros ſymbolicos, Proteſtantibus alias ſanctos, rejiciebat, hacque ratione ferme totum religionis Proteſtanticæ ſyſtema ſubvertebat. En! Syſtema Thomaſianum in compendio relatum ipſis Doctoribus ſanioribus Proteſtanticis exoſum, abominabile & execrabile.

Doctrina Thomaſii refertur.

Syſtema Thomaſii ipſi Doctores Proteſtantici deteſtantur.

Ut quid ergo mirum, quod illud tantopere deteſtentur, diris omnibus devoveant, a tempore Thomaſii novam Juris Eccleſiaſtici Epocham auſpicentur (i)? ut quid mirum, inquam, quod mox ab initio, ubi doctrina Thomaſiana in lucem publicam prodiit, vehementiſſime ſeſe eidem oppoſuerint, remque eo deduxerint, ut Thomaſius in arce Pleiſſenburgenſi carceri manciparetur? Nunquam ego auſus fuiſſem hæc ſcribere contra Doctores Proteſtanticos Superioritati Territoriali exceſſive velificantes, niſi facem prætuliſſent alii emunctæ naris viri inter Theologos Proteſtanticos præcipui (k). Nolim tamen omnibus illis, qui

(i) Thomaſius hat durch ſeine Lehre eine ſolche Veränderung in dem geiſtlichen Rechte verurſachet, und den Geiſtlichen ſo vieles von ihren Freyheiten entzogen, daß man von ſeiner Zeit an einen neuen Abſchnitt in der Geſchichte des geiſtlichen Rechts machen muß.

(k) Vehementiſſime Thomaſio ſe oppoſuerunt Theologi Hallenſes, & hodierni Theologi Proteſtantici ferme omnes.

qui Jus in Sacra ex Superioritate Territoriali derivant, errores Thomaſii affingere (l). Sunt inter illos quidam ſeveriores, quidam mitiores pro diverſitate genii & ingenii. Atque inde veniunt controverſiæ illæ quotidianæ inter Theologos & Jureconſultos Proteſtanticos mira animorum contentione agitari ſolitæ, dum priores Jus Principis in Sacra moderantur, & circumſpecte intra certos limites reſtringunt; poſteriores eidem omnia fræna laxant, & ultra ſanam rationem protendunt (m). Integrum Syſtema, principia, doctrinas, & fata Thomaſii in compendio refert Moshemius (n).

Lutherani primitivam Eccleſiam inſtar normæ non recipiunt.

Aliam longe viam ivere Lutherani: nam licet Lutherus, ſi tamen fides eſt habenda Moshemio (o), ſuam Eccleſiam noviter cuſam ad imaginem primitivæ Eccleſiæ inſtituere in animo habuerit, illius tamen ſequaces ab hoc Lutheri propoſito quam longiſſime receſſerunt: Etſi enim hi antiquam Eccleſiæ diſciplinam hinc inde plurimi habere noſcantur, neutiquam tamen illam inſtar regulæ, normæ, & imaginis univerſalis, ad quam foret reſpiciendum, eſſe habendam ſibi perſuaſerunt. Nam, ajunt, ne quidem conſtat propter diverſas diverſa opinantium opiniones mox antea recenſitas, quænam ſit illa primitiva Eccleſia, cui tanquam imagini nova Eccleſia deberet conformari: aut enim primam Chriſti & Apoſtolorum Eccleſiam veluti normam & imaginem nobis proponimus? ſed quis dicere auſit, quod vel Chriſtus, vel Apoſtoli univerſalem regendarum Eccleſiarum formam inſtituere voluerint, quæ per omne ævum ad finem usque ſæculi durare deberet? an non Chriſtus & Apoſtoli ſuas leges, ſuas ordinationes, ſuam diſciplinam accommodarunt circumſtantiis rerum ac temporum? an non Chriſtus ipſe ad aliquod ſaltem tempus leges cæremoniales obſervavit? Prævidit Chriſtus tanquam providentiſſimum & ſapientiſſimum Numen ſuam Eccleſiam a ſe noviter inſtitutam in omnes mundi partes diffundendam, ſuo tempore Reipublicæ politicæ innectendam, & cum hac ſalvis utriusque legibus amicabili nexu conſociandam: prævidit

Chriſtus non inſtituit ſtabilem formam regiminis.

 fata

(l) Sane Boehmerus aliique jura principum ex Superioritate territoriali deducentes illa modeſte temperant, & plures doctrinas Thomaſianas abominantur.

(m) Vid. ſupra citata Diſſert. de Statu Eccleſ.

(n) Loc. cit. pag. 192.

(o) Unſer ſeeliger Luther hatte eine ſtarcke Neigung, unſere Kirche nach dem Muſter der alten einzurichten, und wo ihm die Hände nicht gebunden geweſen wären, hätte er es auch gewiß gethan. pag. 158.

ſata Eccleſiæ, viciſſitudines Imperiorum, revolutiones rerumpublicarum. Itaque noluit ſtabilem quamdam regiminis, & diſciplinæ formam præſcribere, juxta quam per omnes ætates ſua Eccleſia gubernanda eſſet. Unde Chriſtus ipſe ſapientiſſime a ferendis legibus diſciplinaribus extra materiam Sacramentorum abſtinuit, aut ſi quas tulit, eas neutiquam perpetuas, ſed pro exigentia rerum mutandas eſſe voluit. Id eo magis dicendum de Ordinationibus Apoſtolicis, quas mutationi eſſe obnoxias, ac non raro fuiſſe immutatas aut penitus ſublatas nemo, niſi omnium hiſtoriarum penitus ignarus, ignorat (p). Vel Eccleſiam ſæculi 2di, & ſubſequentium ſæculorum Prototypi loco aſſumimus? Et o Boni Superi! quam longe alia rerum facies in ſæculo ſecundo, ac erat in primo! erat Eccleſia Apoſtolica ſimplex & recta, cæremoniarum inops, multarum legum expers, controverſiarum ſeu dogma, ſeu mores, ſeu diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantium, ſi paucas excipias, ferme ignara, una in unitate fidei, doctrinæ & regiminis Eccleſiaſtici: Erat Eccleſia Sæculi ſecundi jam turgida multitudine cæremoniarum, plena rituum, multiplex in forma regiminis, jamque diverſæ obtinuere formæ regendi Eccleſias in diverſis provinciis (q). Jam paſſim ad traditiones, conſuetudines & obſervantias fuit provocatum (r). Et quis omnes Eccleſiæ viciſſitudines a primo ſæculo usque ad quartum, ab hoc usque ad hiſtoriam medii ævi, & demum ab iſto ad noſtra usque tempora enarrare ſufficiat? aut verum non eſt, quod Chriſtus & Apoſtoli normam ſtabilem & immutabilem inſtituerint, aut ſi hoc verum eſt, tunc Eccleſia a Chriſto fundata in primo mox ſuo ortu, & jam ſæculo ſecundo corruit, concidit, interiit.

Diverſa fuit forma regiminis Eccleſiaſtici, & ipſius Eccleſiæ.

Hæc potiſſimum ſunt argumenta, ob quæ Lutherani obſervantiam primitivæ Eccleſiæ in vim Juris ſubſidiarii univerſalis recipere nolunt, quamquam alias, dum contra Catholicos agunt, ad illam paſſim provocare conſueverint, & non pauca etiam pro uſu ſuarum Eccleſiarum mutuaverint (s). Hi ergo tria ſtatuunt fundamenta ſui Juris Eccleſiaſtici, primo ſacram Scripturam novi teſtamenti, ſecundo veritates fundamentales religionis ſeu ad fidem ſeu ad honeſtatem morum pertinentes, tertio

(p) Sic ſublata ſunt convivia charitatis ſeu Agape; item oſculum pacis, & ut mulieres velato capite incedant.

(q) Alibi Epiſcopi ſe ſolis, alibi cum conſenſu, alibi per ſynodos regebant ſuas Eccleſias.

(r) E. g. in cauſa Rebaptizantium, Quartodecimanorum.

(s) e. g. Pſalmodiam, & Cantum in conventibus Eccleſiaſticis.

tio Rectam Rationem, id eſt, veritates ſanæ rationi innixas (t). Cætera Juris Eccleſiaſtici principia ſecundum Lutheranorum leges fundamentales eliminanda ſunt, & proſcribenda (u). Non vacat modo hæc Lutheranorum principia fuſius examinare. Infra iterum ea recenſebimus, & quibusdam animadverſionibus illuſtrabimus.

Penes quem ſit poteſtas regendi Eccleſias?

Itaque ad alteram controverſiam greſſum promoveamus. Quantum ad poteſtatem legislatoriam regendi Eccleſiam, ferendi leges, Jus Eccleſiaſticum ordinandi, quam termino technico *Jus in ſacra* appellare conſueverunt, Proteſtantes, ſeu Sectarii iterum in varias abierunt & ſectas, & doctrinas, quas non nihil fuſius ſecundum ductum hiſtoriæ referre juvat.

Diverſa Reformatorum opiniones recenſentur.

Inter hos primus venit Zwinglius, qui eo ipſo quod voluntatem Principum in vim Juris ſubſidiarii adoptavit, in Principes & Imperantes Jus in ſacra illimitatum, irreſtrictum, & pleniſſimum tranſtulit, cujus opinionem cæteri ſectarii ferme omnes deſeruerunt optima ratione ducti, quod hæc doctrina neque *Scripturæ*, neque *rectæ Rationi* innitatur, imo utrique adverſetur. Utinam principium iſtud melius expendiſſent Proteſtantes Germaniæ, qui Jus in ſacra per Pacem Weſtphalicam in ſuos Principes cum quibusdam tamen reſtrictionibus, uti dicunt, tranſtuliſſe gloriantur. Neſcio ſane, an unquam hanc ſeu expreſſam, ſeu tacitam translationem ratihabuiſſent, ſi ſequelas abſurdas inde promanantes, damna ſuis Eccleſiis illata, deſpotiſmum quemdam in regimine Eccleſiaſtico exinde ſequentem, excidium jurium Eccleſiaſticorum ad cœtum pertinentium prævidiſſent: idcirco jure optimo dubitare licet, an non commune cum Zwinglio (x) principium habuerint & in transferendis juribus Eccleſiaſticis ideo tam liberales fuerint, ut ſibi Imperantes redderent propitios, eosque in ſuas partes traherent, ſine illorum potentiſſimo patrocinio nunquam poſſeſſionem ſuorum jurium, quibus hodie gaudent, acquiſituri. Non enim nobis ſunt incognita illorum principia, Theologorum potiſſimum & Jureconſultorum diverſæ opiniones, & controverſiæ circa *jus in ſacra* (y), dum eorum aliqui *Principi* qua *Principi*, alii *Principi* qua *Epiſcopo* jus in ſacra adſcribunt, alii ſubtiliter inter Jura Majeſtatica, & Collegialia diſtinquunt, ex quibus priora Majeſtati eſſe intrinſeca, & innexa, poſteriora libere in Principes translata,

(t) Mosheim loc. cit. §. 25.

(u) Idem ibid.

(x) Hic voluntatem Principis legislatorem conſtituit.

(y) Vid. diſſert. de ſtatu Eccleſiæ cap. 1. §. 23. & ſeq.

lata, & ſecundum notabilem partem cœtui reſervata eſſe aſſerunt (z). Illud ſaltem ſimpliciter negare non poſſunt, quod formam regiminis Eccleſiaſtici informem ſive irregularem elegerint. An vero hanc ſecundum regulas artis, quas pro regimine mixto Jureconſulti de jure naturæ & forma imperiorum agentes tradere ſolent (a), temperaverint, illorum judicio relinquimus.

Calvinus regimen Eccleſiæ commiſit Presbyterio. In aliud extremum prolapſus fuit Calvinus, qui Imperantes a regimine Eccleſiæ penitus excluſit, ac totum regimen ipſi Eccleſiæ veluti ſe ipſam regenti adjudicavit. Sed quoniam Vir ſagaciſſimus optime perſpectum habebat, quod Eccleſia tanquam *Corpus quoddam Myſticum* ſe ipſam regere non poſſit, jus in ſacra quibusdam Delegatis cum charactere præſentatitio ipſius Eccleſiæ tanquam imperantis principalis negotia Eccleſiaſtica dirigentibus ſub nomine Presbyterorum ſeu ſeniorum (b) demandavit. Quidquid his ſtatuere placuerat, legis inſtar habebatur. *Calvinus ſuæ doctrinæ erat tenaciſſimus.* Virum ſe probavit conſtantem Calvinus, & exactorem rigidioris diſciplinæ exactiſſimum, neque a ſua doctrina vel latum unquem receſſit, eſto Imperantes ſuos ſequaces in tutelam ſuſcipere, illisque ſuam aſſiſtentiam porrigere ob denegatum Jus in ſacra piaculo duxerint. Genevæ, ubi prima ſuæ religionis poſuit fundamenta Calvinus, quodammodo triumphavit; ſed in aliis locis duriora fata experti ſunt aſſeclæ religionis Calviniſticæ: indignabantur enim Imperantes, & ægerrime prorſus ferebant, quod a regimine eccleſiaſtico penitus excluderentur, ſummaque imperii dependeret a *Presbyterio.* Inde multæ oriebantur lites inter *Presbyterium*, & *Imperium.* Genevæ, uti mox dictum, prævaluit Presbyterium; cæteris ſtatibus Helveticis, ut jus Eccleſiaſtico-Calviniſticum reciperent, perſuaderi non potuit, quin potius hi pleniſſimum ſibi *Jus in ſacra* Calviniſtarum vindicarunt.

Secta Calvini pervenit in Galliam. In Galliam quoque penetravit ſecta Calvini, & Calviniſtarum, quos *Hugenotas* vocare conſuevimus: hi ergo cum Jus in ſacra Regibus addicere recuſarent, accedentibus aliis motivis politicis inde proſcripti ſunt (c).

Ex Helvetia & Gallia Presbyteriani diffluxerunt in Scotiam, Angliam,

(z) Ibid.

(a) Vid. Grundriß einer guten Regierung Joh. Gottlob von Juſti.

(b) Duplicis generis Presbyteros ſeu ſeniores ſelegit Calvinus, nempe ſæculares & Clericales, qui tamen æqualem habebant authoritatem.

(c) Vid. Hiſtorici Galliarum paſſim.

In Scotiam, Angliam & Hollandiam; & ubivis excitavit lites & jurgia.

gliam & Hollandiam. In Scotiam ſectam illorum invexit Joannes Knox, ubi mox ingentes enati ſunt tumultus; dum enim Rex Scotorum Jus in ſacra ſibi vindicare contendebat, Presbyteriani plebem concitarunt, cujus compeſcendæ cauſa Rex a ſuis prætenſionibus ceſſavit ſolo ſibi reſervato jure mittendi Legatum ad illorum Synodos ſine voto tamen & ſuffragio, eum duntaxat in finem, ut invigilaret, ne quid in præjudicium Reipublicæ & Regum ſtatueretur.

Hollandi receperunt Sectam Calvini.

In Hollandia diu fuit deliberatum, quam Religionem, Lutheranorum, an Calviniſtarum amplecti vellent. Placuit demum ſecta Calviniſtarum ſeu Reformatorum. Longo ſat tempore hi ſuum in Hollandia Jus in ſacra per Synodos a ſe celebratas exercebant, & quidem usque ad novationem Armenianorum: dum enim hi cum Presbyterianis altercabantur circa ſyſtema gratiæ, mota fuit quæſtio, ad quem pertineat poteſtas ſupremo judicio dirimendi controverſiam: Armeniani illam velut appendicem Juris in ſacra Principibus adſcripſerunt ringentibus Presbyterianis, illamque ſuæ Eccleſiæ repræſentativæ vindicantibus. Varie ſuper hac re deliberatum actumque. Succubuere demum Armeniani, ſolumque purgare juſſi ſunt. Poſtea celebrata fuit Synodus Dordracenſis (d), cui interfuere Delegati Principis, ſed nihil ultimato quoad Jus in ſacra definitum: quapropter ab eo tempore usque nunc ſuper Jure in ſacra, maxime ſuper illius extenſione & reſtrictione in Hollandia controvertitur (e).

Lites inter Presbyterianos & Armenianos.

Celebratur Synodus Dordracenſis.

In Anglia tres ſectæ dominantur.

Ad Angliam veniamus. Tres potiſſimum in Anglia dominantur ſectæ, *Independentium*, *Presbyterianorum*, & *Epiſcopalium*. In eo ſingulæ conveniunt, quod Jus in ſacra Imperantibus denegent, illudque *Eccleſiæ repræſentativæ* vindicent. Porro autem quænam ſit illa *Eccleſia repræſentativa*, nondum inter ipſos non tantum non convenit, ſed mirum in modum diſceptatur. *Independentes* ita dicti, qui originaliter ſunt Brobniſtæ, nullam ſuperioritatem, nullam Jurisdictionem, nullam poteſtatem legislatoriam, nullum Jus in ſacra proprie dictum, ſed ſolum *Jus fraternitatis* in ſua Eccleſia admittunt, ſeque ipſos regunt, & dirigunt, atque ſibi ipſis ſunt lex, norma & regula, ita tamen ut in vim regulæ, ac normæ primariæ primitivam Chriſti & Apoſtolorum Eccleſiam aſſumant. *Presbyteriani* Eccleſiam repræſentativam

Diverſæ earum doctrinæ.

(d) De hac Synodo Dordracenſi ſingularem Diſſertationem ſcripſit Moshemius, in qua demonſtrat, hanc Synodum obſtare, quo minus unquam unio inter Reformatores & Proteſtantes ſperari poſſit.

(e) Vid. idem Author cap. 1. Von dem Kirchen-Recht pag. 168.

vam in ſuis Presbyteris reverentur, quorum alios vocant *Regentes*, alios *Docentes* (f). Hi ergo Jus in ſacra Synodis potiſſimum exercendum adſcribunt, ea tamen lege, ut Eccleſiam ſuam ſecundum normam & imaginem Eccleſiæ jamjam adoleſcentis, prout erat in ſæculo ſecundo, regant, & dirigant. Hi ipſi inter ſe ſunt diviſi, & quidam eorum dicuntur *rigidiores*, alii *mitiores*. Illi priores Principibus ſimpliciſſimum *Jus Advocatiæ* ſine ullo imperio, hi poſteriores aliquale Jus in ſacra, ſed valde reſtrictum in cauſis religionem, & cultum divinum non concernentibus concedunt, ſuper qua re mira animorum contentione in Hollandia præcipue fuit dimicatum tempore, quo ſecta Armeniorum invaluit. Hujus controverſiæ componendæ gratia Hugo Grotius compoſuit celeberrimum illum libellum *de Imperio ſummarum Poteſtatum circa ſacra.*

Examinatur Syſtema Menoniſtarum, Quaquerianorum & Anabaptiſtarum.

Satis prolixe de *Jure ſubſidiario*, & integro ſyſtemate Calvini, quod illius aſſeclæ in diverſas diviſi ſectas amplexi ſunt, egimus. Aliud jam ſyſtema excutiamus, quod excogitarunt *Collegiantes* (g) Menoniſtæ (h) Quaqueriani (i), & Anabaptiſtæ (k), de quibus jam ſupra aliqua diximus.

Hi

(f) Docentes ſunt ſingulariter deputati ad docendum: Regentes ſunt plebeji ex plebe aſſumpti, ambo tamen authoritate, honoribus & redditibus ſunt æquales.

(g) Ita vocantur certæ quædam Societates Eccleſiaſticæ ex diverſis diverſarum Religionum Perſonis conflatæ. Hæ ortum ſuum in Hollandia habuerunt anno 1619. Authores fuere tres fratres van der Kodde dicti. Dicuntur *Collegiantes* ſeu *Collegiati*, quia ſua conventicula vocant *Collegia*. Vid. hiſtoriſches Kirchen- und Kezer-Lexicon Joan. Michael. Mehligs lit. C.

(h) Ita vocantur Anabaptiſtæ, qui dogmata ſequuntur Menno Simonis, qui circa annum 1537. exorti ſunt. Vid. cit. Lexicon lit. M. & Moshemius Inſtit. Hiſt. Eccleſ. ad ſæc. 16. ſect. 3. part. 2. cap. 3.

(i) Secta hominum fanaticorum, cujus author in Anglia fuit Georgius Fox, magiſter artis ſutoriæ circa an. 1647. Sectarii hi primitus diriſſime fuere habiti, tandem ſub Wilhelmo III. per acta Parlamenti recepti. Vid. Lexicon lit. Q.

(k) Sunt duplicis generis craſſiores, antiquiores ſeu inquieti, turbulenti, rebelles; & noviores, ſeu ſubtiliores, pacifici, quieti, & ordinati, quorum origo referenda eſt ad Sæc. 16. Varia habent nomina, dicuntur Rigidi, Excommunicantes, Spirituales, Apoſtolici, Separati, Solitarii, Orantes, Stablarii, Scripturarii &c. Vid. cit. Lex. lit. W.

Digitized by Google

Hi in ſua Eccleſia invexerunt *Statum Democraticum*, integro ſuo cœtui *poteſtatem legislatoriam* una cum *Jure in ſacra* vindicant, ſeque ipſos per leges conventionales dirigunt, regunt, & gubernant. Et quoniam Sectarii hi non modo Imperantibus, & legibus imperiorum fundamentalibus ſe ſubjicere detrectant, ſed etiam alia principia Reipublicæ pernicioſa fovent, a plerisque Regnis & provinciis violenter expulſi ſunt, imo graviſſimis pœnis, igne, ferro, aqua & fune contra ipſos fuiſſe animadverſum legimus: poſtquam vero Menoniſtæ rigorem ſuum hinc inde mitigarunt, per varias Europæ provincias jus Civitatis obtinuerunt (l). Sed de his ſatis. *Hi ſtatum Democraticum invexerunt. Et propterea e Civitatibus expulſi.*

Tandem ad Syſtema Religionis Lutheranorum devolvimur, cui enucleando non nihil accuratius & fuſius inſudandum. Hi ergo in eo potiſſimum gloriantur, quod ſe via regia incedere, & inter duo extrema medium quoddam tam quoad *fundamentum Religionis & Juris Eccleſiaſtici*, quam quoad ipſum *Jus in ſacra* adinveniſſe exiſtiment ad componenda diſſidia peropportunum, Religioni, Eccleſiæ, Reipublicæ, ac ſingulorum juribus conſervandis prorſus aptiſſimum. *Syſtema Religionis Lutheranorum explicatur. Gloriantur quod medium quoddam inter duo extrema adinvenerint.*

Quantum ad *fundamentum Religionis & Juris Eccleſiaſtici* medium in eo ponunt, quod cum cæteris Sectariis ſacram Scripturam in vim legis, ſed non niſi cum ingenti moderamine receperint (m), obſervantiam inſuper primitivæ Eccleſiæ neutiquam ſimpliciter rejecerint, ſed in quantum Evangelio non repugnat, inſtar regulæ prudentialis, a qua non facile recedendum, ſuſpiciant, ac denique *Rectam Rationem* ad ſubſellia Judicis recta judicantis elevaverint. De hoc ſermo fuſior nobis erit §. ſeq.

Quantum ad *Jus in ſacra*, prout in ſe complectitur jus ferendi leges, ordinandi diſciplinam, & dirigendi negotia Eccleſiæ, haud ſecus *Quale jus in ſacra ſuis principibus concedant.*

(l) Hæc fuſiori calamo refert Moshemius loc. cit. Ubi inter alia hæc habet: *Innumeri in omnibus fere Europæ regionibus hujus generis homines aqua, fune, igne, gladio miſere perire, quam opinionibus, quas ſemel animis conceperant, renuntiare maluerunt. Et magnæ idcirco molis volumina hodie monſtrant Mennonitæ, quibus res geſtæ & ſuprema fata eorum perſcripta ſunt, qui ex gente ſua morte, quæ vel in Rempublicam, vel in Eccleſiam admiſiſſe videbantur, expiarunt.* Varios receſſus Imperii, & edicta Cæſarea contra Anabaptiſtas recenſet Boehmer ad Tit. de Apoſt.

(m) E. g. Quod non niſi Scripturam novæ legis admiſerint; quod inter leges Chriſti *perpetuas*, & *temporales* diſtinxerint &c. Vide §. ſeq.

cus ſe quoddam medium inveniſſe gloriantur Lutherani, dum *Jus in ſacra* in ſuos Principes non irreſtrictum, non illimitatum, ſed ſaluberrimis limitationibus coarctatum ſe tranſtuliſſe, & hac ratione Eccleſiæ, quæ ſunt Eccleſiæ, & Principi, quæ ſunt Principis reddidiſſe exiſtimant. De Syſtemate Lutheranorum quoad *Jus in ſacra*, & diverſis illorum opinionibus plura alibi diximus (n.). Juvat rem ab ovo repetere, & quæ ibi a nobis ſunt prætermiſſa, ſupplere.

Lutherus novum Jus Eccleſiaſticum introducere conabatur. Cum Lutheri induſtria in eo potiſſimum ſudaret, ut Eccleſiam reformaret, & Jus Pontificium prorſus eliminaret, in id ſibi eſſe incumbendum exiſtimavit ut Jus novum Eccleſiaſticum ſacræ Scripturæ & antiquis Eccleſiæ conſuetudinibus longe conformius, ſi ſuperis placeret, introduceret. Id autem potiſſimum criminabatur Lutherus contra Pontifices, quod non *Eccleſiæ* tantum, ſed ipſis etiam *Criminatur contra Pontifices.* Principibus ſæcularibus quam plurima jura ſubtraxerint, ſibique per fas & nefas propria fecerint. Itaque duo tanquam principia inconcuſſa ponebat, ſecundum quæ Jus Eccleſiaſticum foret reformandum, quorum primum erat, Eccleſiæ ſua jura violenter erepta eſſe vindicanda; alterum, Principibus quoque ſæcularibus jura quædam Eccleſiaſtica eſſe adſcribenda, aut poſtliminio reſtituenda. Verum enim vero ambo hæc principia fatentibus ipſis Lutheranis ſunt obſcura, multa *Obſcura & incerta ponit principia.* opus habent elucidatione, & nec a Luthero, nec ab ejus aſſeclis in hodiernam usque diem ſufficienter ſunt eliquata: illud primum quidem, quod nondum conſtet, quidnam nomine *Eccleſiæ*, an cœtus omnium Eccleſiarum, vel Eccleſia quædam *repræſentativa* intelligatur, & quænam ſint illa jura, quæ a Pontificibus huic *Eccleſiæ* fuerunt ſubtracta; illud ſecundum autem, quod Lutherus non indigitaverit illa jura Principibus vindicanda, multo minus horum limites determinaverit, aut explicaverit, utrum ſub nomine eorum jura ſolummodo *Majeſtatica*, vel etiam *Collegialia* intelligantur. Quapropter ad noſtra usque tempora inter Lutheranos vehementiſſime diſcepatur de his juribus, illorumque finibus determinandis, ac inter ipſos tot dantur Jura, quot communitates, quin jus quoddam univerſale apud ipſos obtineat (o).

Id

(n) In Diſſert. de Statu Eccleſiæ &c.

(o) Luther führet die Verbeſſerung des Kirchen-Rechts nicht aus. Mosheim cap. 4. pag. 549. Er hat das Recht der Obrigkeit bey der Kirche nicht genau beſtimmet. Er zeiget weder deſſen Gröſſe noch Gränzen an pag. 548. In unſerer Kirche iſt noch kein Jus Eccleſiaſticum univerſale angenommen. Es iſt das Kirchen-Recht in einer Kirche ganz anders beſchaffen, als in der anderen:

Jus novum ſed imperfectum valde inchoavit.

Id ergo duntaxat gloriæ relictum eſt Luthero, quod jus Eccleſiaſticum novum, ſed imperfectiſſimum prorſus inchoaverit: jura Principum a longe indigitaverit, eisque *Jus in Sacra* ſed limitatum valde adſcripſerit, & quidem ſub duplici clauſula *ſalvo jure tertii*, *ſalvis juribus Eccleſiæ* : Item *conſultis Doctoribus Eccleſiæ* (p.)

Primus Jus in ſacra exercuit Joannes Elector Saxoniæ.

Primus, qui Jus in ſacra non ſine formidine & cum multo moderamine exercere attentavit, fuit Joannes Elector Saxoniæ, qui anno 1526. omnes ſuæ provinciæ Eccleſias non per ſe, ſed per ſuos delegatos, & quidem per duos Conſiliarios a ſe nominatos, tres Statuum provincialium deputatos, & quosdam Eccleſiarum Miniſtros, inter quos fuit Melanchton, viſitavit, & in hac viſitatione haud pauca innovavit: Cum enim *Jus in Sacra* nondum ſatis eſſet determinatum, ipſa Religio Lutherana adhuc ſat firmo pede non conſiſteret, & nutaret, ac nondum inter Lutheranos de abolendis vel retinendis Epiſcopis conventum eſſet, noluit Elector *Jus in Sacra* ſine Conſilio, ope, & auxilio Statuum Provinciæ, & ipſorum Eccleſiaſticorum Miniſtrorum privative exercere. Atque hoc modo res ſe habebat usque ad Pacem Religioſam, quin Lutherani Jus aliquod Eccleſiaſticum Proteſtanticum ſtabile, firmum & certum, multo minus ſolidum quoddam fundamentum, cui jus in ſacra Principum ſuorum inniti potuiſſet, haberent (q).

Sed valde moderate, & quare?

Origo Juris in Sacra referenda ad Pacem Weſtphalicam.

Igitur prima origo Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici & Juris in Sacra, ſi Moshemio credendum eſt, referenda eſt ad tempus dictæ Pacis Religioſæ. Hæc prima jecit fundamenta, quibus usque nunc nititur Religio Proteſtantica, hæc Sectam Lutheranorum civitate donavit, tanquam Societatem legitimam recepit, Jus Diœceſanum ſuſpendit, *Jus in Sacra* in Principes tranſtulit. Ita refert Moshemius loc. cit. (r).

 Porro

und wir müſſen, wann wir die Wahrheit ſagen wollen, ganz offenherzig geſtehen, daß das Recht in unſerer Kirche noch dunkel, zweifelhaft, und unbeſtimmt geblieben ſeye.

(p) Idem pag. 155.

(q) Mosheim Allgemeines Kirchen-Recht Hauptſt. IV. pag. 544. & ſeq.

(r) Idem ibid. pag. 534. Durch den Religions-Frieden ward die Evangeliſche Gemeinde für eine rechtmäßige Geſellſchaft erkannt, und den Evangeliſchen Fürſten wurde das ganze Jus circa Sacra, eben dasjenige Recht, welches vorher die Biſchöffe gehabt hatten, und mithin das Recht, das der Pabſt gehabt hatte, von dem Kayſer und dem Reiche eingeräumet.

Moſhemius orrigitur. Porro autem ubinam ſcriptum legitur, quærere liceat, quod Secta Lutheri ad inſtar Societatis legitimæ civitate fuerit donata, & Jus in Sacra in Principes translatum? Id unice cautum fuit §. 15. ne Statibus Imperii propter Religionem Proteſtanticam in ſuis territoriis ulla vis aut violentia inferatur, neve aut deſpectui habeantur, aut in ſuis poſſeſſionibus & juribus turbentur (s). Nihil hic de tolerantia univerſali, multo minus de receptione publica Religionis & ſectæ Evangelicæ, aut exercitio publico ſubditorum diſpoſitum legitur (t). Poſtea in §. 20. Jus Diœceſanum fuit ſuſpenſum, quin vel verbulo indigitatum fuerit, a quo poſthac jura Pontificia & Epiſcopalia, ac totum Jus in Sacra exerceri poſſit & debeat. Si dicat Moſhemius, *Jus in Sacra* neceſſario in Principes fuiſſe transferendum, utpote qui illud jam ante Pacem Religioſam exercuerunt, & in locum Epiſcoporum ſubintrarunt, petit principium, & ſibi ipſi contradicit. Cum enim Moſhemius ipſe cum zeloſioribus Theologis Proteſtanticis inter jura *Majeſtatica* & *Collegialia* diſtinguere ſoleat, doceatque, quod hæc jura Collegialia ex conſenſu tacito vel præſumpto, vel conceſſione quacunque (u) Cœtus Proteſtantici in Principes fuerint devoluta, imo fateatur, quod non fuerit in poteſtate Imperatoris & Imperii *Jus in Sacra* transferendi in Status & Principes (x), ſane non video, quomodo Moſhemius tam libere hæc ſcribere potuerit. Interim id libenter ipſi concedimus, quod prima auſpicia Juris in Sacra in Principes translati ex pace Religioſa peti debeant.

Jam

(s) So ſollen die Kayſerl. Majeſtät, auch Churfürſten, Fürſten, und Stände des H. Reichs keinen Stand des Reichs von wegen der Augſpurgiſchen Confeſſion, und derſelbigen Lehr, Religion, und Glaubens halben mit der That gewaltthätiger Weis überziehen, beſchädigen, vergewaltigen, oder in andere Wege wider ſein Gewiſſen ic. dringen ꝛc. ſondern bey ſolcher Religion, Glauben ic. auch ihrem Haab, Gütern, Land, Leuten, Herrſchaften, Obrigkeiten, Herrlichkeiten, und Gerechtigkeiten ruhiglich und friedlich bleiben laſſen.

(t) Summi & excelſi Nominis Author in Compendio Hiſtoriæ Gravaminum pag. 10. bis zu endlicher Chriſtlicher Vergleichung der Religion die geiſtliche Jurisdiction ruhen, eingeſtellt, und ſuſpendirt ſeyn, und bleiben.

(u) vid. Mosheim pag. 570.

(x) Der nächſte Grund des geiſtlichen Rechtes der Evangeliſchen Fürſten iſt ſonder Zweiffel der Religions- und der Weſtphäliſche Friede. Allein dieſes iſt doch nur ein Fundamentum politicum. Die Kayſer, und die andere Fürſten haben nichts vergeben können, das ſie ſelber nicht gehabt, und beſeſſen haben.

Quomodo Principes jus in Sacra exercuerint usque ad Pacem Weſtphalicam.

Jam ulterius cum Moſhemio progrediamur, & qua arte Principes *Jus in Sacra* usque ad tempus Pacis Weſtphalicæ exercuerint, videamus: nempe ſummo cum moderamine, ita quidem, ut ferme eandem regiminis Eccleſiaſtici formam ſolis mutatis nominibus retinuerint, Status provinciales in illius participium admiſerint, quin & Miniſtros Eccleſiarum ab exercitio ſuorum jurium non excluſerint (y).

Jus in Sacra obtinuerunt in Pace Weſtphalica.

Tandem in Pace Weſtphalica Jus in Sacra Principibus ſæcularibus teſte Moſhemio pleniſſime confirmatum, ſtabilitum, roboratum, mirum in modum auctum, extenſumque fuit, ut in ea plenitudinem poteſtatis accepiſſe videantur, utpote in qua *Superioritas Territorialis*, antea incognita etiam quoad Eccleſiaſtica eisdem attributa, huic vero *Jus in Sacra* fuit annexum. Ex hac jam Superioritate Proteſtantes plures trahebant ſequelas Miniſtris Eccleſiaſticis non minus quam Statibus Provincialibus atque ipſi Cœtui Proteſtantico ſumme præjudicioſas: Inde enim deducebant *jus reformandi* quaſi irreſtrictum relicto ſubditis ſolo flebili beneficio emigrandi. Inde ulterius inferebant, Miniſtris Eccleſiarum plus Juris in rebus Eccleſiaſticis non competere, ac cœteris ſubditis; inde denique occaſionem ſumebant Status provinciales penitus excludendi ab exercitio Juris Eccleſiaſtici, omniaque jura Eccleſiæ collegalia privative exercendi, & hac ratione novum prorſus Jus Eccleſiaſticum introducebant (z). De objecto prorſus ampliſſimo hujus Juris in Sacra mox infra.

Ex ſuperioritate territoriali peſſimas deducebant ſequelas.

Prius

(y) Alle unſere Evangeliſche Fürſten und Stände haben ſich diejenige Gewalt in der Kirche, die ihnen in den Religions-Frieden war eingeräumet worden, mit einer ſehr groſſen Mäßigung bedienet. pag. 560. Sie beriefen die Lands-Stände, und befragten ſie, ſie ſchloſſen auch die Prediger nicht gantz aus, und glaubten, daß man ſie wenigſtens um Rath fragen müſſe. Wir behielten lange die Idee von einer repræſentirenden Kirche im Kopfe ꝛc. pag. 588. In Anſehung der äuſſerlichen Form erhielt das Kirchen-Recht folgende Geſtalt. Die Fürſten behielten die alte Einrichtung im Pabſtthume, und wir haben nur die Nahmen, und die Perſonen geändert. In der Römiſchen Kirche übet der Pabſt und die Biſchöffe das Kirchen-Recht, in der Proteſtantiſchen die Fürſten. Anſtatt der Biſchöflichen Gerichte ſind die Conſiſtoria verordnet.

(z) Aus der Superiorität zog man die Folge, daß die Geiſtliche nicht mehr Recht hätten, als die übrigen Unterthanen des Landes, die Jura Statuum, oder der Landes-Stände ſind auch dadurch ſehr geſchwächet worden, und wir haben ein gantz neues Jus Publicum und Eccleſiaſticum bekommen. pag. 588.

Quænam fundamentum Juris in Sacra?

Prius de fundamento hujus *Juris in Sacra* in Principes tranſlati diſpiciamus, de quo nos alibi egimus (a). Quæſtionem de fundamento *Juris in Sacra* Moshemius in ordine ad Lutheranos inter quæſtiones ſcholaſticas reponit, in ordine ad Catholicos vero, ſi hos inter, & Lutheranos lis oriatur, ſummi & tanto majoris momenti eam eſſe opinatur, quanto majus præjudicium ſeu Eccleſiæ Proteſtanticæ, ſeu Eccleſiæ Chriſtianæ in genere inde enaſci poſſet, ſi in ſtatuendo fundamento error committatur.

Pax religioſa non eſt illius fundamentum.

Tanquam fundamentum primarium *Juris in Sacra* Moshemius ponit ipſam Pacem Religioſam (b). Porro autem mox ſe ipſum corrigit, & libere fatetur, fundamentum iſtud eſſe mere *politicum*, cum utique nec Carolus V., nec cæteri Principes Imperii Jus iſtud, quod non erat ſuum, in alios transferre potuerint. Et ſi Pacem Religioſam pro fundamento *Juris in Sacra* ponamus, quo jure Principes nonnulli Septentrionales, qui in participium Pacis Religioſæ non veniunt, illud exercere poſſunt, aut cæteri Principes Proteſtantici, quibuscum pax fuit inita, ante Pacem Religioſam illud exercere potuerunt (c)?

Quaſi innumeræ de hoc fundamento ſunt opiniones.

Itaque de alio fundamento cogitandum, illudque ſive e Sacra Scriptura, ſive ex *Recta Ratione* eruendum erit. Tot ſyſtemata hac in re ad-

(a) In Diſſert. de Statu Eccleſiæ cap. 1. §. 23.

(b) Der nächſte Grund des geiſtlichen Rechts der Evangeliſchen Fürſten iſt ſonder Zweiffel der Religions- und der Weſtphäliſche Friede. Allein dieſes iſt doch nur ein Fundamentum politicum. Der Kayſer, und die andern Fürſten haben nichts vergeben können, das ſie ſelber nicht gehabt, und beſeſſen haben.

(c) Zudem gehet der Friedens-Schluß nur auf unſere deutſche Fürſten. Es ſind aber andere Fürſten, e. g. die Nordiſchen, die keinen Antheil an dem Religions-Frieden haben; mit welchem Rechte haben dieſe das Jus circa Sacra bekommen, und aus welchem Grunde ſollen dieſe ſolche Rechte beſitzen? Wenn das Jus circa ſacra aus dem Religions-Frieden hergeleitet werden ſolle, ſo tritt dieſes dem Recht der Fürſten ſehr zu nahe, denn die von uns ſogenannten Jura Majeſtatica, die aus dem Obrigkeitlichen Amte flieſſen, kommen nicht nur der Obrigkeit ſchlechterdings zu, und gründen ſich in keinen Friedens-Schlüſſen, ſondern ſind auch ſchon vor der Reformation von Kayſern, Königen, und Fürſten geübet worden. Item Pfaffius in Academiſchen Reden pag. 99. So irren auch die, die da meynen, die Fürſten haben die Kirchen-Rechte durch den Religions-Frieden erhalten. Es kan aber dieſe Meynung, die wahrhaftig recht ſchädlich iſt, deßwegen nicht Platz ergreiffen, weilen die Kirchen-Rechte, die die Fürſten haben, aus der Inſpectione generali herflieſſen, und von ihnen vorhin exercirt worden.

Digitized by Google

adinventa, & excuſa ſunt, ut vix in numerum cogi valeant. Decem refert Moshemius (d), haud pauciora Pfaffius (e). Nos multa, eaque præcipua recenſuimus alibi (f), quæ hic referre non vacat. Quædam ibi prætermiſſa hic ſupplebimus.

Omnia ſyſtemata ſunt defectuoſa, Thomaſianum præcipue.

Nullum hactenus fuit adinventum ſyſtema in ſtatuendo fundamento *Juris in Sacra*, quod teſte Moshemio (g) non eſſet defectuoſum, & periculoſum. Inter hæc illud exiſtimat eſſe defectuoſiſſimum & periculoſiſſimum, quod *Jus in Sacra* ex *Superioritate Territoriali* cum Thomaſio, & hujus ſequacibus deducit. Exinde enim per neceſſariam conſequentiam ſequitur Cæſareo-Papia, confuſio totalis Eccleſiæ cum Imperio, omnimoda excluſio cœtus Eccleſiaſtici a regimine, vel ſi dicere præplacet, directione eccleſiaſtica: inde ortum ſuum trahunt querelæ & gravamina Theologorum Proteſtanticorum contra Jureconſultos Proteſtanticos, lites & diffidia inter hos ipſos, inde denique excidium jurium Eccleſiaſticorum ex ipſis juris naturalis publici principiis penes Eccleſiam reſidentium (h).

Syſtema quod diſtinguit inter jura Majeſtatica & Collegialia hodie eſt celeberrimum.

Illud ſyſtema hodie inter cætera eſt celeberrimum, & paſſim a Theologis Proteſtanticis defenditur, & etiam a Jureconſultis jamjam hinc inde adoptatur, quod inter *Jura Majeſtatica*, & *Collegialia* diſtinguit.

Maje-

(d) Pag. 568. (e) Pag. 98. (f) In Diſſert. de Statu Eccleſ. loc. cit.

(g) Pag. 565.

(h) Nomen illud *Superioritas territorialis* teſte Moshemio pag. 588. antea fuit incognitum, & ex Gallia in Germaniam fuit arceſſitum. Syſtema hoc, quod Jus in Sacra e Superioritate Territoriali derivat, oppido eſſe periculoſiſſimum in terminis terminantibus affirmat Moshemius dicens: Auſſer dem, daß dieſes Syſtem nicht bewieſen iſt, nicht bewieſen werden kan, und die mehreſten Fürſten ſelbſt daſſelbe durch ihren Praxin verwerffen, muß noch dieſes bemercket werden, daß ſolches das allergefährlichſte von der Welt iſt, und eben daher kommt es, daß unſere Juriſten nach und nach daſſelbe ablegen, und verwerffen. pag. 578. & pag. 596. ſic habet: Aus dieſem Syſtem iſt die übermäßige Freyheit zu denken eingeführt, haben die Prediger vieles von ihrem Anſehen verlohren, und daraus ſind andere Folgen entſtanden, die in der That der Religion ſchaden. Denn wenn das Anſehen der Lehrer fällt, ſo fällt auch zugleich das Anſehen der Religion. Man hat daher auch von der Zeit an geſehen, wie ſehr unſere Religion iſt verachtet worden, und wie die Geringſchätzigkeit der geiſtlichen Dinge mehr und mehr eingeſchlichen.

Digitized by Google

Majeſtatica ex *Superioritate territoriali*, *Collegialia* ex libera translatione, & conventione ſaltem tacita inter Eccleſias Proteſtanticas, & Principes territoriales derivare conſueverunt. Quænam vero ſint *Jura Majeſtatica*, & *Collegialia*, nondum inter ipſos convenit. Quantum ad *Jura Collegialia*, illorum doctrina in eo conſiſtit, quod Eccleſiam faciant ſocietatem æqualem, eidemque quædam jura ex natura Collegiorum, & a primæva inſtitutione Chriſti propria aſſignent. Hæc jura ſucceſſive Pontifices & Epiſcopi Eccleſiæ ſubtraxerunt, ſibique inique appropriarunt, & contra omne jus exercuerunt, usque dum per Pacem Religioſam ab illorum exercitio excluſi fuerunt.

Explicatur Syſtema de juribus collegialibus.

Jam hæc jura Eccleſiaſtica, inquiunt, ex principiis generalibus Jurisprudentiæ naturalis publicæ poſt Pacem Religioſam poſtliminio ad Eccleſiam ſeu ipſum cœtum revertebantur. Verum eæ erant rerum circumſtantiæ, ut cœtus Evangelici hæc jura exercere vel non voluerint, vel non potuerint. Quapropter tacita conventione in ſuos Principes illa tranſtulerunt, utpote qui illa jam ante Pacem Religioſam exercuerunt.

Moshemius impugnat tacitam conventionem & translationem jurium collegialium in Principes.

Tacitam hanc conventionem & translationem vehementiſſime impugnat Moshemius, non quidem, ut nobis videtur, quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum. Nam, ut ait, bene diſtinguendum eſt inter meram taciturnitatem, & tacitam conventionem vel translationem: eſto enim Eccleſiæ Proteſtanticæ tacuerint, & ſuis Principibus jura collegialia uſurpantibus non contradixerint, ex hac tamen taciturnitate neutiquam arguenda eſt tacita conventio, cui veluti ſuo fundamento *Jus in Sacra* a Principibus occupatum inniti poteſt: nam ut hæc tacita conventio & translatio cum fundamento affirmari valeat, requiritur, ut plebs neceſſariam ſuorum jurium a Principibus tunc uſurpatorum notitiam habuerit, quæ ſane non tam facile pro illis temporum circumſtantiis in plebe præſumi potuit (i).

Idem explicat ſuum ſyſtema.

Itaque aliud adhuc fundamentum in ſubſidium eſſe aſſumendum exiſtimat Moshemius, quo velut legitimo titulo hæc occupatio jurium Eccleſiaſticorum ex parte Principum muniri valeat. Poſtea ſuam opinionem, ſi quid ego ſapio, hunc in modum explicat: nempe diſtinguit ille

(i) Rem explicat hoc modo: nam demus, quod ego jura cujuscunque tertii occupem, hic tertius vero taceat, ſane inde non ſequitur, quod occupatio & uſurpatio juris alieni ſit juſta, & ego jus alterius juſte poſſideam, ſi hic jus ſuum ignoret.

ille inter primam Jurium Eccleſiaſticorum occupationem, & continuatam illorum poſſeſſionem.

Poſtquam nempe in Pace Religioſa Pontifices & Epiſcopi hiſce juribus Collegialibus exciderunt, illa modo ſupra dicto ex principiis Jurisprudentiæ naturalis publicæ ad ipſas Eccleſias reverti debuiſſent. Quia vero plebs Evangelica hæc jura ſibi vindicare noluit, vel ob ignonorantiam occupare neglexit, Principes territoriales illa occuparunt, ſibique vindicarunt. Et quoniam e bono Eccleſiæ ita exigentibus rerum neceſſitatibus eſſe viſum fuerat, ut hæc jura potius a Principibus, quam a cœtibus Eccleſiaſticis exercerentur, demum in continuationem poſſeſſionis horum jurium Cœtus Evangelici conſenſerunt, & per ſupervenientem conſenſum ſaltem tacitum Principes in ſua poſſeſſione Juris in Sacra corroborarunt. Id ergo, ni vehementiſſime fallamur, inter hanc Moshemii, & aliorum Doctorum Proteſtanticorum opinionem, intereſſe videtur, quod hi antecedentem translationem, vel ſaltem tacitam conventionem, ille vero conſenſum & confirmationem ſupervenientem fingat (k). Cum Moshemio conſentire videtur Joannes Pütterus in Elementis Juris pubici, dum ait: *Pro diverſo autem hoc jurium circa Sacra Evangelicorum fonte liquet, nec ſolum illa omnia ex Superioritate territoriali, nec ex tranſlata poteſtate Epiſcopali vel Papali, nec demum ex libero Eccleſiæ jure collegiali derivari poſſe; ſed alia quidem ex ſolo jure territoriali, alia ex reddita Eccleſiis Evangelicis libertate, earumque cum conſenſu ſive expreſſo, ſive tacito pro conſuetudine ejus ævi jurium epiſcopalium ſeu papalium a Statibus Evangelicis facta occupatione, promanare* (l).

Quid inter ſyſtema Moshemii, & aliorum intersit.

Cœterum ſecum ipſo mirum in modum & ita luctatur Moshemius, ut, quid finaliter ſtatuere debeat, ipſe ignorare videatur, quare ultimato ſic concludit: In hac oppido ancipiti quæſtione hoc ſolum cum veri-

Quid denique ſentiat Moshemius, ultimato explicat.

(k) Der Conſenſus des Volckes iſt gar nicht zu beweiſen. Soll jemand ſtillſchweigend Beyfall geben, ſo muß er einen Begriff von dem Rechte haben, worein er williget. Er muß ſein Recht verſtehen, und muß wiſſen, daß er daſſelbe hat. Er muß auch die Freyheit haben, auf ſein Recht zu dringen. Allein wie ſollen wir dieſes bey dem Volk beweiſen? Unſere Gemeinden kannten ihr Recht nicht, ſondern, ſo wie man es machte, meynten ſie, müſſe es ſeyn. Mit der ſtillſchweigenden Einwilligung, wenn man die Sache ſcharf, und ſie allein nimmt, ſiehet es ſehr ſchlecht aus, es muß noch ein anderer Grund hinzugethan werden pag. 772. & ſeq.

(l) Lib. 4. cap. 12. §. 759.

veritate dici poteſt: Quidquid principiis ſanæ rationis & religionis non repugnat, & ad dirimendas lites, ad conſervandam pacem religionis, Eccleſiæ, & Reipublicæ eſt optimum, illud omnino eſt approbandum, & pro juſto habendum: At vero hæc conventio, hæc translatio juris in Sacra in Principes facta neque principiis religionis, nec rectæ rationis repugnat, atque ad componenda diſſidia ad conſervandum nexum inter Eccleſiam & Imperium prorſus eſt aptiſſima: Ergo &c.: Aut enim Eccleſia ſibi ipſi exercitium juris in Sacra reſervat, ſeque ipſam dirigit, regit, & gubernat, aut illud in ſuos Doctores, vel alios a ſe *Delectos*, & cum charactere præſentatitio *Deputatos* transfert? Se ipſam regere nequit, cum plerique de plebe ſufficientem religionis notitiam, & rerum agendarum dexteritatem non habeant: Unde factum eſt, ut jam in primitiva Eccleſia jus repræſentandi univerſum cœtum obtinuerit, & una cum ſumma regiminis penes Apoſtolos reſederit. Jus illud in Sacra in Doctores & Miniſtros Eccleſiarum transferre res oppido periculoſa Moshemio videtur, eo quod hi limites ſuæ poteſtatis facile excedere ſoleant, prout longæva experientia ad tempora usque reformationis commonſtravit. Idem metuendum, ſi *Delectis* quibusdam ſumma regiminis Eccleſiaſtici committatur. Eſto enim in Societatibus Eccleſiaſticis minoribus hujuscemodi forma regiminis ſuo modo Ariſtocratici ſit bona valde, in amplioribus nihilominus Eccleſiis erit mater diſſidiorum, litium, ac tumultuum. Argumento luculentiſſimo ſunt tumultus, quos ſectæ Presbyterianorum per Provincias Belgii, & regnum Scotiæ diffuſæ usque nunc frequentiſſime excitarunt. Supereſt ergo ut *Jus in Sacra* committatur Principibus territorialibus, quibus ſat authoritatis eſt ad componenda diſſidia, ad conſervandam pacem, & nexum inter Eccleſiam & imperium, ad compeſcendos tumultus aliaque incommoda avertenda, id quod tunc maxime ſperandum erit, ſi Principes, prout in pleriſque locis facere aſſolent, adminiſtrationem ſuorum jurium tam *Majeſtaticorum*, quam *Collegialium* Collegio virorum doctorum ex ſtatu tam Eccleſiaſtico, quam Laicali aſſumptorum, quod Conſiſtorium appellant, committant (m).

De objecto Juris in Sacra.

Usque nunc emenſi ſumus *Jus in Sacra*, illiusque fundamentum, de quo tantopere inter ipſos Doctores Proteſtanticos controvertitur. Jam objectum illius emetiamur, quod non minus eſſe dubium & controverſum facile dignoſcitur. Aperto Marte congrediuntur Theologi Proteſtan-

(m) Moshemius cap. 4. §. 6. & ſeq.

De hoc inter ſe litigant Theologi, & Juriſconſulti.

teſtantici cum Jureconſultis, Inter hos ſunt perpetua diſſidia, dum Theologi Jus in Sacra intra certos limites modeſte reſtringunt; Juriſconſulti ultra modum dilatant, illi Jura Collegialia cum Majeſtaticis commiſcent & confundunt, Miniſtris Eccleſiaſticis ſua jura penitus e manibus eripiunt, eorumque authoritatem ad ima deprimunt, negotia Eccleſiaſtica ſoli Principi dirigenda committunt, & cum Thomaſio Eccleſiam quaſi in meram Rempublicam transformant; hi vero quantum ſalvis legibus politicis poſſunt, cœtui Eccleſiaſtico jura Collegialia aliqua ſaltem vindicare, Miniſtris Eccleſiarum ſuam qualemcunque authoritatem in dirigendis negotiis, & decidendis cauſis eccleſiaſticis hactenus poſſeſſam conſervare contendunt, & contra abuſus & exceſſus Principum ſua gravamina etiam in publicum propalare non formidant, de quo nos alibi plura diximus. (n).

Moshemius perſtringit abuſum Juris in ſacra.

Ipſe ſane Moshemius, eſto hinc inde moderatum *Juris in ſacra* uſum quorundam Principum plurimum dilaudet, ſibi tamen temperare non potuit, quo minus ingentes abuſus graviter perſtringeret, & ingentia damna inde Religioni, Eccleſiæ, & Reipublicæ metuenda vivis coloribus depingeret. Quædam ex illo delibare liceat, quæ ad Catholicorum quoque inſtructionem facere videntur, utpote qui, dum perverſa hujuscemodi principia in Authoribus Proteſtanticis legunt, & in regimine tam Eccleſiaſtico quam Politico apud Principes Proteſtanticos uſum habere norunt, illa cum ingenti Religionis & Eccleſiæ Catholicæ detrimento in ordine ad regendas provincias Catholicas incauti applicant. Lubeat igitur audire Moshemium, qui contra Syſtema Thomaſii, & illius ſequacium *Jus in Sacra* quaſi illimitatum Principibus vindicantium ita ſcribit:

So viel iſt (NB. durch die Grund-Sätze Thomaſii) ausgerichtet worden, daß das Anſehen der Geiſtlichkeit und verſchiedener Rechte derſelben von der Zeit an ſehr ſeynd eingeſchränket worden, und dieſe ſogenannten Jura Eccleſiarum faſt ganz und gar untergegangen, und viele Dinge, wenigſtens in einigen Ländern, eingeführet ſind, die in der That ſowohl zum Schaden der Kirche als des Staats und des gemeinen Weeſen gereichen (o).

Et iterum: Es iſt darburch viel Böſes geſtiftet worden: Iſt die übermäßige Freyheit zu denken und zu ſchreiben in Deutſchland eingefüh-

(n) In Diſſert. de Statu Eccleſ. (o) Hauptſt. IV. pag. 592.

ret, haben die Prediger vieles von ihrem Anſehen verlohren, und daraus ſind andere Folgen entſtanden, die in der That der Religion ſchaden. Denn wenn das Anſehen der Lehrer fällt, ſo fällt auch zugleich das Anſehen der Religion. Die Welt verknüpfet ſtäts die Religion, und die Vorſteher der Religion. Man hat daher auch von der Zeit an geſehen, wie ſehr unſere Religion iſt verachtet worden, und wie die Geringſchätzigkeit der geiſtlichen Dinge ſich immer mehr und mehr eingeſchlichen, und jetzt überall ausgebreitet hat. Allein eben daraus wird dem Staate und dem gemeinen Weeſen ein groſſer Nachtheil erwachſen. Unſere Nachkommen werden es erſt erfahren, was es dem Staate für Schaden und Nachtheil bringe, wenn die Religion geringe geſchätzet, und verachtet wird. (p).

Poſtea ſubjungit duo remedia ad reformandam Eccleſiam, & tollendos abuſus oppido neceſſaria, dicens: Wäre zu wünſchen, daß die Rechte der Kirche in einigen Ländern unſerer Kirche nicht möchten gar unterdrücket, ſondern vielmehr beſtätiget, und erweitert werden. Würde es zur Ehre der Religion und zur beſſeren Einrichtung der Abſichten des Lehr-Amtes kein geringes beytragen, wenn das Anſehen und die Einkünfte der Geiſtlichen verbeſſeret und vermehret würden. Die Rechte der Kirche werden an einigen Orten zu ſehr unterdrücket, und es fehlet nicht viel, daß man das Jus circa Sacra auf die Gewiſſen ausdehnet (q). Endlich wäre zu wünſchen, daß man auch die Einkünfte und das Anſehen der Geiſtlichkeit vergröſſerte, und verbeſſerte. Ein Lehrer muß nothwendig Anſehen haben. Darunter leiden die weltlichen Herren nichts; denn ſie können ſich durch den weltlichen Arm, Ehre und Anſehen genug verſchaffen. Bey den Geiſtlichen aber ſind keine Waffen; und daher ſolte billig die Obrigkeit ihnen einen gewiſſen Grad der Ehre und des Anſehens geben, damit die Religion ſelbſt dardurch mehr Anſehen erhielte. Aus dieſem Mangel des Anſehens kommet es, daß wenig Leute von Stande ſich dem geiſtlichen Stand widmen, und es wäre doch zu wünſchen, daß mehrere derſelben die Gottesgelahrtheit ſtudirten. Da nun diejenigen, welche die Theologie

(p) Pag. 596.
(q) Pag. 603. Ubi id etiam exemplis illuſtrat e. g. in conſtitutione miniſtrorum Eccleſiaſticorum, quæ ſane ad jura Collegialia pertinere dignoſcitur.

Google

ſie ſtudieren, gemeiniglich nicht von Stande ſind, ſo haben ſie auch nicht allezeit eine gar gute Erziehung gehabt, und wiſſen alſo nicht ſtets in Geſellſchaften den Character, der ihnen zukommet, zu behaupten, woraus Verachtung entſtehet.

Eben ſo iſt es mit den Einkünften der Geiſtlichkeit; haben die Geiſtliche wenig Einkünfte, ſo haben ſie auch kein Anſehen. Sie müſſen mehr Werke der Liebe ausüben, als andere, daher müſſen ſie auch billig mehr Einkünfte haben. Wir wollen aus politiſchen Gründen darthun, daß die Geiſtlichen mehr Ehre und Anſehen haben ſolten. Es klagt jetzo alle Welt über den Deſpotiſmus, der ſo ſehr einreiſſet. Der Wille des Fürſtens gehet über alles. Es iſt aber kein ſtärkeres Mittel dagegen, als die Religion (r). Wenn aber die Religion gegen den Deſpotiſmus gebrauchet werden ſoll, ſo müſſen die Geiſtlichen mit mehr Anſehen und Einkünften verſehen werden. Die Religion, das Anſehen, und die Einkünfte der Geiſtlichkeit ſeynd ſehr mit einander verbunden. Wird die Geiſtlichkeit ihrer Ehre und ihrer Einkünften beraubet: ſo wird die Religion fallen, und alsdann wird der Deſpotiſmus überhand nehmen (s).

In gratiam illorum, quibus lingua Germanica in uſu non eſt, hæc ipſa latine dabimus. Sic ergo ſcribit Moshemius: *Id denique effecit doctrina & ſyſtema Thomaſii, ut authoritas & jura Clericorum, ſeu Miniſtrorum Eccleſiæ graviſſimum ſubierint diſpendium, jura Eccleſiarum ferme penitus interierint, & quamplurima ſtatui tam Eccleſiaſtico quam politico ſumme præjudicioſa fuerint introducta.* Et iterum: *Ex hoc ſyſtemate quamplurima mala profluxerunt: inde enim invaluit in Germania exceſſiva quædam libertas cogitandi & ſcribendi, ſecuta fuit depreſſio, diminutio authoritatis Miniſtrorum Eccleſiaſticorum, inde emanarunt ſequelæ aliæ peſſimæ Religioni extreme nocivæ. Nam corruente authoritate Doctorum ipſam authoritatem Eccleſiæ corruere neceſſum eſt. Ecquis enim ignorat ex communi hominum perſuaſione inter authoritatem Eccleſiæ, & illius Doctorum & Miniſtrorum nexum eſſe individuum, & utriusque authoritatem a ſe invicem dependere? profecto lugubri experientia edocti ſumus, quod ab illo tempore contemptus ingens*

(r) Idem pag. 604. (s) Pag. 605.

ingens Eccleſiæ, & vilipenſio perſonarum & rerum Eccleſiaſticarum irrepſerit, in dies majores ac majores radices egerit, & ſe in omnem ferme orbem diffuderit. Verum enim vero quid inde ſequi neceſſe eſt, niſi damna graviſſima in Statum Eccleſiaſticum non minus quam politicum emanatura. Poſteri noſtri lugubri experientia docebuntur, quantum damnorum Reipublicæ afferat contemptus ac vilipenſio Religionis.

Quapropter jura Eccleſiarum potius ſuſtentari quam ſupprimi deberent. Ad hæc honori, authoritati tam Eccleſiarum quam miniſterii Eccleſiaſtici longe melius conſultum foret, ſi miniſtris Eccleſiaſticis major haberetur honor, & annui redditus pinquiores concederentur. Niſi Miniſtris Eccleſiaſticis debitus habeatur honor, ſane aliud non ſupereſt, niſi ut ſequatur vilipenſio & contemptus non miniſterii duntaxat Eccleſiaſtici, ſed ipſius Eccleſiæ ac Religionis. Neque exinde Authoritati Principum quidquam deceſſurum quis exiſtimet, utpote quibus non deſunt opes, vires, aliaque media ſummam ſibi authoritatem conciliandi.

Parum jam abeſt, quin Principes ſuam poteſtatem in hominum conſcientias extendant. Et undenam provenire exiſtimamus, quod pauci honeſtioris ſtatus & conditionis, ſed magis infimæ ferme ſortis homines ad miniſterium eccleſiaſticum aſpirent, ſeque ſtudio Theologico conſecrent, niſi quod ſciant, hujusmodi Miniſtros ultimo quaſi haberi loco, nulla honoris & authoritatis prærogativa gaudere, & mediis, quibus ſibi authoritatem conciliare poſſent, deſtitui. Et quid ulterius inde ſequi neceſſum eſt? idnempe quod Miniſtri Eccleſiaſtici ex plebe infima hominum aſſumpti, quibus communius honeſtior educatio deeſt, neque ſuo officio recte præſint, neque Characterem ſibi competentem conſervare valeant.

Idem dicendum de redditibus, quia cum ſint valde tenues, nihil prorſus ad conciliandam debitam Miniſtris eccleſiaſticis authoritatem facere poſſunt. Profecto cum Miniſtri eccleſiaſtici plura charitatis Chriſtianæ opera ex vi muneris exercere debeant, quare non etiam pinquioribus redditibus beari deberent?

An

An neſcimus hodie per plura Regna Deſpotiſmum dominari, imo etiam graſſari, contra quem vix aliud fortius ac potentius medium excogitari poteſt, quam vinculum Religionis. Quod ſi jam Religio eſſe debeat remedium contra Deſpotiſmum, ſane id fieri non poteſt, niſi Miniſtris Eccleſiaſticis major concilietur authoritas, & pinquiores ſtatuantur redditus. Religio, authoritas Cleri individuo nexu ſunt conjunctæ: quod ſi Clero ſua diminuatur authoritas, eidem ſui ſubtrahantur redditus, ruet Religio, & Deſpotiſmus in orbem ſubintrabit univerſum.

Hæc ex Authore Proteſtantico, adeoque impartiali adducere libuit, tum, ut omnem notam & ſuſpicionem affectus privati, quæ in Virum Sacris Catholicis addictum cadere poſſet, evitemus; tum ut Doctores Catholici, qui unice dilatandis finibus Jurisdictionis politicæ, reſtringendis juribus eccleſiaſticis, & diminuendis proventibus Clericorum ſtudent, intelligant, quantum interſit Religionis, Eccleſiæ, & Reipublicæ, ne hujuscemodi principia Thomaſiana adoptentur, & in uſus regiminis Catholico-Politici convertantur. Interim abſit a nobis, ut inter illos, qui de finibus regundis poteſtatis Eccleſiaſticœ & politicæ litigant, judicem vel arbitrum agamus: Non enim id muneris noſtri eſſe arbitramur; quippe qui alium nobis ſcopum non præfiximus, quam ortum progreſſum, fundamenta & incrementa Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici ſtylo ſimpliciſſimo recenſere: Aliunde fines brevitatis egreſſi ſumus: Sed ignoſcendum nobis. Moshemius vir inter ſuos ſummi nominis fuit, qui nobis campum aperuit ampliſſimum, & fines noſtros egrediendi occaſionem præbuit latiſſimam.

§. III.

De fontibus Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici.

Inde facilis fit tranſitus ad *fontes* Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici aperiendos. Nomine *fontium* ex dictis intelliguntur prima Juris Eccleſiaſtici principia, e quibus leges Eccleſiaſticæ earumque collectiones veluti rivuli quidam dimanant. Nos Catholici quinque agnoſcimus hujusmodi *fontes*, ſacram Scripturam, Traditionem, Concilia, Pontifices, & Sanctos Patres. *Fontes* iſtos majoris claritatis gratia dividamus in *Originarios* & *derivativos*: *Originarios* vocemus illos, ex quibus leges fundamentales; *derivativos*, ex quibus leges arbitrariæ (pace mea vocentur *conventionales*) (t) ad regendas Eccleſias libere aſſumptæ

Alii originarii, alii derivativi.

(t) Cum enim Proteſtantes Eccleſiam habeant inſtar Societatis æqualis, alias leges quam *Conventionales* ſalvis ſuis principiis admittere nequeunt.

aſſumptæ derivantur. Equidem in explicanda hac diviſione Anteceſſorem non habemus, quæ multis videbitur eſſe Scholaſtica, id quod non diſſitemur: attamen proderit hæc diviſio plurimum ad doctrinas varias dilucidandas: neque exiſtimamus, Doctores Catholicos hanc diviſionem aſpernaturos, quibus certum eſſe debet, quod Concilia & Pontifices, quorum Canones & decreta ad *fontes originarios* reduximus, quam plurimas leges arbitrarias ad regendam Eccleſiam abſolute non neceſſarias, oppido tamen utiles ſanxerint.

Tres fontes ſtatuit Moshemius.

Tres fontes Originarios veluti totidem fundamenta Juris Eccleſiaſtici ſtatuit Moshemius, nempe *Scripturam novæ legis*, *veritates religionis fundamentales*, & *rectam rationem*. Cætera omnia principia ex illius mente ſunt reijcienda: eſto enim, ait, Eccleſiæ proteſtanticæ Jus circa ſacra in ſuos Principes tranſtulerunt, inde tamen non ſequitur, quod illud ex jure divino poſſideant (u). Iterum Virum hunc preſſo pede vel ideo ſequamur, quod nemo ex Doctoribus Proteſtanticis, noſtra ſaltem opinione, ſolidioribus fundamentis hanc materiam pertractaverit. Vir hic eſt ſummæ eruditionis, ubique via regia incedens, æquus & juſtus, qui ſuæ Religionis, Eccleſiæ, & Conſodalium ſuorum fundamenta ruinoſa, perverſa principia, doctrinas erroneas, & exceſſus intime penetravit, quos proin hinc inde detegere, refellere, modeſte caſtigare neutiquam formidavit.

Primus fons eſt Scriptura novæ legis tantum, ordinationes Chriſti & Apoſtolorum.

Jam qua arte Vir iſte celeberrimus hæc explicet, videamus. Primum ergo Juris Eccleſiaſtici fundamentum ponit in Scriptura, & quoad hanc tria veluti poſtulata præmittit; & ſupponit *primo*, ſolam Scripturam novæ legis in vim principii, normæ, & fundamenti eſſe aſſumendam, atque ex hac ſola, neutiquam vero ex lege antiqua jura Eccleſiaſtica eſſe evolvenda: *Secundo* Ordinationes Chriſti & Apoſtolorum inſtar legum eſſe habendas: & *tertio* leges has eſſe duplicis generis, nempe *perpetuas*, & *temporales*, quarum priores in ipſa Religione a Chriſto inſtituta ſuum habent fundamentum, & cum hac nexu indiſſolubili connectuntur; poſteriores certis locorum, temporum, & obſervantiarum circumſtantiis alligantur (x).

Utrum Scriptura antiquæ legis ſit principium Juris Eccleſiaſtici?

Quantum ad Scripturam pleroſque ſuæ Eccleſiæ aſſeclas ſibi conſentientes habet. Fundamentum ſuæ doctrinæ in eo ponunt, quod longe alius fuerit ſtatus in antiqua, quam modo eſt in lege nova. Status ille fuit Theocraticus, in quo Synagoga & Respublica politica nexu individuo erant colligatæ, ita ut una ſine altera ſtare nequiverit:

(u) Pag. 210. cap. 1. §. 25.

(x) Idem pag. 116.

Digitized by Google

verit: Status Eccleſiæ Chriſtianæ per ſe ſtat, & ſtare poteſt, quin alicui Reipublicæ innectatur (y). Longe aliam formam habet Eccleſia Chriſti, ac habuit Synagoga: hæc non erat univerſalis, ſed particularis, formæ Reipublicæ Judaicæ alligata; illa eſt univerſalis, per ſe ſubſiſtit, neque certam regiminis politici formam ſupponit (z). Exinde inferunt, nunquam valere argumentum a lege antiqua ad novam legem, & ideo peſſime concludere, qui a regimine ſeu eccleſiaſtico ſeu politico Synagogæ ad regimen Eccleſiæ Chriſtianæ, a Sacerdotio legis antiquæ ad Sacerdotium novæ legis, a templo Jeroſolymitano, ab altaribus, a veſtimentis ſacerdotalibus, a decimis, vel ritibus & Cæremoniis Judaicis ad novam legem argumentum ducere volunt (a). Quapropter exprobrant Eccleſiæ noſtræ, quod tot ritus & Cæremonias liturgicas in antiqua lege præceptas adoptaverit, & in ſuos uſus converterit. Nos hanc materiam alibi fuſius explanavimus (b).

Perperam Chriſto abnegatur poteſtas legislatoria.

Quantum ad Ordinationes Chriſti & Apoſtolorum agit Moshemius contra ſuos Confodales plures, qui ipſi Chriſto vim poteſtatis legislatoriæ adimunt, nullasque leges proprie tales, ſeu a Chriſto ſeu ab Apoſtolis latas agnoſcunt: ubi oſtendit primo, quod ante Hobbeſium nemo de abneganda Chriſto & Apoſtolis poteſtate legislatoria ſomniaverit; Doctores vero quidam Proteſtantici (c) peſſime hanc doctrinam Hobbeſianam adoptaverint. Oſtendit ulterius & ſecundo, quod hæc

Quæſtio de poteſtate legislatoria Chriſti deſi-

(y) In dem alten Teſtament war eine Theocratie; Staat und Religion waren auf das genaueſte verknüpfet, ſo daß jener nicht ohne dieſe, dieſe nicht ohne jenen beſtehen konnte. Die Chriſtliche Religion hat eine ganz andere Geſtalt, als die Jüdiſche. Jene beziehet ſich auf alle Völker der Erden; Sie iſt eine allgemeine Religion, die ſich nicht auf den Staat beziehet, oder eine gewiſſe Einrichtung des Staats vorausſetzet. Sie verändert den Staat nicht. Da iſt nicht Grieche, Jude, Beſchneidung, Vorhaut, Ungrieche, Scythe, Knecht, Freyer, ſondern alles in allen Chriſtus Coll. 3. v. 11. Moshem. pag. 216. Hinc docet Boehmer Eccleſiam Chriſtianam tribus primis ſæculis non fuiſſe partem Reipublicæ, & huic Sæc. 4. primum fuiſſe innexam.

(z) Inde eſt, quod etiam extra Synagogam credentes in Deum ſalvari potuerint, ſicuti Job.

(a) Sic non valet argumentum: in antiqua lege fuit Sacerdotium, & Sacrificium: ergo etiam in nova lege &c.

(b) Vid. Differt. 2. de fontibus Juris Eccleſ. cap. 2. §. 9.

(c) Boehmerus, Pfaffius, Pertſchius. Vid. Differt. I. de Collect. Jur. Eccleſ. cap. I.

nit in quæſtionem de nomine.

hæc quæſtio deſinat in quæſtionem de nomine (d), id quod etiam nos alibi demonſtravimus (e). Optime dein & tertio ſubdit rationes, ex quibus poteſtas legislatoria Apoſtolorum demonſtrata manet (f). Et demum quarto demonſtrat, quam inanes, quam futiles, quam ridiculæ ſint rationes, quibus Doctores Proteſtantici ducuntur, ut Chriſto & Apoſtolis ſuam poteſtatem legislatoriam abnegent (g).

Verum eſt, quod leges Chriſti aliæ ſint perpetuæ, & aliæ temporales.

Quantum ad leges Eccleſiaſticas etiam nos Catholici Moshemio aſſentimur, docentes, quod aliæ ſint leges perpetuæ, aliæ temporales: ſic enim tempore Apoſtolorum obtinuit ritus baptizandi per trinam immerſionem, in uſu fuerunt Agapæ ſeu convivia amoris, oſculum pacis, aſſumebantur Diaconiſſæ, fœminis velato capite incedendum erat, quæ tamen omnia & plura alia in deſuetudinem abierunt.

Ut leges perpetuæ & temporales ab invicem diſcernantur, ipſa ratio legis eſt inſpicienda.

Ut autem dignoſci poſſit, ait Moshemius, an lex aliqua ſit perpetua vel temporalis, ipſa ratio legis tanquam menſura omnium legum eſt inſpicienda: quod ſi ratio legis perpetuo obtineat, ipſa etiam lex erit perpetua; ſecus dicendum, ſi ratio legis locorum conſuetudinibus, temporum circumſtantiis innitatur: tunc enim pro diverſitate locorum, temporum & circumſtantiarum, & earum mutatione ipſa lex immutari poteſt.

Illuſtratur exemplis.

Rem illuſtrat exemplis: ſic enim quæri poſſet, utrum lex baptiſmi, cœnæ; item lex illa, qua Chriſtus quoad munus docendi certum ordinem in conventibus obſervari voluit, ſint leges perpetuæ: atque id indubitanter tenendum aſſerit, quia ratio earum eſt perpetua: nam in quem alium finem Chriſtus baptiſmum inſtituit, niſi ut eſſet ſignum fœderis, quo illi, qui Chriſtianam religionem amplectuntur, Chriſto conglutinantur, & in illius ſocietatem ſuſcipiuntur

(d) Ein Geſetz iſt eine Regel, wordurch der, welcher die Macht zu befehlen hat, die freyen Handlungen ſeiner Unterthanen zu einem gewiſſen Zwecke beſtimmet. Nun hat Chriſtus viele Regeln hinterlaſſen, wordurch er die freyen Handlungen ſeiner Bekenneren beſtimmet, das läugnet niemand. Daß Chriſtus aber unſer Ober-Herr ſeye, und Macht über uns habe, das kann kein Chriſt läugnen. Und alſo ſind ſeine Regeln Geſetze. Bey den Apoſteln könnte man einigermaſſen zweifeln, ob ihre Vorſchriften Geſetze ſind. Allein dieſer Streit läuft auf einen Wort-Streit hinaus pag. 220. Warum ſollen die Verordnungen deren Apoſteln als Statthaltern nicht Geſetze genennet werden? Thorheit! Wort-Krämerey! pag. 224.

(e) Cit. Diſſert. cap. 1.

(f) Loc. cit.

(g) Loc. cit.

tur (h)? Cur Chriſtus cœnam inſtituit, niſi ut habeamus memoriale perpetuum ſuæ paſſionis? quare certum Ordinem inter Docentes, & Audientes conſtituit, niſi ut omnis confuſio evitetur, quæ neceſſario ſequi deberet, ſi cuivis promiſcue munus docendi aſſumere liceret. Quia igitur finis & ratio harum legum ſemper obtinet, ipſas leges perpetuo durare neceſſe eſt (i). Ulterius quæri poſſet, an cæremonia baptiſmum conferendi per trinam immerſionem, lex celebrandi Agapas, dandi oſculum pacis, incedendi capite velato ex parte fœminarum, conſtituendi Diaconiſſas ſint leges perpetuæ, vel potius temporales: Et eas eſſe temporales idem Moshemius, & recte quidem aſſerit. Et quare? quia leges iſtæ erant alligatæ vel certis locorum circumſtantiis, vel conſuetudinibus, vel rationibus non niſi ad tempus obtinentibus. Erat ſane ritus baptizandi per immerſionem alligatus locorum circumſtantiis, & obtinebat apud Orientales, apud quos aquæ ex natura ſua ſunt calidiores, & ſic baptiſmus citra vitæ periculum conferri poterat: ordinabant Apoſtoli Agapas ſeu convivia charitatis, certe non in alium finem, quam ut Judæi & Gentiles, qui vatiniano invicem perſequebantur odio, in vinculis charitatis conjungerentur, eadem erat ratio oſculi pacis. Præcepit Apoſtolus viduis & fœminis, ut velato incederent capite, quia ita more receptum erat apud Orientales. Porro autem, quia hæ rationes nec ſunt univerſales, nec perpetuæ, & maxima ex parte ceſſarunt, ipſæ etiam leges deſierunt: ſunt enim in noſtris terris ſeptentrionalibus aquæ longe frigidiores, ut adeo citra periculum vitæ immerſio vix fieri poſſit; ceſſavit illud odium inter Chriſtianos, mos ille obvelandi caput apud Germanos nunquam fuit receptus: ut quid ergo mirum, ſi tales leges exoleverunt? cætera, quæ Moshemius loco citato contra Catholicos quoad legem baptiſmi, jura Eccleſiæ, & Pontificum diſputat, huc non pertinent.

Alterum fundamentum Juris Eccleſiaſtici ſunt veritates fundamentales.

Jam ad alterum fontem Originarium ſeu fundamentum Juris Eccleſiaſtici, quod Moshemius quærit in *veritatibus Religionis fundamentalibus* explicandum tranſeamus. Porro autem quoniam veritates has fundamentales in hodiernam usque diem nondum determinarunt Proteſtantes, multo minus explicarunt, quænam ſint illæ veritates ſundamen-

(h) Addamus, ut eſſet remedium contra peccatum originale.

(i) Nam fœdus iſtud ad omnes ſpectat Chriſtianos, memoria paſſionis Dominicæ perpetuo eſt retinenda, ordo iſte ſemper eſt obſervandus.

damentales, ſupervacaneum eſſe ducimus de his longius diſputare (k).

Fons tertius recta Ratio. Ad tertium fontem Juris Eccleſiaſtici delabimur, qui ex mente Moshemii eſt *Recta Ratio*, utpote quæ vel maxime conſulenda eſt, ſi de jure Eccleſiaſtico, juribus Eccleſiæ *Collegialibus*, & Imperantium *Majeſtaticis*, poteſtate ordinandi religionem, & regendi Eccleſiam agamus, in quantum nempe hæc ſingula ex *recta ratione* demonſtrari poſſunt. Id ut recto ordine fiat, ait Moshemius, ad id præcipue erit attendendum, ne religionem revelatam cum naturali, Eccleſiam divinitus inſtitutam cum Eccleſia ex ſolo dictamine conſcientiæ libere ab hominibus erecta, aut Principem mere politicum cum Principe Chriſtiano, aut cuicunque alteri religioni ſeu veræ ſeu falſæ addicto confundamus: nam ſi vel revelationi vel inſtitutioni divinæ locum demus, jam *recta ratio* ſeſe ancillam profiteri, ac ſublimiori judicio ſubmittere debet. Ita Moshemius. *Religio in abſtracto eſt accipienda.* Quapropter neceſſarium omnino erit, ut Eccleſia non minus, quatenus eſt Societas ſacra Reipublicæ innexa, quam Principes Rerumpublicarum *in abſtracto* accipiantur, illa quidem inſtar ſocietatis ſacræ ſine reſpectu ad veritatem & falſitatem ipſius religionis, in quantum nempe eſt cœtus hominum ſacer ex ſolo dictamine conſcientiæ ſe mutua conventione eum in finem conſociantium, ut ſecundum certas regulas ſupremo Numini ſua præſtent ſervitia, & ſuam ſalutem æternam hac ratione conſequantur; hi vero quatenus ſunt principes mere politici citra reſpectum ad religionem unice ad regendam Rempublicam, & felicitatem illius procurandam conſtituti. Quibus ſic poſitis in ordine ad Jus Eccleſiaſticum ex ſola ratione demonſtrandum parum, imo nihil intereſt, utrum religio, quam talis ſocietas ſacra profitetur, ſit vera vel falſa, Judaica, vel Chriſtiana, & hæc ipſa ſocietas ſacra ſit divinitus, vel arbitrarie inſtituta; utrum Principes Religioni huic vel illi, veræ vel falſæ religioni ſint addicti, ut adeo reſpectu Eccleſiæ ab omni inſtitutione divina, reſpectu principum vero ab omni religione ſit abſtinendum (l). Aliter ſi Eccle-

(k) Etiam nos Catholici admittimus quosdam articulos fidei fundamentales, ſed in alio longe ſenſu, quam Lutherani, de quo paſſim noſtri Theologi.

(l) Cap. 3. Ob nun die geiſtliche Geſellſchaft eine Göttliche, wahre, oder falſche, Heidniſche, Chriſtliche, Jüdiſche, oder Türkiſche ſeye, und ob die Chriſtliche Geſellſchaft eine der heiligen Schrift gemäße Religion habe, das gehet uns hier nichts an, da wir aus der Vernunft die Rechte der geiſtlichen Geſellſchaft beweiſen wollen.

Eccleſiam, vel imperium Principum accipiamus, innumeris litibus occaſio dabitur, & ex ratione ſola in ordine ad determinanda jura Collegialia & Majeſtatica nihil prorſus probari, multo minus demonſtrari poterit. Suppoſita vero hac duplici abſtractione facili negotio utriusque & Eccleſiæ & Principum jura definiri poſſunt.

Societas ſacra, ut fiat particeps jurium, debet eſſe moraliter & civiliter legitima.

Jam cum Moshemio prius jura Eccleſiæ, ac poſtea Principum emetiamur. Quantum ad jura Eccleſiæ, ut hæc ſocietas ſacra veniat in participium jurium hujusmodi ſocietatibus ex ipſo jure naturæ convenientium, debet eſſe Societas tam *moraliter*, quam *civiliter legitima*. *Moraliter legitima* illa eſt Eccleſia, quæ in ſuis doctrinis fidei & morum nihil continet, quod eſſet contrarium religioni naturali, rectæ rationi, bonis moribus, bono Reipublicæ, juribus Principum: *civiliter legitima* tunc habetur, quando a Principe tanquam legitima agnoſcitur, jure civitatis donatur, in Rempublicam recipitur, atque Religionem ſuam libere exercere permittitur. Ex quo conſectarium eſt, quod ſi de religione aliqua toleranda, aut in civitatem civiliter recipienda quæratur, Imperanti non tam ad illius veritatem quam legitimitatem moralem eſſe reſpiciendum, quod ut juſto judicio judicari valeat, ad finem non tantum, ſed vel maxime ad media ad hunc finem obtinendum ordinata ulterius erit attendendum: eſto enim finis ſit optimus, ſi tamen media ſint illegitima, ſocietas moraliter legitima eſſe nequit (m), Ambo ſi ſint bona, & nec Societas, nec Religio, quam ſocii profitentur, Reipublicæ eſſe nociva dignoſcatur, hoc ipſo toleranda erit. Ex quo jam infert Moshemius, religionem Chriſtianam omnino eſſe tolerandam, utpote quæ in ſuis principiis, regulis & doctrinis nihil habet, quod Reipublicæ eſſe poſſet nocumento (n).

Sola legitimitas moralis religionis non tribuit jus civitatis.

Ex eo autem, quod Religio vel Societas ſacra ſit *moraliter legitima*, non ſequitur, illam neceſſario eſſe recipiendam, ac juribus Civitatis

(m) Sic eſto fortaſſis finis Quaquerianorum, Anabaptiſtarum, Herenhutianorum ſit bonus, attamen difficillime in civitatibus tolerantur, quia fovent doctrinas Reipublicæ nocivas. Pro exemplo adducit Moshemius Janſeniſtas a Ludovico XIV. proſcriptos, eo quod foveant doctrinas, quæ hominem diſponunt ad vitam mollem & deſidem degendam. Id intolerabile eſt in Moshemio, quod Catholicam Eccleſiam hujusmodi Societatibus illegitimis annumerare non erubeſcat pag. 436.

(n) Pag. 435. Die Chriſtliche Kirche kan mit Rechte das feſteſte Band der bürgerlichen Geſellſchaft genennet werden.

tatis donandam: Quid enim ſi *Ratio Status* illius receptionem prohibeat? Idcirco non tam ex principiis juris naturæ, quam ex regulis politicis definiendum erit, an ſocietas aliqua ſacra in Civitatem ſit recipienda (o).

Societati ſacræ moraliter & civiliter legitimæ jura Societatibus ex jure naturæ propria denegari non poſſunt.

Suppoſito ergo quod Societas ſacra dicto modo tam *moraliter*, quam *civiliter* ſit legitima, pleno alveo fluit, eidem eſſe indulgenda omnia jura, quæ cuivis ſocietati ex ipſo jure naturæ, & principiis rectæ rationis competunt, illa nempe, ſine quibus Societas aliqua conſiſtere non poteſt: Cum enim quælibet Societas certum ſibi præfixum finem habeat, eo ipſo jus determinandi media ad ſuum finem conſequendum vel neceſſaria vel opportuna habere debet. Inter jura cuivis Societati propria & communia referunt potiſſimum ſequentia; jus condendi leges conventionales, determinandi in transgreſſores pœnas proportionatas, conſtituendi directores, inſpectores, celebrandi conventus, proſcribendi & recipiendi Socios, aſſumendi Miniſtros, erigendi ærarium publicum ad ſuſtentanda onera communia neceſſarium &c.

Quænam hæc ſint jura?

Jura Collegialia debentur Eccleſiæ.

Jam hæc principia univerſalia ex ipſis juris naturalis univerſalis principiis deprompta Eccleſiæ applicemus, quæ cum ſit Societas legitima, & quidem ſacra in unitate fidei & doctrinæ (ponamus etiam Chriſti) ad colendum ſupremum Numen, & conſequendam felicitatem æternam coadunata, ſane ſine graviſſima læſione, legum naturalium jura tum omnibus Societatibus communia, tum cuivis propria & ex ipſa natura Societatis ſacræ promanantia eidem denegari non poſſunt. Jura hæc communi nomine uſu recepto vocantur *Jura Collegialia*. Quænam autem ſint jura Societati ſacræ propria, nondum inter ipſos Doctoris Proteſtanticos convenit, quæ ſane aliter determinari nequeunt, niſi prima Eccleſiæ veluti Societatis ſacræ principia, naturam, finem, & media ad finem conſequendum ordinata rite expendamus, & poſtea *rectam rationem* tanquam judicem ad ea determinanda conſtitutum conſulamus.

Eccleſia ex dictis Societas ſacra eſt, cujus fundamenta ſunt principia, doctrinæ, ac regulæ fidei; finis cultus divinus & felicitas æterna; media vero ad obtinendum finem ordinata ſunt leges non modo

(o) Rem illuſtrat Moshemius exemplo: ſic ait Galli excludunt Reformatos ex motivis mere politicis: eſto enim illorum Religionem velut moraliter legitimam agnoſcant, exiſtimant tamen pluralitatem Religionum Reipublicæ eſſe nocivam.

modo fundamentales in ipſis principiis Religionis fundatæ, ſed etiam arbitrariæ, quales ſunt Ordinationes eccleſiaſticæ pro rerum exigentia conſtitutæ.

Determinantur jura Eccleſiæ qua Societati ſacræ debita & propria.

Ex his jam facile eſt *jura Collegialia* Societatis ſacræ non modo communia, de quibus mox ſupra diximus, verum etiam ſingularia definire: hoc ipſo enim, quod Societas ſacra in eo potiſſimum ab aliis Societatibus diſtinguatur, quod fundetur in principiis, & regulis fidei ac morum, ſibique tanquam finem primarium præſtituerit cultum divinum, duo præcipue jura ſpecialia veluti primaria & originaria eidem ſunt adſcribenda, quorum primum eſt jus ſtatuendi quosdam articulos fidei veluti fundamentales, fixos, ac immutabiles, unaque transferendi munus docendi in viros quosdam aptos in eccleſia omnino neceſſarium; eo quod ſine docente & prædicante hæc principia a paucis intelligi, multo minus in ſuo robore perſiſtere valeant (p): Alterum eſt jus determinandi ea, quæ ad cultum divinum pertinent, ſi non aliunde in ſacris literis ſint determinata.

Jura collegialia ad tria capita reduci poſſunt.

Ex his cœtera jura Collegialia quaſi per ſe fluere videntur, quæ ad tria potiſſimum capita reduci poſſunt, quorum primum eſt determinare cultum publicum, alterum præſcribere media, ſine quibus cultus publicus exerceri nequit, tertium removere ea, quæ hunc cultum quomodolibet impedire poſſunt (q).

Recenſentur varia jura Collegialia.

Inde ulterius dimanant plura jura collegialia ſpecialiſſima, & quidem ex jure ordinandi cultum ſequitur jus determinandi ritus, ſecundum quos cultus divinus eſt peragendus, illos abrogandi, emendandi, immutandi, prout in Adiaphoris viſum fuerit: item jus ſtatuendi dies feſtos & ſacros (r), in quibus conventus religioſi haberi debent, determinandi loca hiſce conventibus apta &c.

Ex jure præſcribendi media fluit jus conſtituendi Doctores & Prædicatores, item Inſpectores, quibus incumbit cura invigilandi bono Eccleſiarum, & obſervantiæ ordinationum eccleſiaſticarum, jus faciendi ordinationes eccleſiaſticas, ſtatuendi pœnas conventionales, com-

(p) Bey einer geiſtlichen Geſellſchaft aber iſt auch ein beſonderes Recht: Sie muß Lehrer haben.

(q) Mosheim pag. 448.

(r) Effectus civiles cum hujusmodi diebus ſacris connexi dependent a poteſtate imperii. Idem pag. 449.

componendi libros ſymbolicos, jus collectandi, comparandi, & adminiſtrandi ærarium Eccleſiaſticum.

Ex tertio venit jus Miniſtros Eccleſiaſticos amovendi, deponendi, controverſias fidei inter partes litigantes decidendi, proſcribendi criminoſos, Synodos celebrandi, jus reformandi tam quoad doctrinas fidei & morum, quam quoad res etiam adiaphoras.

Vindicatur a Moshemio ſyſtema de juribus collegialibus.

Porro autem ut Moshemius hæc jura Collegialia Eccleſiæ Chriſtianæ vindicet contra illos, qui ſyſtema hoc veluti fictitium, & tanquam partum illegitimum e cerebro hominum libertati ſui ingenii indulgentium heri natum rejiciunt, & omnia jura collegialia in majeſtatica ſeu territorialia transmutant, duo illis opponit: primo quidem, quod Eccleſiæ Chriſtianæ in primis ſæculis hæc jura, & jure quidem exercuerint; ſecus dicendum erit, quod Chriſtus & Apoſtoli jura Principum invaſerint, ſibique & Eccleſiis a ſe inſtitutis contra jus Principum appropriaverint, id quod ſecundum principia Proteſtanticorum Evangelio eſt contrarium. Secundo quod in hodiernam usque diem Eccleſiæ proteſtanticæ conformiter legibus Imperii Germanici fundamentalibus hæc jura exerceant in illis provinciis, in quibus Principes alterius ſunt religionis, & præter religionem dominantem aliæ religiones ſimpliciter tolerantur. Addit Moshemius, imperceptibile eſſe, qua ratione hæc jura in dubium vocari poſſint, eo quod etiam Doctores, jurium Collegialium oſores maximi, illa ſimpliciter negare non poſſint. Sane Boehmerus jurium Majeſtaticorum vindex acerrimus, & ſyſtematis collegialis oſor ſummus hoc ipſum non raro in vim fundamenti ſuarum doctrinarum adoptare neceſſe habuit, prout videre eſt apud Pfaffium in Academiſchen Reden über das Kirchen-Recht (s).

A quo jura collegialia ſint exercenda?

Ulterius progreditur Moshemius, & quærit, quo modo, & a quo jura collegialia ſint exercenda? Et reſpondet, ex ſola ratione id determinari non poſſe, ſed vel maxime ad religionem ipſam, & ad naturam ſocietatis eſſe reſpiciendum, utrum Societas ſit æqualis, vel inæqualis: ſi eſt æqualis, tunc poteſtas condendi jus Eccleſiaſticum reſidet penes ipſam Societatem, ita tamen ut ſit in illius arbitrio illud vel in *corpore*, id eſt, per ſe ipſam, vel per quosdam a ſe delegatos & *Repræſentantes* exercere: Illud prius fieri poteſt in Societatibus minoribus; iſtud poſterius in majoribus.

Poſi-

(s) Cap. 5. pag, 103. & cap. 6. §. 6. pag. 109. ubi citat Boehmeri Conſultat. & Deciſ. Jur. Eccleſ. Reſp. 15. fol. 161. ſane docet Boehmer, quod Judæi in illis locis, in quibus tolerantur, ſe ipſos in ſua religione regant, id quod fieri non poſſet, ſi jura Eccleſiarum ex natura rei eſſent Majeſtatica. vid. Pfaffius loc. cit.

Poſito autem, quod Eccleſia per ſe ipſam ſua jura collegialia exercere velit, neceſſe erit quosdam conſtituere veluti inſpectores & directores, quibus incumbit munus invigilandi bono Eccleſiarum, dirigendi in conventibus, proponenda proponendi, & ordinanda ordinandi: quod ſi vero Eccleſia ſe per delegatos regere velit, procul dubio ſibi reſervabit jus vel expreſſe vel tacite approbandi & reprobandi, quæ ab his fuerint conſtituta (t). Tranſitum jam facit Moshemius ad Eccleſiam Chriſtianam, quam eſſe ſocietatem æqualem indubitati juris eſſe exiſtimat, & inde concludit, ipſa duce recta ratione jura Eccleſiæ eſſe collegialia, & ea penes ipſum cœtum reſidere, cui jam erit liberum, an ipſe per ſe, vel per ſuos delegatos conſideratis conſiderandis illa exercere, vel in Principem transferre velit (u).

Poſtquam Moshemius ſuum ſyſtema collegiale, ipſa jura collegialia, & poteſtatem ea exercendi ex recta ratione determinare allaboravit, tranſit ad *jus Cleri*, uti vocat, & *liturgicum* ex recta ratione determinandum. *Jus Cleri*, ſi bene ſapimus, in ſenſu Proteſtanticorum eſt jus docendi ea, quæ ad religionem & præcipue cultum divinum pertinent (x), *liturgicum* vero, jus determinandi ritus, cæremonias, modosque, ſecundum quos cultus divinus decenter & conformiter legibus Eccleſiæ fundamentalibus eſt peragendus (y). Jam, ait, ex ſola ratione *jus Cleri* demonſtrari non poteſt, quaſi vero neceſſe ſit, ut in omnibus Societatibus dentur Doctores, & munus docendi religioni eſſentialiter ſit annexum: cum enim Societas ſacra ſit illa, quæ ex ſolo dictamine conſcientiæ & rectæ rationis ſeſe ad Deum certis modis colendum obſtringit, ſane non videtur, cur opus ſit Doctoribus homines rectam colendi Dei methodum docentibus. Idcirco ipſa religio-

Explicatur Jus Cleri & Liturgicum.

Jus Cleri cum munere docendi connexum non in omni religione eſt neceſſarium.

L 2

(t) Apud Judæos munus docendi & regendi eſt penes Rabbinos. In Anglia Eccleſiæ Epiſcopalium per Epiſcopos, Presbyterianorum per Presbyteros reguntur. Apud Quaquerianos ſinguli ſe ipſos regunt. In Eccleſia Catholica jus regiminis in ſacra exercetur a Clero.

(u) Fundatur hæc doctrina in ſyſtemate Proteſtanticorum, apud quos Eccleſia eſt ſocietas æqualis. vid. Moshem. pag. 454. & ſeq. Item Pfaffius in Diſſert. de jure Sacrorum abſoluto & collegiali. Verum nos Catholici ſyſtema iſtud ſemper rejicimus, & abominamur.

(x) Nota eſt diviſio Proteſtanticorum, qua credentes dividunt in *docentes & audientes*, aliter quam Catholici, qui inter *Clericos & Laicos* diſtinguunt.

(y) Alii enim ſunt ritus *eſſentiales* ſicuti baptiſmus, alii *accidentales*. vid. ſupra dicta.

ligionis natura erit inſpicienda. Quodſi ergo hæc talis ſit, quæ requirit viros peritos, doctos & eruditos in lege, quatenus per hos cœteri religionis conſortes in hac lege erudiantur, ſine dubio ex ipſa recta ratione *jus Cleri*, & neceſſitas conſtituendi doctores demonſtratur.

Eſt tamen neceſſarium in Religione Chriſtiana.

Quia igitur religio Chriſtiana ex ipſa Chriſti inſtitutione eſt talis, maniſeſte ſequitur cum religione Chriſtiana munus docendi eſſe connexum, utpote quod Chriſtus ipſe in ſua Eccleſia perpetuum eſſe voluit (z). Quænam autem ſint jura Clericalia docentium, ex ſola ratione vix poterit definiri, ſed ex rerum circumſtantiis, & præcipue ex æqualitate & inæqualitate ſocietatis ſacræ erit definiendum. Inde neceſſario conſequitur, quod jus aſſumendi, eligendi & conſtituendi Doctores & Miniſtros Eccleſiarum in ſocietate ſacra æquali, quæ ſine doctoribus conſiſtere non poteſt, competat ipſi Eccleſiæ; non Principibus, & ſit *jus Collegiale*, non *Majeſtaticum:* cum res hæc attingat conſcientias hominum, in quas Principes nullum ſibi arrogare jus, & hoc ipſo Societati Miniſtros pro ſua libertate obtrudere non valent.

Jus eligendi & conſtituendi Doctores & Miniſtros eſt jus collegiale.

In certo ſenſu etiam Majeſtaticum.

Aliquod tamen jus Principibus erit concedendum, non quaſi ipſi miniſtros conſtituere, ſed quod jus collegiale in tantum reſtringere poſſint, ne aſſumantur Miniſtri Eccleſiarum, qui reipublicæ eſſe nocumento poſſunt. Ulterius jam ex ipſo dictamine rectæ rationis ad jura collegialia pertinet jus ipſis Doctoribus præſcribendi normam docendi & determinandi ea, quæ ad religionem & cultum divinum pertinere dignoſcuntur; data enim doctoribus & miniſtris plena libertate docendi, brevi actum erit de Societatibus ſacris. Huc pertinet jus condendi ſymbola, Catechiſmos, libros ſymbolicos, præſcribendi liturgiam. Idcirco fallunt, & falluntur illi Jureconſulti, qui imperantibus qua imperantibus integrum jus liturgicum adſcribere non verentur, prout idem author ſuſe demonſtrat, unaque *jus Principis circa liturgiam* dilucidat (a). Jam non vacat cœtera jura collegialia, quæ

Ad jura collegialia pertinet jus præſcribendi normam docendi; condendi ſymbola, præſcribendi liturgiam.

(z) Nam & Chriſtus docuit, & Apoſtoli docuerunt, & conſtituere doctores ac miniſtros juſſi ſunt.

(a) Das Recht zu verhindern, daß durch die Liturgie dem Staate kein Nachtheil zuwachſe, nenne ich das *Jus Principis circa liturgiam.* Diſes Recht kommt der Obrigkeit als Obrigkeit ſchlechterdings zu, und iſt ein Majeſtäts-Recht Von dieſem Recht iſt das Jus liturgicum der Gemeinde zu unterſcheiden, das iſt, das Recht die äuſſerlichen Handluugen und Gebräuchen des Gottesdienſtes zu beſtimmen, alte abzuſchaffen, neue einzuführen, ohne den Staat zu verletzen. Die-

quæ laudatus author fuſe examinat, in quantum ex recta ratione demonſtrari poſſunt, recenſere. Aliunde fines brevitatis transgreſſi ſumus.

Jura Majeſtatica examinantur.

Usque nunc ex vera notione Societatis ſacræ emenſi ſumus cum Doctoribus Proteſtanticis jura Collegialia, in quantum Societatibus ex recta ratione ſunt propria. Porro autem, quia hæ Societates Reipublicæ ſunt innexæ, Imperantium quoque jura majeſtatica emetiri neceſſum eſt, ut inde nexus inter Rempublicam & Eccleſiam qua Societatem clarius eluceſcat. Quæſtio hæc eſt ſummi momenti, ſuper qua teſte Moshemio ultra 150. annos vehementiſſime fuit diſputatum, & in hodiernam usque diem diſputatur. Et quis ille erit, qui in numerum cogat libros deſuper in lucem publicam editos?

In his juribus determinandis reſpiciendum eſt ad naturam Religionis, & ad poteſtatem principis.

Exiſtimat Moshemius quæſtionem hanc facillimæ futuram deciſionis, ſi præjudicia, quibus viri etiam doctiſſimi aguntur, ſeponantur. Sed quis prudenter id ſperare valeat? Idcirco candide fatetur idem Doctor, quod ex ſola ratione recta de poteſtate Principum in Sacra, eorumque juribus majeſtaticis nihil definiri poſſit, niſi quædam veluti *Poſtulata* ponantur. Itaque ad duo præcipue in determinandis juribus Principum in ordine ad Eccleſiam erit reſpiciendum; nempe ad naturam Religionis, dein ad poteſtatem Principis & Reipublicæ: Dantur enim Religiones prorſus diverſæ, quarum aliquæ Principem ab omni jure in Sacra excludunt, uti Catholicorum, Mennonitarum, Presbyterianorum (b); aliæ omne Jus in ſacra ipſi adſcribunt, uti Zwinglianorum; aliæ in participium ſuorum jurium ipſum admittunt, uti Lutheranorum. Dantur etiam imperantes, quorum poteſtas eſt varia, nunc legibus fundamentalibus Reipublicæ reſtricta, ſicut in Germania (c); nunc pactis & fœderibus limitata, ſicut in ſtatibus liberis libere Religionem qualemcunque ex præcedente pacto tolerantibus vel recipientibus; nunc irreſtricta, qualis habetur, ſi & leges fundamentales, & pacta libere inita ſeponamus. Item dantur ſtatus, ſeu Civitates majo-

Pro diverſitate Religionum diverſa eſt poteſtas imperantium.

Dieſes Recht haben die Gemeinden in der erſten Chriſtenheit gehabt, und kommt der Kirche zu, weil ſie eine Geſellſchaft iſt. Jenes, das Recht des Fürſten ſchränket dieſes ein, oder dirigiret dieſes, daß es dem Staate nicht nachtheilig werde. Die Thomaſianer ſprechen der Kirche dieſes Recht ab, und ziehen das ganze Jus liturgicum zu dem *jure principis circa liturgiam.* Und das heiſſen wir einen Irrthum. pag. 467.

(b) Quod ſi ergo Reſpublica quæcunque illos jure Civitatis donare velit, princeps ſolemni pacto renuntiare debet juribus alias in Eccleſiam ſibi competentibus.

(c) Nempe per pacem Religioſam & Weſtphalicam.

In omni Religione aliqua ſaltem poteſtas imperantibus concedenda.

majores, in quibus non niſi certæ Religiones tolerari poſſunt (d); aliæ in quibus omnes tolerantur, & jure defenſionis gaudent ſicuti in Hollandia. In omni hypotheſi recta Ratio tam Societatibus ſacris, quam imperantibus ſua attribuit jura: nam ſi imperantibus omnia prorſus denegentur jura, ea etiam, quæ ipſis qua Principibus in rebus politicis abſtrahendo a jure in ſacra conveniunt, fieri non poteſt, quin in Republica diſſidia, confuſiones, tumultus; imo & ſeditiones orian-

De ſuis juribus Societates & principes aliquid poſſunt remittere.

tur. De his tamen ſuis juribus tam principes, quam ipſæ etiam Societates ſacræ pro rerum exigentia aliquid remittere poſſunt, ſi velint, & ex natura Religionis non prohibeantur. Jam verò nemo non videt, quod alia ſint jura principum, ſi illorum poteſtas ſeu legibus fundamentalibus, ſeu pactis & fœderibus libere initis reſtringatur; & alia, ſi & leges & pacta abeſſe ſupponantur.

Ad quæ ſit reſpiciendum in menſurandis juribus majeſtaticis?

His jam ſuppoſitis ad tria capita reduci poſſunt, quæcunque in hac materia delicatiſſima & ampliſſima diſputari poſſunt, dummodo in vim regulæ & normæ univerſalis, juxta quam menſuranda ſunt jura Principum, naturam Religionis cujuscunque, ipſam poteſtatem principum, leges fundamentales, pacta & fœdera ſpecialia aſſumamus.

Quatuor ponuntur hypotheſes.

Quatuor igitur hypotheſes ponamus. Ponamus primo Societatem ſacram, quæ ex principiis fundamentalibus ſuæ Religionis Imperantes politicos a jure in Sacra excludit e. g. Menoniſtarum, Presbyterianorum. Secundo Societatem ſacram, quæ, cum ex ſua natura de ſuo jure in ſacra aliquid remittere & in Principem transferre non prohibetur, in aliqua Republica vel ex tolerantia legibus publicis ſtabilita, prout in Germania; Vel ex ſingulari pacto & fœdere cum Republica inito notabiliſſimam ſuorum jurium partem ſibi reſervando & alteram in Principem transferendo jus civitatis obtinuit: & tertio Principem, cujus poteſtatem neque leges imperii, neque ſingularia pacta reſtringunt, ipſa vero Religio, quam vel ſimpliciter tolerat, vel jure Civitatis donat, ab omni jure in Sacra non excludit. Jam in prima hypotheſi Princeps, qui hujusmodi Societati jus Civitatis indulget, ſolemni pacto & fœdere omnibus ſuis juribus alias ſibi qua Principi in Sacra competentibus, in quantum ſalvis principiis juris naturæ fieri poteſt, renuntiare debet. In ſecunda hypotheſi ad ipſam Religionis naturam, ad leges fundamentales, ad pacta & fœdera tanquam ad normam & menſuram erit reſpiciendum, quin Principi fas ſit Eccleſiam in exercitio jurium ſibi reſervatorum modo quocunque impedire vel turbare. In

(d) Sic in Anglia Religio Catholica excluditur.

Digitized by Google

In tertia hypotheſi, quæ eſt ſane difficillima, ex recta ratione nihil certi ſtatui poteſt, niſi dogma quoddam in ipſo jure naturæ fundatum inſtar principii inconcuſſi aſſumatur, quod nempe Principi, qua Principi ſola ſalus Reipublicæ politicæ ſuprema lex eſſe debeat.

Ex dictis quædam notatu digna inferuntur. Hæc ſi jam omnia certa eſſe ſupponantur, prout ſupponit Moshemius, nobis tamen quoad pleraque, præcipue quoad ea, quæ de ſalute Reipublicæ diſſerit, quaſi vero Principi ſola Reipublicæ, neutiquam vero Religionis ſalus curæ eſſe debeat, non probantur (e). Quædam inde conſectaria, dummodo bene inter eſſentialia Religionis, & adiaphora diſtinquamus, ex ipſa recta Ratione deduci poſſe exiſtimat laudatus Author, atque illud præprimis, quod Princeps, quantæcunque ſit poteſtatis, circa ea, quæ Religionem, illius doctrinas, cultum divinum, aliaque cum Religione eſſentialiter connexa concernunt nihil prorſus agere, ſtatuere, addere, immutare, vel prohibere poſſit: hoc ipſo enim quod Princeps ſolius ſalutis politicæ curam habere debeat, & Religionem aliquam vel per viam tolerantiæ, vel receptionis juridicæ tanquam moraliter & civiliter legitimam jure Civitatis donaverit, non videtur, quo jure ſibi aliquod imperium in Religionem & conſcientias ſuorum ſubditorum arrogare valeat: quippe qui principi politico ſe quidem & ſua bona fortunæ; neutiquam vero ſuas voluntates, conſcientias, actiones internas, ſalutem ſupernaturalem concredere voluerunt: & ideo propter ſuam Religionem & Conſcientiam ſoli DEO ſtrictiſſimam rationem reddere obligantur. *Principes nullum habent jus in ſubſtantialia Religionis neque in conſcientias ſubditorum.* Quapropter contra omnem rectam Rationem, contra ductum juris naturalis, contra omnia principia moralitatis acturus foret princeps, ſi ſibi talem dominatum arrogaret. Quoad adiaphora vero nullum nexum eſſentialem cum Religione ſubditorum habentia Principi ad id erit attendendum, utrum hæc adiaphora ab Eccleſiis ex quocunque demum motivo libere aſſumpta Reipublicæ bono ſint noxia, vel hujus reſpectu ſint indifferentia: *Bene vero quoad adiaphora.* ſi primum, tunc imperanti vi ſuæ poteſtatis, quam habet in ſocietates ſuæ Reipublicæ innexas, pro majori vel minori exigentia boni publici liberum erit ea reſtringere, immutare, abrogare, prout ipſi conſultis rectæ Rationis regulis viſum fuerit. Si ſecundum, tunc in poſſeſſione ſuorum jurium relinquendæ ſunt Eccleſiæ, &

(e) Dogma iſtud ne quidem Theologi Proteſtantici recipiunt, ſicut infra mox dicemus. Vid. Joan. Floerckius in Prænot. Jurisprud. Eccleſ. Obſervat. XVI. ubi examinat quæſtionem, an Princeps ſubditorum ſalutem æternam procurare debeat.

& nefas erit imperanti, ſi fortaſſis propter intereſſe imaginarium, fictum, vel certe modiciſſimum manus apponat (f), earum diſpoſitiones pro bono ſuæ Religionis in rebus adiaphoris factas immutet, aut pro ſuo arbitrio omnino abroget: cum enim ex dictis Imperantis ſit unice promovere bonum publicum Reipublicæ: Societates vero ſacræ ſuas voluntates eidem ultra non obligaverint, niſi in quantum ſalus publica earum ſubjectionem exigit, ſane in actionibus indifferentibus plenam ſibi libertatem reſervaſſe cenſendæ ſunt eas dirigendi in bonum proprium ac ſuæ Religionis, quo dato Imperans in omnia jura impinget, ſi Eccleſias in exercitio ſuæ libertatis, & jurium ſibi propriorum aut reſervatorum modo quocunque impedire, turbare, vel prohibere attentaverit.

Syſtema Moshemianum illuſtratur exemplis. Hoc ſuum ſyſtema aptiſſimis exemplis illuſtrat Moshemius: ſic enim, ait, ad eſſentialia Religionis tam Catholicæ quam Proteſtanticæ pertinent baptiſmus & cœna ſacra; item ad capita eſſentialia apud Catholicos ſacrificium; apud Proteſtantes communio ſub utraque ſpecie. Anne in his Principem ſeu Catholicum ſeu Proteſtanticum aliquid immutare poſſe exiſtimamus? id ſane nemo Doctorum admiſerit. Econtra ad res adiaphoras Religioni neutiquam eſſentiales ſpectat cantus in Eccleſia, exorciſmi in baptiſmo; inſtitutio & celebratio feſtorum; electio miniſtrorum Eccleſiæ: In his jam ex ſupra poſitis regulis tantum poteſt Princeps, quantum Ratio Status & bonum Reipublicæ exigit: igitur ſi cantum in Eccleſia, exorciſmum in baptiſmo ſupponamus eſſe innocuum, ſicuti revera eſt, non videtur, quo jure Princeps ſimilia prohibere poſſit. Quoniam vero celebratio & inſtitutio feſtorum, electio Miniſtrorum & Doctorum poteſt eſſe nociva Reipublicæ, dum vel illa ultra modum multiplicantur, aut in miniſtros aſſumuntur viri turbulenti, de ipſa Religione ſuſpecti, turbatores pacis, tumultuum fautores, ad rebelliones proclives, quid ni Principi aut reſtringere feſta, aut per *excluſivam* tales a munere docendi arcere liceat (g)? ita quoad ſubſtantiam Moshemius (h.)

Principia hæc ſunt ſuſpecta. Principia hæc ex aliqua parte vera, ex altera falſa, ex multiplici capite ſuſpecta ſunt, prout infra dicemus, quæ tamen adducere libuit

(f) Vid. Reflexiones §. ſeq. faciendæ.

(g) Sic *Excluſivam* habent Imperator, & quidam Reges Catholici in electionibus Romanorum Pontificum, eamque etiam ad electiones Epiſcoporum extendere volunt. Vid. Illuſtris Barthel in Diſſert. de Excluſiva.

(h) Pag. 508. & ſeq.

buit, non quod ea approbemus, ſed ut ea ſaltem ſciamus, minus ſana refutemus, ſaniora nobis applicemus. Atque utinam unum alterumve ex his, illa præcipue, quæ Moshemius de poteſtate Principum in rebus ad Religionem & Eccleſiam pertinentibus etiam adiaphoris tradit, ſibi applicarent Principes & Doctores Catholici illi, qui dilatandis finibus poteſtatis politicæ nimium litant, Religionem parvi pendunt, Eccleſiarum juribus reſtringendis unice intendunt, omnibus cauſis Eccleſiaſticis ſe immiſcent, eas ad ſua fora trahunt, imaginarium quoddam vel omnino fictitium Intereſſe politicum obtrudunt, atque illud *Placitum Regium* ita dictum eo usque extendunt, ut jam Eccleſiæ in rebus diſciplinaribus etiam innocentiſſimis quidquam ſtatuere, diſponere, vel immutare non liceat.

Unum vel alterum tamen etiam Catholici poſſunt ſibi applicare.

Jam ex his univerſalibus & veluti fundamentalibus principiis in hac ampliſſima quæſtione *de Poteſtate Principum in Sacra*, *eorumque juribus Majeſtaticis* in anteceſſum jactis Moshemius quamplurimas trahit ſequelas, quas breviter una cum annotationibus quibusdam recenſere licebit.

Sequelæ ex his principiis.

Infert 1 Contra rectam Rationem agere illos Principes ſæculares, qui in rebus Religionem eſſentialiter ſpectantibus, aut in adiaphoris cum bono Reipublicæ neutiquam connexis aliquam poteſtatem ſibi arrogant, eo quod ſubditi quoad ſuam Religionem ſoli DEO, ſuæque conſcientiæ ſint ſubjecti, in adiaphoris vero plenam ſibi libertatem reſervaverint, & propterea in poteſtate Principis non ſit quamcunque Religionem illorum conſcientiis repugnantem obtrudere, aut in rebus adiaphoris vim inferre: itaque aut tales nunquam in Civitatem recipiat, aut exeſſe jubeat (i).

Infert 2 Principes qua principes ſæculares neutiquam eſſe obligatos, ut bono Religionis, & Eccleſiarum ſingularem vigilantiam impendant, & Societatibus ſacris plus favoris, & juris indulgeant, quam cæteris Societatibus ex quocunque fine in Civitatem receptis; neque hujusmodi Eccleſias ſeu Societates ſacras ultra quid poſſe exigere, quam ut Princeps illud jus defenſionis & advocatiæ illis imperti-

Utrum princeps bonum Religionis procurare teneatur.

(i) Vid. mox dicenda. pag. 509. ſic habet: Die Religion ſtehet theils unter GOtt, dem alle Rechenſchaft geben müſſen, theils unter dem Gewiſſen, und der Verantwortung eines jeden Menſchen. Wer der Obrigkeit mehr zugeſtehet, handelt wider die Vernunft. Quoad hoc Moshemius etiam nos ſibi habet conſentientes.

pertiatur, quod cæteris Societatibus qua Princeps impertiri obligatur. Habet Moshemius in hoc puncto plures e ſuis collegis & aſſeclis ſibi contradicentes, ſuper quo mirum in modum contendunt Theologi & Jureconſulti Proteſtantici: Jureconſulti Principem ab omni cura Religionis abſolvunt, Theologi eidem officium invigilandi bono Religionis injungunt, & ideo Doctores ſibi contradicentes paſſim *Doctores ſine Religione* appellare conſueverunt (k). Moshemius licet alias Religionis conſervandæ, & promovendæ ſtudioſiſſimus in hac quæſtione Jureconſultis aſſentitur, exiſtimans Theologos in eo errare, quod perſonam Principis qua Principis, & Chriſtiani ſufficienter non diſtinquant (l).

Inſert 3 In libero arbitrio imperantium eſſe, an Religionem qualemcunque, vel Societatem ſacram tolerare, recipere, aut toleratam ac receptam iterum proſcribere velint, ſi illam Reipublicæ eſſe præjudicioſam deprehenderint (m).

Inſert 4 In eodem arbitrio eſſe Societatibus ſacris præſcribere limites, intra quos ſuam Religionem exercere poſſint, normam, tempus & locum ſuos celebrandi conventus, aliaque cum Religione eſſentialiter non connexa determinare, dummodo cum bono Reipublicæ nexum habeant (n).

Inſert

((k) Die Theologen ſagen, daß die Rechtsgelehrten keine Religion hätten. Pag. 509.

(l) Die Theologen unterſcheiden nicht die Perſon des Fürſten, und des Chriſten, die in ihm vereiniget ſind ibid. Inde inferendum illum ſaltem Principem, qui alicui Religioni ſe addicit, ad illius bonum meliori modo promovendum eſſe obligatum.

(m) Niſi aliter cautum ſit in legibus fundamentalibus ſicut in Germania per Pacem Weſtphalicam, vi cujus tolerare debet princeps Catholicus, ſaltem in certis locis, Religionem proteſtanticam, quæ in anno normali exercitium habuit. In Hollandia tolerandi ſunt Judæi. Secundum jus naturæ putat Moshemius omnes Religiones moraliter legitimas eſſe tolerandas. Quoniam vero Ratio Status obſtare poteſt, res arbitrio imperantium erit relinquenda.

(n) Poteſt princeps 1. præſcribere limites: quia Reipublicæ poteſt intereſſe, ne in omnes Regni provincias Religio aliqua diffundatur, aut ne certæ familiæ (ſic in Hollandia excluſi ſunt Patres Societatis) recipiantur. Poteſt 2. normam, tempus & locum celebrandi Conventus præſcribere: quid enim ſi tempore quocunque & in loco quocunque convenire liceat, an non poſſunt

Infert 5 Ad jura principis pertinere a Societatibus ſacris, priusquam in Civitatem recipiuntur, formulas & confeſſiones fidei eum in finem exigere, ut inquirere poſſit, utrum non contineant dogmata Reipublicæ periculoſa, aut omnino præjudicioſa (o).

Infert 6 Principi jus eſſe requirendi explicationem eorum, quæ in hiſce formulis obſcura, dubia & æquivoca ipſi videntur (p).

Infert 7 Idem eſſe dicendum de legibus diſciplinaribus, quarum examen omnino concedendum eſt imperantibus, utpote quæ vel maxime Rempublicam turbare poſſunt (q).

ſunt tales Societates celebrare conventicula ſub prætextu Religionis nociva? poteſt 3. alia determinare e. g. tempus, quo celebrentur divina, habeantur conciones: ſic in ordinationibus Eccleſiaſticis Würtembergicis cautum eſt, ne protrahantur conciones ultra tres quadrantes horæ: ſollen die Sonn- und Feyertages-Morgen aufs längſt drey Viertelſtund, doch nervoſe Predigen: Item prohibere uſum campanarum: id quod facere ſolent proteſtantici, ubi permixti vivunt Catholici, utpote quibus uſus Campanarum apud Catholicos frequens moleſtus eſſe ſolet. Et quamvis hæc res innocua eſſe videatur, poſſet tamen eſſe cauſa tumultuum ſicut apud Turcas, qui uſum Campanarum execrantur.

(o) Vid. mox dicenda. Putat Moshemius imperantibus jus eſſe præſcribendi Catechiſmos ex confeſſionibus fidei excerptos, ſecundum quos juventus inſtrui debet, quia intereſt Reipublicæ, ut juvenes bene educentur: prius tamen tales Catechiſmi examini Societatis ſacræ ſunt ſubjiciendi, quos dein omnino recipere tenentur, ſi nibil, quod principiis ſuæ Religionis eſſet contrarium, in ſe contineant pag. 525.

(p) Sic Mennonitæ Statibus Hollandicis ſuas confeſſiones inſpiciendas examinandasque exhibere, & ſuper quibusdam punctis ſuſpectis ſuas explicationes facere debuerunt. In Engelland, ait Moshemius, hat man den Herrenhuthern ihr Glaubens-Bekänntniß abgefordert, und da einige Dinge darinn anſtößig geſchienen, ſo mußten ſie ſich darüber erklären.

(q) Hæc illatio ſuam habet explicationem ex ſupra dictis de poteſtate Principis in res diſciplinares. Potiſſimum vero ex mente Moshemii poteſt Princeps petere inſpectionem Juris Eccleſiaſtici, quatenus ipſi conſtare poteſt, an non talis Societas ſibi quædam jura attribuat, quæ juribus Principum præjudicant. Suadet Moshemius, ut id præcipue obſervetur, ſi Judæi recipiantur, quibus hinc inde plures indulgentur libertates, quam Societatibus Chriſtianis.

Inſert 8 Principi eſſe inſinuandum, & ab ipſo confirmationem eſſe rogandam, ſi Societas ſacra in ſuis formulis confeſſionibus doctrinis & legibus ſeu Religionem ſeu mores ſeu diſciplinam concernentibus aliquid immutare velit (r).

Inſert 9 Quod, licet Societatibus ſacris competat jus ſibi eligendi miniſtros verbi divini, aliosque Docentes, ipſis tamen principibus denegari non poſſit jus illos confirmandi, excludendi, & arcendi a munere ſibi delato vel ſuſcepto, illos juramento ſibi obſtringendi, ne quid in ſuo munere contra Rempublicam moliantur (s).

Inſert 10 Principi licere ſuos mittere Deputatos ad Conventus, Synodos, & Concilia, ne quid Reipublicæ ſuisque juribus præjudicioſum in his ſtatuatur (t).

Satis, ni fallor, prolixe de jure Proteſtantico egimus. Pleraque ex Moshemio deprompſimus. Placuit autem hunc potiſſimum authorem aſſumere, quia, noſtra ſaltem opinione, nemo Doctorum proteſtanticorum hanc materiam accuratius, ſincerius, & profundius tractavit. Abſit tamen, ut illius doctrinas noſtras faciamus. Simpliciter illas referre placuit, ut, quid ipſe & ſui ſequaces doceant, ſciamus. Ne vero diſcipuli noſtri in transverſum agantur, ſi ſimilia legant, quasdam deſuper Reflexiones, & animadverſiones facere neceſſum duximus.

§. IV.

(r) Quia per talem immutationem ipſam Societatem ſacram in aliam transmutari neceſſe eſt.

(s) Hujus ratio jam ſupra fuit data. Sic in Regno Moſcowitico a munere docendi arceutur omnes Clerici Catholici præter Capuccinos. Vid. cit. author pag. 533. ubi rationem dat, cur Rex Boruſſiæ Eccleſiam Catholicorum Berolini noviter exſtructam ſolis PP. Dominicanis concredere voluerit. Vid. idem author pag. 526. ubi rationem dat, cur juramentum exigi poſſit a Miniſtris Eccleſiarum. Interim falſa ſunt, quæ Catholicis imputat.

(t) Sic enim Conciliis generalibus in Eccleſia Catholica celebratis ſæpe interfuere Imperatores & Reges vel per ſe, vel per ſuos Legatos, & noviſſime ad Synodum Tridentinam ſuos miſerunt Oratores. Vid. Diſſertatio noſtra de Conciliis. Idem obſervarunt Reges Galliæ, quando Reformati ſuas celebrarunt Synodos: & obſervant Reges Angliæ, quando Presbyteriani Synodos celebrant.

§. IV.

Reformatores ſibi invicem etiam quoad ſubſtantialia Religionis contradicunt.

Tantæ molis erat novum & ante hanc diem inauditum Religionis & Eccleſiæ cudere ſyſtema. Porro autem ex hac multiplici ſyſtematum forma, principiis, regulis & doctrinis etiam quoad ſubſtantialia Religionis ſibi invicem contrariantibus æquus rerum arbiter judicet, quid de prætenſis Reformatoribus, Reformationibus, de ipſo toto quanto Reformationis opere, ac noviter elaborata Religione proteſtantica in tot ſectas diviſa ſit ſentiendum. Omnes Reformatores prætendunt, quod in melius reformaverint Religionem Chriſtianam, omnes & ſinguli novum ſibi fabricarunt ſyſtema Eccleſiæ: Et quodnam ex his erit verum, & optimum? Res profecto mira, quod prætenſi Reformatores inter ſe ipſos etiam in ſubſtantialibus religionis vehementer contendant, & tunc ſolummodo amico fœdere inter ſe jungantur, quando cum Catholicis eſt contendendum. Notiſſima ſunt gravamina Theologorum contra Jurisconſultos, & Jurisconſultorum contra Theologos Proteſtanticos, ex quibus priores Eccleſiæ, poſteriores Principum juribus velificantur (u). Notiſſima ſunt gravamina contra exceſſus, & abuſus Principum proteſtanticorum ſua jura ultra ſuos fines cum excidio omnium jurium eccleſiaſticorum protendentium. Teſtem hujus afferre liceat ipſum Moshemium, qui, etſi, quantum poteſt, hinc inde Principes excuſare contendat, & ita quidem excuſet, ut ſcribere non formidet, quod ſua poteſtate eo, quo poſſent, & deberent, modo, non utantur, ſibi tamen temperare non potuit, quo minus illorum exceſſus graviter perſtringat, miriſque modis conqueratur, quod Principes jam ſuum dominatum etiam in conſcientias exercere contendant (x). Quæſo! quæ opinionum & ſectarum monſtra non prodierunt

Ipſi Proteſtantes queruntur contra abuſum poteſtatis politicæ in ſacra.

(u) Vid. Diſſert. de Statu Eccleſ. cap. 1. §. 23. Et Mosheim Hauptſt. IV. von dem Kirchen-Recht der Lutheriſchen Gemeinden, a pag. 578. ferme usque in finem.

(x) Alle unſere Evangeliſche Fürſten, und Stände, haben ſich diejenige Gewalt in der Kirche, die ihnen in dem Religions-Frieden war eingeräumet worden, mit einer ſehr groſſen Mäßigung bedienet, pag. 560. Gravamina vero contra Principes vid. a pag. 587. ferme usque in finem. Inter alia contra ſyſtema Thomaſianum ſic habet: So viel iſt ausgerichtet worden, daß das Anſehen der Geiſtlichkeit und verſchiedene Rechte von der Zeit an ſehr ſind eingeſchränket worden, und die ſogenannte Jura Ecclaſiarum faſt ganz und gar unter-

runt in lucem publicam Quaquerianorum, Mennonitarum, Anabaptiſtarum, Thomaſianorum, Hobbeſianorum? quam ruinoſis Reformatorum ſyſtemata nituntur fundamentis, dum aut falſis juris naturæ principiis, aut inventis mere humanis e cerebro luxuriantis ingenii prodeuntibus ea ſuperædificant? Quos tumultus bella & ſeditiones non excitarunt Reformatores, & eorum aſſeclæ? recolantur memoria tumultus Lutheranorum per Germaniam, Presbyterianorum per Belgium, Scotiam & Angliam, Reformatorum per Galliam &c. Jam ad reflexiones progrediamur. Sit ergo

Sacra Scriptura in vim legis fundamentalis recipienda.

Reflexio 1. Ex dictis conſtat, quod ferme omnes Proteſtanticorum ſectæ ſacram Scripturam in vim legis primariæ & fundamentalis aſſumpſerint. Et in hoc nos Catholicos etiam habent conſentientes. In eo differimus, quod etiam Scripturam antiqui teſtamenti revereamur, eamque etiam quoad leges cæremoniales & judiciales recipiamus, in quantum cum lege nova nullam habent repugnantiam, & ab Eccleſia ex cauſis juſtis fuerunt aſſumptæ & homologatæ; & non raro ab antiqua lege argumentum non quidem irrefragabile, ſat firmum tamen deduci poſſe exiſtimemus, aliter quam Doctores Proteſtantici opinantur: utpote qui Eccleſiæ Catholicæ continuo exprobrant, quod tot ritus & cæremonias ex veteri teſtamento mutuaverit. Fatemur alium eſſe ſtatum Synagogæ, & alium Eccleſiæ Chriſtianæ, & non raro argumentum ab antiqua ad novam legem exigui eſſe momenti: Sed num ideo omnis argumentatio fallit, tunc etiam, quando eadem, vel major militat ratio? nos alibi hanc materiam operoſius diſcuſſimus (y). In Scriptura novi teſtamenti diſtinquimus leges divinas, Divino-Apoſtolicas, & mere Apoſtolicas. Primi & ſecundi generis leges dicimus eſſe immutabiles & perpetuas; tertii generis mutabiles & temporales. In eo differimus a Moshemio, quod ipſe in ordine ad dignoſcendas leges perpetuas & temporales unice ad circumſtantias locorum & temporum reſpiciendum eſſe exiſtimet: nos vero ad praxin continuam, obſervantiam non interruptam, & judicium Eccleſiæ appellemus, & traditionem perpetuam tanquam ſignum characteriſticum inſtitutionis divinæ agnoſcamus.

Catholici etiam leges antiqui teſtamenti prudenter aſſumunt.

Refle-

untergegangen pag. 592. & pag. 603. Es fehlet nicht viel, daß man das Jus in Sacra auf die Gewiſſen ausdehnet ꝛc.

(y) Vid. Diſſert. de font. Orig. Script. & Tradit.

Reflexio 2. Præter Scripturam nos Catholici in vim legis fundamentalis recipimus traditionem divinam per Synodos, Pontifices, & SS. Patres nobis declaratam (z). Obſervantiam primitivæ Eccleſiæ decentiſſimo reſpectu reveremur in rebus diſciplinaribus, eidemque firmiſſime inhærendum eſſe aſſerimus, in quantum œconomia Eccleſiæ, viciſſitudines rerum, temporum ac circumſtantiarum permittunt: & in hoc Moshemio non contrariamur. Videantur ſupra dicta §. 2. *Catholici in vim legis fundamentalis etiam recipiunt traditionem.* *Reverentur obſervantiam primitivæ Eccleſiæ.*

Reflexio 3. Voluntatem Principis inſtar *principii ſubſidiarii* aſſumere grande nefas eſſe dicimus: ubinam enim vel literam in Scripturis reperire licet, ex qua conſtare poſſit, quod Chriſtus poteſtatem ferendi leges in Principes tranſtulerit, illorumque Ordinationes inſtar legum fundamentalium aut ſaltem ſubſidiariarum haberi voluerit? Provocant Proteſtantes paſſim ad Scripturam, eamque veluti regulam unicam in dogmatibus fundamentalibus reſpiciunt. Nobis autem certum eſt, quod ad dogmata primaria pertineat dogma de poteſtate ferendi leges, regendi gubernandique Eccleſiam divinitus inſtitutam: in hoc enim ſi nutemus, & vacillemus, brevi actum erit de Religione & Eccleſia. Quia igitur Scriptura ſacra ne verbulo quidem Principibus imperium Eccleſiæ uſurpantibus patrocinatur, contra Spiritum Chriſti & Eccleſiæ, & contra omnem prorſus veritatem ſcribunt, qui voluntatem Principis ad prima legiſlatoris ſubſellia elevare nituntur. *Voluntas principis in vim principii ſubſidiarii aſſumi non poteſt.* *Ad dogmata primaria pertinet dogma de poteſtate ferendi leges.*

Reflexio 4. Commendamus lectori ea, quæ Moshemius de origine juris Eccleſiaſtici & *Jure in Sacra* ſcribit. Exinde quiſque prudens Catholicus judicabit, quid de hoc *Jure in Sacra* ſit ſentiendum, quam lubricis nitatur fundamentis, quam diverſæ ſint Doctorum proteſtanticorum deſuper opiniones, & quomodo ipſa præjudicialis quæſtio nondum ſit deciſa, utrum Eccleſiæ proteſtanticæ, ſuppoſito quod ſint ſocietates æquales, *Jus in Sacra* in principes transferre potuerint. Anne liceat ſyſtema Eccleſiæ a Chriſto inſtitutum pro ſuo libitu ſubvertere, jura divinitus conceſſa a ſe abdicare, & in alium tranſferre? quam parum Eccleſiis Chriſtianis ſubſtantialia Religionis, tam parum illis licet formam regiminis a Chriſto inſtitutam immutare. Eſto ſocietatibus humanis libere initis ſit licitum de ſuis juribus aliquid remittere, illa cedere, vel in Principem transferre: anne id ipſum licere Societatibus ſacris divinitus conſtitutis exiſtimamus? Atque hic ille eſt error prorſus enormis, ac intolerabilis, quod Proteſtantes inter Societates ſacras, *Jus in Sacra nullum habet ſolidum fundamentum.* *Proteſtantes non potuerunt illud transferre in Principes.*

(z) Vid. Diſſert. de ſummo Pontif. & SS. Patribus.

ſacras, & Civiles, divinitus inſtitutas, & libere initas non diſtinguant, jura Eccleſiæ tanquam Societatis ſacræ emetiantur juxta regulas communes e jure naturæ univerſali abſolute ſpectato depromptas: quaſi vero eadem ſit menſura omnium Societatum ſine reſpectu ad ipſam inſtitutionem, principia, leges, pacta & fœdera: Eſto enim Societatibus ſint certa jura propria ex ipſo jure naturæ promanantia, hæc tamen non ſunt talia, ut de illis nihil remitti, & de iis per pacta, & fœdera tranſigi non poſſit: Vel enim Societas aliqua a Principe erigitur, in quam illi, qui ſponte volunt, recipiuntur: Vel homines libere in Societatem coeunt, & in civitatem recipi poſtulant: in priori caſu utique liberum erit Principi Societati a ſe inſtitutæ certas præſcribere regulas & leges, ſecundum quas erit vivendum, certa concedere jura, eorumque alienationem aut translationem in quemcunque alium transferre? In poſteriori caſu erit in arbitrio Imperantium non minus quam Societatum paciſci, inire fœdera, tranſigere, ſub quibus conditionibus, legibus, & pactis Imperantes jus civitatis concedere, Societates vero ſe illis ſubmittere velint, Cum ergo Chriſtus ſit author Societatum eccleſiaſticarum, ſine crimine enormi eidem denegari non poteſt poteſtas reſtringendi jura collegialia, unaque interdicendi, ne hæc jura in alium quemcunque transferantur. Itaque menſura jurium Eccleſiæ non poteſt eſſe ſola ratio principiis communibus e jure naturali hypothetico & abſtractive ſumpto depromptis innixa, ſed inſtitutio Chriſti ſecundum ſuum divinum beneplacitum jura Eccleſiaſtica determinantis. Quodſi ergo Chriſtus (ſemper loquimur in ſyſtemate Proteſtanticorum, illorumque hypotheſi, quod Eccleſia ſit Societas æqualis) Eccleſiæ a ſe inſtitutæ ſingularia conceſſit jura, & ne verbulo quidem indigitavit, quod ſint alienabilia: imo cum ratio ſtatus ea alienare prohibeat, quo jure Eccleſiæ proteſtanticæ jus in Sacra in ſuos Principes transferre, hi vero illa acceptare potuerunt? Hæc clariora fient ex mox dicendis: Sit ergo

Jura Eccleſiæ non debent menſurari juxta regulas communes e jure naturæ univerſali depromptas.

Jura Eccleſiæ ſecundum inſtitutionem Chriſti ſunt menſuranda.

Utrum recta Ratio ſit lex fundamentalis juris eccleſiaſtici?

Reflexio 5. Inter leges fundamentales Eccleſiæ & juris Eccleſiaſtici recenſet Moshemius *Rectam Rationem.* Atque hic nobis aperitur campus ampliſſimus fuſius explicandi ea, quæ in reflexione priori obiter attigimus. *Rectam Rationem*, inquam, inter leges fundamentales præcipue in ordine ad menſuranda tam jura Principum in Religionem & Eccleſiam, quam ipſius Eccleſiæ, quorum priora *Majeſtatica* vel *territorialia*, poſteriora vocat *Collegialia*, recenſet Moshemius. Jam, ut ſuum ſyſtema eo felicius explicare queat, mox ab initio hortatur, monetque, ne Religio in genere ſumpta cum Religione revelata quacunque,

vel

vel Princeps qua Princeps cum Principe Chriſtiano, Catholico Proteſtantico aut cuicunque Religioni addicto confundatur. Putat ergo tam Religionem, Pquam rincipem in abſtracto eſſe accipiendum.

Ex abſtractionibus, quas facit Moshemius, cognoſcitur illius ſyſtema ruinoſum.

Falſum eſt ſyſtema illorum qui jus naturæ ſine ordine ad Deum & Religionem explicaret contendunt.

Porro autem in his Principiis & abſtractionibus prodit Moshemius ſyſtema ſuum prorſus erroneum, quod mutuavit a Doctoribus proteſtanticis ſane plurimis, qui jura Principum ſine reſpectu ad Religionem & revelationem eſſe menſuranda falſo exiſtimant. Profecto ſi quod eſt principium rectæ rationi contrarium, religioni ſumme nocivum, Reipublicæ politicæ pernicioſum; tunc hoc ipſum eſt, quod Moshemius cum Doctoribus quam plurimis proteſtanticis (a), qui explicando juri naturali inſudant, commune habet opinantibus, quod jus naturale ſine ordine ad religionem & revelationem explicari valeat: Et hic ipſe eſt fons ille putidiſſimus, ex quo emanarunt, & usque nunc emanant principia perverſiſſima, quibus hodierni Politici Semi-Chriſtiani ſua ſyſtemata politica ſuperædificant cum diſpendio maximo Religionis, & Eccleſiæ Chriſtianæ. Idem mihi facere videntur hi tales, qui jus naturale independenter ab omni revelatione & religione explicare contendunt, quod facturi eſſent Philoſophi, ſi in explicandis veritatibus naturalibus ſolum uſum ſenſuum externorum cum excluſione rectæ rationis adhibere vellent. Ut ergo falſitas hujus abſtractionis & ſyſtematis luculentius appareat, eidem ſequentia opponimus principia, quæ nobis ſaltem certa ſatis eſſe videntur:

Ad præcognita juris naturalis pertinet notitia Dei.

Inde oritur Religio naturalis & ſupernaturalis.

Primo, nemo, niſi ſit Atheus negare poteſt, quod ad præcognita juris naturalis primario pertineat notitia Dei tanquam Entis primi, ſupremi, & perfectiſſimi (b). Ex hac vero cognitione in homine neceſſario oriri debet ſumma hujus Entis ſupremi exiſtimatio, amor, timor, propenſio, reverentia, & hoc ipſo *religio naturalis*, per quam impe-

(a) Contra hos ſolidiſſime ſcripſit Vir Clariſſimus in orbe literario celeberrimus Anſelmus Deſingius in ſua larva detracta, aliisque opuſculis contra Wolfium & alios editis.

(b) Id nemo ſaniorum Doctorum proteſtanticorum negare poteſt. Vid. Elementa Jur. natur. J. Burlamaqui cap. 4. part. 1. & cap. 2. part. 2.

impetu ſane maximo impellimur, jubemurque inſtinctu interno eidem debitum ac ſupremum exhibere cultum. Quoniam vero natura ſaltem in ſtatu corrupto ita comparati ſumus, ut & modum colendi ignoremus, & vel per exceſſum, vel per defectum facile in cultu divino peccemus, ad divinam providentiam pertinet, certam ac indefectibilem regulam præſcribere, modumque colendi Deum per revelationem ſeu externam, ſeu internam conſiſtentem in lumine interno cordibus impreſſo, & intellectum colluſtrante manifeſtare; atque hanc regulam appellamus *religionem ſupernaturalem* vel *revelatam* præcipue in ſtatu naturæ elevatæ, utpote quæ hominem docet rectam colendi Dei methodum, ut hac ratione vitam conſequatur ſupernaturalem, ad quam ſe a ſuo benigniſſimo conditore creatum eſſe novit.

Deus eſt finis ultimus ſuarum operationum ad extra.

Alterum principium eſt, quod ſicut Deus eſt principium, ita etiam ſit ultimus finis ſuarum operationum ad extra, adeoque omnia principialiter propter ſe, ſuamque gloriam exterius per communicationem ſuarum perfectionum manifeſtandam operatus fuerit, ſeque ipſum ſibi ipſi, & creaturis rationalibus veluti centrum & ultimum finem præſtituerit: cœteros vero fines omnes, quos homines in quocunque ſtatu ſibi præſtituunt, huic fini principaliſſimo ſubordinaverit: aut credemus fortaſſis, quod Deus ſe ipſum fini creato cuicunque e. g. ſecuritati Reipublicæ poſtponere voluerit, & ſalvo ſuo honore potuerit?

Duplex ſtatuendum jus naturale, dominans ex parte Dei, ſervum ex parte hominum.

Ex hoc duplici principio conſequitur, duplex eſſe ſtatuendum jus naturale, unum *dominans* ex parte Dei; alterum *ſervum* ex parte principum cæterorumque hominum: ex parte Dei, inquam, *dominans*, in quantum Deus qua ſupremus rerum Dominus voluit, & velle debuit, ut ultimato & principaliter omnia ad ſuum cultum colliment; ex parte hominum *ſervum*, in quantum homines obligantur ad promovendam Dei cognitionem veram, dilectionem ſinceram, & cultum Deo debitum tam privatum, quam publicum exhibendum; Principes vero ſalutem Reipublicæ ita procurare tenentur, ut Dei honor non tantum nullum patiatur diſpendium, verum etiam, quantum ſalva Reipublicæ ſalute fieri poteſt, promoveatur (c). Inde ulterius manifeſtiſſime ſe-

Prima officia hominis privati & principis ſunt ad Deum.

(c) Vid. Reflexiones & principia meliora de Juriſd. Eccleſ. Viri Celeberrimi Euſebii

ſequitur, quod prima hominis privati non tantum, in quocunque ſtatu illum conſideremus ſeu naturæ puræ ſeu elevatæ; ſeu naturali & extra ſocietatem, ſeu civili qua civem in Republica, ſed etiam Principis officia ſint erga Deum debito cultu colendum adorandumque illiusque gloram debitis modis promovendam; cœtera vero officia, quæ aut homo privatus vel ſibi vel cæteris hominibus ceu extra Societatem ſecum viventibus, vel in Societatem coaleſcentibus, aut Princeps ſuæ Reipublicæ debet, officiis erga Deum eſſe poſtponenda: ut adeo ordine præpoſtero, & contra prima juris naturalis principia agere videantur, qui in ſtatu quocunque ab officiis erga Deum & Religionem abſtrahunt, in ſtatuendis principiis juris naturæ unice ad naturam hominis, ad bonum Societatum reflectunt (d), Principes qua Principes ſine ordine ad Religionem conſiderant, jura Principum in Societates ſacras ex natura & juribus collegiorum & Societatum in genere menſurant, jus Divinum, Religionem, & Deum ipſum ſaluti Reipublicæ poſtponunt. Quia ergo obligatio Religionis eſt primaria, hæc ſane hominem ſequitur in omni ſtatu ſicut lux ſolem, & umbra lucem: ad hanc præcipue tanquam cynoſuram æque Principibus in Regimine Reipublicæ, ac hominibus privatis in ſuis actionibus & officiis erit reſpiciendum.

Ex hac hypotheſi ſequitur non licere in explicando jure naturæ a Religione & revelatione abſtrahere.

Ex hypotheſi ergo eaque certa & indubitata, quod detur religio ſeu naturalis ſeu revelata: quod obligatio Religionis ſit primaria: quod in Principibus detur jus naturale *ſervum*, tam parum Philoſophis & Theologis Chriſtianis in explicando jure naturæ, in dilucidandis juribus Principum in Societates maxime ſacras a Religione & revelatione abſtrahere licebit, quam parum in ſtatuendo principio juris naturæ in ordine ad Rempublicam ab ipſa Republica illiusque bono abſtrahere poſſunt (e). Et nunquid hi ipſi Doctores vel inviti concedere debent, quod imperium Principis in ſubſtantialia Religionis etiam falſæ ſuorum ſubditorum ſe non extendat (f)?

ſebii Amortii oppoſita principiis Poloni nobilis, & P. Bordii part. 3. Propoſ. 1. ubi hanc materiam ſolidiſſime tractat.

(d) Prout facere videntur Puffendorffius, Wolfius &c.

(e) E. g. Doctores, qui principium juris naturæ cum Puffendorfio ponunt in Socialitate, utique a Societatibus abſtrahere nequeunt.

(f) Vid. ſupra dicta.

Theologus vel maxime & Philoſophus Chriſtianus talem abſtractionem facere non poteſt.

Itaque paradoxa loquuntur & ſcribunt, qui Principem qua principem ſine ordine ad Religionem conſiderant. Videat ergo Moshemius, quomodo ipſe qua Philoſophus & Theologus Chriſtianus talem facere abſtractionem potuerit. Pulcherrime ſane & ad hominem diſcurrit Moshemius, dum de Religione in genere, & juribus Societatum collegialibus diſcurrit; Sed num conformiter ſanæ rationi ſublimius cogitanti, & ad divinam providentiam ac ſapientiam reflectenti? Deum ipſe agnoſcit, Religionem admittit naturalem, & revelatam in moderna ſaltem providentia & ſtatu hominis ad finem ſupernaturalem elevati admittere debet: negare non poteſt, quod Deus in omnibus ſuis operibus ſuam gloriam principaliter quæſiverit, & quærere debeat. Quibus ſic poſitis ſane non videtur, qua arte a Principe Religionem ſeparare valeat. Etiam invitis nobis a recta ratione, ſi ita dicere fas eſt, obtruditur Religio tanquam primum principium rerum agendarum. Sentit nempe celeberrimus hic Theologus cum plurimis Authoribus proteſtanticis, qui jus naturæ novum, & ſolitarium ſine reſpectu ad Deum & fines a Deo ſibi in æternis ſuis decretis præſtitutos ſtatuunt, & Catholicis obtrudere contendunt. Deus T. O. M. quemadmodum eſt principium, ita debet eſſe finis primarius juris naturalis, in quem cœteri fines particulares ſunt ordinandi. Quemadmodum Deus hominem ſine cognitione ſui Conditoris, ita neque ſine ordine ad ſe ipſum tanquam Ens ſupremum colendum adorandumque & finem ultimum aſſequendum condere noluit. Sed quid fruſtra contendimus? demus principia Moshemiana eſſe vera inſpiciendo jus naturæ ſolitarium ſine ordine ad revelationem & inſtitutionem divinam, quale dari negamus: falſa tamen ſunt, & in præſenti rerum hypotheſi, dum Deus ex pleniſſima ſua libertate, & voluntatis arbitrio Religionem revelavit, Eccleſiam inſtituit, jura Eccleſiaſtica determinavit, ad præſentem ſtatum naturæ elevatæ, Religionis & Eccleſiæ applicari non poſſunt.

Saltem in præſenti rerum hypotheſi principia Moshemiana ſunt falſa.

Falſa eſt doctrina docentium, quod Princeps Societatibus ſacris ſolam debeat aſſiſtentiam defenſionem & advocatiam.

Reflexio 6. In eo facile aſſentimur Moshemio, quod Principes in ſubſtantialibus Religionis, quam profitentur ſubditi, nihil immutare poſſint, eo quod nullum ipſis jus ſit in conſcientias hominum (g). In eo autem juſte ipſi contradicimus, dum univerſaliter do-

(g) Vid. ſupra dicta ex Moshemio.

docet, quod Principes aliam obligationem non habeant, præterquam quod jura Societatum ſacrarum aliis ſocietatibus communia defendere, & vices defenſoris ac advocati ſuſtinere teneantur ſine ulteriori obligatione bonum Religionis & Eccleſiæ promovendi. Potius erit diſtinguendum, videndumque, an Princeps ſit addictus Religioni, quam Societas ſacra in ſuo territorio tolerata vel civitate donata profitetur, & an eam veram an potius falſam agnoſcat: ſi falſam; facile cum Moshemio convenimus, exiſtimantes ſolam defenſionem deberi ſubditis alterius Religionis, imo Principem ne quidem poſſe ſalva conſcientia bonum Religionis & Eccleſiæ, quam falſam eſſe agnoſcit, promovere, & in ordine ad hunc finem ſingularia jura privilegia & favores indulgere. Si vero veram eſſe ex dictamine rectæ Rationis ſentiat: Quidni ſit obligatus ad promovendum bonum religionis & Eccleſiæ, in quantum ſalva tranquillitate Reipublicæ fieri poteſt? Anne *jus* illud *ſervum* a Deo coronis Regum & ſceptris Imperantium annexum, quo tranquillitatem publicam ita curare obligantur, ut modo meliori, quo fieri poteſt, gubernatio regnorum ſerviat ad cultum Dei, illiusque gloriam extrinſecam promovendam, Principi pro ſuo libitu contemptim habere, repudiare, & rejicere liceat? An non hoc ipſum eſt Religionem & Eccleſiam ad infimam conditionem ſervæ, ancillæ & mancipii detrudere, ac demum cultui divino, gloriæ Dei, bono Religionis felicitatem quamdam Eccleſiæ imaginariam, accidentalem, & ſæpe ſæpius fictam anteferre? Atque ex hoc peſſimo principio fluxere principia hodierna pſeudo-politicorum, quibus ſalus Reipublicæ ſuprema lex eſt, qui ad hanc veluti Cynoſuram omnia ſua dirigunt conſilia, Eccleſias ſuis juribus, bonis, privilegiis & favoribus ſpoliare non reformidant, theſauros Eccleſiarum jam non amplius in pios uſus etiam moderatos impendi permittunt, ærario Principis, vel marſupio proprio potius locupletando, quam bono Religionis, & honori Numinis promovendo ſunt intenti, rebus diſciplinaribus ad tranquillitatem, & ſalutem politico-publicam vel nihil vel parum conducentibus ſe immiſcent, ac felicitatem Reipublicæ decempeda accuratiſſima ad omnes regulas Arithmetices trutinant: læſiones econtra Eccleſiarum etiam enormes in ultimis curis habent, parum curantes, quidquid Religioni & Eccleſiæ acciderit (h). Sed hæc clariora fient ex mox dicendis. Sit ergo

Videndum, an princeps religionem ſubditorum profiteatur.

Juſtæ querelæ contra Pſeudo-politicos.

 Re-

(h) Vid. Idem Amortius loc. cit.

In rebus diſciplinaribus & adiaphoris moderata poteſtas principibus non eſt deneganda.

Reflexio 7. Quoad adiaphora & diſciplinaria tamen non adeo rigidi exactores jurium Eccleſiaſticorum ſumus, ut Principes ab omni jure in cauſis mixtis, & cum ſtatu politico connexis excludamus, dummodo verum aliquod intereſſe politicum, pretio æſtimabile, non umbratile & imaginarium ſtudioſe quæſitum oſtendi poſſit. Novimus quam optime, quid traditio, obſervantia conſuetudo & diſciplina Eccleſiæ veteris doceat; quippe quæ non adeo ſuorum jurium conſervandorum fuit tenax, aut augendorum ſtudioſa, ut non ſæpius æconomiæ cauſa aliquid de ſuis juribus remittere ſciverit, aut principes ab exercitio ſuorum jurium excludere attentaverit: quapropter Imperatores & Reges admiſit ad Concilia, in cauſis Eccleſiaſticis illorum imploravit auxilium & patrocinium, eos electionibus Epiſcoporum intereſſe permiſit, imo & jus nominandi conceſſit, cum primoribus imperantium in Comitiis egit & tractavit de negotiis & cauſis Eccleſiaſtico-politicis, imo neque *Placitum illud Regium* ita dictum, quo utuntur Principes noſtri Catholici, ex toto rejicimus, repudiamus & proſcribimus: dummodo hæc omnia ſuis circumſcribantur limitibus, inter jura & facta, inter caſum & caſum, inter tolerantiam conniventiam & poteſtatem precario conceſſam, vel omnino uſurpatam, & de jure competentem ac propriam diſtinquatur. Utinam eſſet, qui nobis fines jurisdictionis Eccleſiaſticæ & politicæ determinaret. Sed quis ille erit? Illud autem juſte querimur contra Acatholicos non tantum ſed etiam Catholicos, quod illi jura Principum cum exceſſu extendant, jura Collegialia eisdem plene ſubjiciant: hi vero ubique intereſſe politicum prætexant, etiam ubi de hilo, de granulo boni politici agitur: Non raro de umbra diſceptatur inter Eccleſiaſticos & politicos. Muſcas non raro captant politici, tantum ut ſuis principibus placeant, aut ſuo proprio intereſſe velificentur (i). Profecto ſi hodierni politici tantum invigilarent bono politico vero Rerumpublicarum procurando, quantum ſtudent diminuendis juribus Eccleſiaſticis, quam non felices forent reſpublicæ politicæ, quas beatas eſſe non poſſe exiſtimant, niſi earum Imperantes in Socie-

Id docet veteris Eccleſiæ diſciplina.

Abuſus Placiti Regii perſtringitur.

(i) E. g. Agitur de aliqua proceſſione publice inſtituenda, de feſto ſolemnius celebrando, de hora celebrandis divinis præſcribenda, & en! jam politici neſcio quod intereſſe politicum ſubeſſe fingunt, e. g. fieri expenſas inutiles, homines abſtrahi a ſuis laboribus &c. Etſi ſimilia quodammodo conectantur cum ordine publico, neſcio tamen, an tanti interſit Reipublicæ: niſi particulares circumſtantias ponamus, ut talia ab Eccleſia ſtatui non poſſint, niſi accedat conſenſus Principis.

Societates ſacras veluti ancillas dominentur, & ſuum imperium ferme in omnes actiones etiam adiaphoras, aut certe granulum fortaſſis ad melius eſſe Reipublicæ conferentes extendant, ſicque cauſis & negotiis Eccleſiaſticis ſe ſe immiſceant.

Exceſſivi Zelatores boni publici impingunt in omnia jura, & regulas boni regiminis.

Videntur mihi hujusmodi zelatores felicitatis politicæ in prima juris naturalis, divini, rectæ Rationis & boni regiminis principia impingere. Jus naturale ſi inſpiciamus, iſtud ſane eſt ſimpliciſſimum, & ea duntaxat præcipit, quæ ad ſalutem Reipublicæ ſunt neceſſaria. Jam vel ponimus, quod imperantes ſuum habeant imperium a DEO vel ab hominibus libere in Societates coeuntibus? quæſo quis mortalium ſana ratione præditus ſibi perſuadere poterit, quod vel DEUS qua author Rerumpublicarum non minus quam Societatum ſacrarum imperantibus jus in ſacra tam amplum, veluti irreſtrictum, & tale quidem, quod ſe in omnes ferme actiones etiam adiaphoras extendere deberet, cum præjudicio ſui honoris, & gloriæ, Religionis & credentium concedere, & Eccleſiam ſuam Reipublicæ famulam & pediſſequam facere voluerit? Vel populus ſuarum libertatum in negotio Religionis potiſſimum tenaciſſimus transferendo imperium omni libertate ſe exuere, eamque in Principes tranſcribere, & actiones ſuas de ſe indifferentes parum vel nihil vel granulum fortaſſis ad felicitatem Reipublicæ, ſed unice ad melius illius eſſe conferentes ſubmittere voluerit? Profecto hujusmodi actiones ex eo quod ad melius eſſe non nihil conferant, nondum exeunt e latiſſimo libertatis naturalis, ac jurium Collegialium campo, ſicque imperio Principis neutiquam ſubſternuntur. Innumera ſunt, quæ ad melius eſſe boni publici conferre videntur: ſed num hæc omnia Principi ex hoc capite præcipere mox liceat? ſimilia quantum ſua bonitate juvant, tantum ſua multitudine perturbant; eaque præcipere velle regulis boni regiminis repugnat, ex quibus docemur populum non in virga ferrea, ſed in vinculis lenitatis eſſe regendum, leges non multiplicandas, onera non debere eſſe inſupportabilia. Quanta ex hujusmodi irreſtricta poteſtate non debet oriri rerum confuſio & perturbatio! Et quod præcipuum eſt, nunquid hæc eſt via proxima ad deſpotiſmum, & tyrannidem, quam ipſi Proteſtantes potiſſimum in negotio Religionis deteſtantur (k)?

Ne tamen objiciatur nobis, quod non raro ea, quæ eſſe minima videntur, reſpectu certarum circumſtantiarum maximi ſint momen-

ti

(k) Paſſim enim docent, in materia Religionis omnem vim abeſſe debere.

ti (l), haud inficiamur in ſimili caſu jus Principis ſubintrare. Id ſolum querimur, quod ſæpe genuinum intereſſe non ſubſit, ſed potius fingatur, & intereſſe minimum falſis coloribus veluti maximum depingatur. Hæc liberius ſcribere placuit non contra Doctores Proteſtanticos duntaxat, ſed etiam Catholicos non paucos, quibus ſuademus, ut ea, quæ Moshemius loco citato in fine habet, ubi abuſum jurisdictionis politicæ ſatis acute & nervoſe perſtringit, diligenter ſed caute legant.

Principia de tolerantia Religionis ſunt caute adoptanda.

Reflexio 8. Quæcunque Moshemius de tolerantia & receptione Religionum & Societatum ſacrarum, earumque legitimitate tam morali quam civili diſcurrit, accipienda ſunt in ſenſu ſano, & cum reſpectu ad principia hactenus adducta, quæ forſitan adoptari poſſunt a Principibus Religioni, quam tolerare vel jure civitatis donare volunt, neutiquam addictis. Sed num hæc principia adoptare valeat Princeps Catholicus in ordine ad ſuos ſubditos Catholicos? id profecto nunquam dicere ego auſus fuero.

Diſtinctio inter jura Majeſtatica & Collegialia & inde deductæ ſequelæ apud Catholicos locum habere non poſſunt.

Reflexio 9. Ea, quæ Moshemius de juribus Majeſtaticis & collegialibus habet, aliunde repugnant ſyſtemati Catholicorum: utpote qui in Eccleſia ſua Societatem inæqualem, Rempublicam, & Hierarchiam reverentur, & hoc ipſo talia principia ſalva Religione aſſumere nequeunt.

Salubre monitum pro Doctoribus Catholicis, ut in recipiendis doctrinis proteſtanticis ſint circumſpecti.

Reflexio 10. Hortamur Doctores Catholicos, ne ſimilia principia Acatholicorum, dum de jurisdictione Eccleſiaſtica & politica agitur, incauti adoptent, ſed potius ad tempora antiquiora reflectant, quibus non modo Eccleſiæ ſalva fuere ſua jura, ſed etiam Clero tam ſæculari quam regulari quam plurima jura ſpecialia, privilegia, exemptiones, & prærogativæ fuerunt conceſſæ. Haud ignoramus, quid opponi poſſit & ſoleat: nempe barbariei temporum, ſuperſtitioni fidelium, technis & piis fraudibus Monachorum hæc eſſe adſcribenda. Sed quo cum fuco veritatis? permittamus etiam aliquid veritatis ſubeſſe: Sed quare hæc plenis buccis ſpargunt in omnem orbem, ſimul autem merita ingentia utriusque Cleri fraudulenter diſſimulant? An ergo nihil collaborarunt Monachi in converſione gentilium, in Religione Catholica propaganda & diffundenda, in ſalute animarum procuranda, in excolendis artibus & ſcientiis? Paſſim in Republica bene ordinata bene meritis decernuntur præmia, & indulgentur privilegia: Soli Clerici ad conditionem ſervorum detruduntur: Quidquid hi faciunt, facere debent ſine ſpe alicujus præmii. Longe aliter cogitarunt pientiſſimi Imperatores, Reges, & Principes, quibus ſuprema lex fuit Religio & Eccleſia. Atque hos ignorantiæ & ſuperſtitionis arguere temerarium eſt, & grande nefas.

Reflexio

(l) Id probat exemplum ſupra a Moshemio allatum de pulſu Campanarum apud Turcas.

Van-Eſpen dum agit de Placito Regio caute eſt legendus.

Reflexio 11. Mox antea mentionem obiter injecimus de *Placito Regio* hodie per omnia ferme Regna Catholicorum dominante, de quo fuſius agit Van-Eſpen (m). Hortamur autem Catholicos, ut hunc Authorem caute legant, qui ſane exceſſivus eſt in extenſione hujus *Placiti Regii*, & jure optimo illis Scriptoribus annumerari meretur, qui, ſicut diximus, muſcas captant, de umbra diſputant, intereſſe politicum etiam imaginarium ante oculos habent, atque hac ratione poteſtatem Eccleſiaſticam ferme ad incitas redigunt; econtra politicam ultra ſuos fines quam longiſſime extendunt. Hactenus de origine fundamento & fontibus originariis Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici ſatis fuſe egimus.

§. V.

De aliis legibus fundamentalibus Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici agitur.

Jam quænam præter Scripturam ſacram, articulos fundamentales, & rectam rationem aliæ leges in certo ſenſu fundamentales apud Proteſtantes ſint, videamus. Leges iſtæ vel ſunt generales, vel particulares pro Germania; & ambæ tam Catholicis quam Proteſtanticis in aliquo ſaltem ſenſu communes: vel ſunt leges Eccleſiaſticæ ſolis Proteſtantibus propriæ, atque iterum generales & particulares publicæ vel privatæ. Ad leges utrisque communes generales referunt Canones Conciliorum antiquiorum usque ad Reformationem (n). In eo tamen differunt a Catholicis, quod hi dictis Canonibus eatenus aſſurgant, quatenus fuere conditi ab iis, penes quos erat poteſtas condendi leges (o); ipſi vero eos ex alio capite in numerum legum non referant, quam quod a Germanorum Imperatoribus fuerint confirmati, vel eorum tacito conſenſu recepti, & a Proteſtantibus non rejecti (p). Item Decrera Pontificum in corpore Juris clauſa eatenus recipiunt, quatenus ex uſu recptione conſuetudine & praxi legalitatem obtinuerunt, ſuæ confeſſioni non contrariantur, aut per leges imperii, & ordinationes ſuas Eccleſiaſticas eisdem non fuit derogatum (q). Ad leges

Habent quasdam leges Eccleſiaſticas Catholicis etiam communes.

(m) Tom. 2. Parte IV.

(n) Vid. Prænot. Jurisprud. Eccleſ. Jo. Ern. Floerkii pag. 34. & pag. 115. ubi ſic habet: Concilia poſt reformationem a Pontificiis habita plane non agnoſcunt Proteſtantes; inprimis Concil. Trident. quod tam quoad dogmata quam quoad jura Canonica in totum a Proteſtantibus repudiatum eſt.

(o) Nempe ab Epiſcopis. vid. Diſſert. de Concil.

(p) Cit. Floerckius loc. cit. ſic habet: Canones Conciliorum licet per ſe nullam authoritatem habuerint, valuerunt tamen vel ex confirmatione Imperatorum, vel ex uſu & receptione: & cum certum ſit, Concilia tam generalia quam particularia exceptis quibusdam, quæ expreſſe a Germanis fuere reprobata, in Eccleſiis Germanicis ante Reformationem obtinuiſſe, eaque per Reformationem non eſſe rejecta, ſequitur, quod hodie ex receptione & retentione Eccleſias Proteſtanticas obligent.

(q) Vid. Diſſert. de Auth. Jur. Eccleſ.

ges Eccleſiaſticas ſpeciales pro Germania publicas utriſque communes pertinent Pactum ſolemne inter Calliſtum II. Pontificem, & Henricum V. Imperatorem, Transactio Paſſavienſis, Pax Religioſa & Weſtphalica, Receſſus Imperii & Capitulationes Cæſareæ.

Recenſentur leges Eccleſiaſticæ ſolis Proteſtantibus propriæ.

Ad leges Eccleſiaſticas ſolis Proteſtantibus proprias & generales procul dubio pertinent libri Symbolici, nempe Auguſtana Confeſſio, illius Apologia, Articuli Smalcaldici, uterque Catechiſmus major & minor Lutheri, nec non Formula Concordiæ. Item Concluſa Corporis Evangelicorum, quæ a Statuum Proteſtanticorum Legatis in comitiis imperii ordine comitiali conſueto conficiuntur (r). Demum leges Eccleſiaſtico proteſtanticæ particulares vel ſunt publicæ, vel privatæ? illæ ſunt *Conventionales* Principum cum Ordinibus provincialibus circa Religionem initæ, e.g. *Reverſales, privilegia* &c. *privatæ* ſunt illorum ordinationes Eccleſiaſticæ, quas vocant Kirchen-Agenda. De his videatur Moſerus (s).

§. VI.

Breviter agitur de progreſſu & incrementis Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici.

De progreſſu & incrementis Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici dicere nimis longum foret. Alibi diximus, qualem uſum, & Authoritatem Jus Canonipum habeat apud Proteſtantes. Et quis in numerum coget commentaria, & libros, quos Doctores Proteſtantici publicæ luci commiſerunt? Quibus id laudis dare debemus, quod Jus Eccleſiaſticum vel maxime ex Hiſtoria Eccleſiaſtica & Politica mirum in modum illuſtraverint, quamquam negare non poſſint, quod eruditionem ſuam ut plurimum debeant Scriptoribus noſtris Catholicis Thomaſino, Fleurio, Conſtantio, Petro de Marca, Natali Alexandro, aliisque. Præter ſpem omnem quaſi ſub manu crevit hæc ſcriptio noſtra ultra, quam credidimus, filum porrigente Moshemio viro inter Theologos Proteſtanticos celeberrimo, ex quibus nemo noſtra ſaltem opinione de principiis Juris Eccleſiaſtico-Proteſtantici majori ſinceritate eruditione & perſpicacitate ſcripſit: nemo perverſa Juriſconſultorum quorumdam Proteſtanticorum & Politicorum principia felicius detexit, & refutavit: nemo materiam de jure in Sacra modeſtius dilucidavit. Sed ſatis. Jam primitiis laborum noſtrorum finem imponimus, quos non ex alio fine aſſumpſimus, quam ut

In Omnibus Glorificetur DEUS.

QUÆSTIO

(r) Huc pertinent potiſſimum concluſa, quæ a Corpóre Evangelico ſiunt in controverſiis inter Catholicos & Proteſtanticos agitatis, e. g. in cauſis Calendarii: unionis Proteſtantium: item noviſſima cauſa Haſſo-Caſſeliana occaſione mutatæ Religionis Ewiliche Aſſecurations-Acte, & notiſſima cauſa Wied-Runckeliana. Vid. cit. auth. obſerv. 28. pag. 128. (s) Corp. Jur. Eccleſ. Proteſt. II. Tom. 4.

QUÆSTIO II.

DE
FONTIBUS ORIGINARIIS JURIS ECCLESIASTICI, SCRIPTURA ET TRADITIONE.

Quinque eſſe fontes originarios (Theologi locos vocant Theologicos) e quibus jus noſtrum, & hujus Collectiones ortum ſuum traxere, nempe Scripturam, Traditionem, Canones Conciliorum, Decreta Pontificum, & SS. Patrum doctrinas, in prima Quæſtione cap. 5. §. 2. oſtendimns. Hos jam ſecundum ordinem non nihil accuratius ac fuſius methodo nuper obſervata excutiamus, eum in finem, ut Canditati Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ in hiſtoria ſuæ artis ac ſcientiæ, quam in priori Quæſtione quaſi in imagine contracta delineavimus, magis magisque proficiant, doceanturque, quo armorum genere ſit utendum, & e quo armamentario ſua arma depromere debeant, ut ineluctabili argumento ſuas doctrinas ſtabilire, atque contra hoſtes Eccleſiæ agere triumphum valeant.

Superi benevertant.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.
De S. Scriptura.

CAPUT II.
De Authoritate & uſu S. Scripturæ in Jure Eccleſiaſtico.

CAPUT III.
De Traditione.

Digitized by Google

CAPUT I.

De S. Scriptura.

§. I. *Quid ſit S. Scriptura?* II. *Illius exiſtentia & Authentia demonſtratur.* III. *Diviſio in antiquum & novum Teſtamentum exponitur,* IV. *Variæ librorum utriusque Teſtamenti diviſiones explicantur.* V. *Quot & quales Libros Canonicos, proto- & deutero Canonicos, ſpurios, & dubios habeamus, & quales tam antiqui quam hodierni Heterodoxi rejicere ſoleant?* VI. *Multiplex Scripturæ ſenſus explanatur.* VII. *Agitur de verſionibus in genere, & ſpeciatim Hebraica* VIII. *Græca* IX. *Latina*, X. *Vernacula.* XI. *Quibus Authoribus, quo idiomate, quo tempore Libri V. & N. T. ſint ſcripti?* XII. *Quid ſint concordantiæ, paraphraſes, gloſſæ, commentaria, & qui præcipui Interpretes?*

§. I.

Ordiamur a S. Scriptura, quæ cæteros inter fontes principem obtinet locum, & prætermiſſis variis, quæ paſſim circumferuntur, illius nominibus (a), accuratiorem Scripturæ definitionem adornemus: Nomine igitur Scripturæ S. venit *Verbum DEI inſtar regulæ primæ & fidei ſeu credendorum, & morum, ſeu agendorum inſpiratum & ſcriptum* (b). Paucis multa complexi ſumus haud paucis involuta difficultatibus, pro quarum elucidatione duo præcipue deducimus: Primo tres eſſe characteres S. Scripturæ proprios, eſſe *Verbum DEI*, eſſe *inſpiratum*, & *ſcriptum*. *Verbum DEI* Scriptura dicitur, non quod DEUS vel per ſe ipſum in corpore aſſumpto, vel per Angelum a ſe ſubſtitutum (quamquam DEUM fuiſſe locutum paſſim

Quid ſit Scriptura?

Tres ſunt Characteres Scripturæ.

O 3

(a) Vocatur *Verbum DEI*, *Biblia*, quod idem eſt ac *liber* in latino, *Teſtamentum DEI*, quia ſingularem DEI voluntatem continet, *Inſtrumentum* novum & vetus, quia ea utimur tanquam inſtrumento ad fidei & morum doctrinam comprobandam, *eloquia DEI &c.*

(b) Communius Authores breviorem dant definitionem ſimpliciter definiendo, quod ſit *Verbum DEI ſcriptum*.

paſſim Scripturæ dicant) (c) de ore ad os locutus fuerit, & loquendo dictaverit; ſed quod Scriptoribus ſacris ſingulari afflatu aſtiterit aliqua prius omnino incognita revelando, alia inſpirando, atque tam quoad revelata, quam inſpirata illis aſſiſtendo, ne ſeu ex malitia, ſeu ignorantia, aut oblivione vel minimum lapſum committerent (d).

Quomodo Scriptura ſit inſpirata?

Dicitur *inſpiratum* ab inſpiratione per Spiritum S. Scriptoribus ſacris facta. Quo id ſenſu intelligi debeat, acerrime quondam inter Theologos fuit diſputatum (e) ac hodiedum diſputatur; ſunt enim, qui pro dignitate Scripturæ rigidius zelantes, eam non modo quoad ipſas *res*, verum etiam quoad ſingulas *propoſitiones*, aut omnino ſingula *verba*, *ſyllabas*, & *apices* fuiſſe inſpiratam, quin & inſpirari debuiſſe exiſtimant, ut ſecus rationem *Verbi Divini* habitura non foret (f). Sunt & alii mitius ſentientes, atque dignitati Scripturarum abunde eſſe conſultum exiſtimantes, ſi modo ſacros Scriptores a DEO ſingulari afflatu ita fuiſſe motos, ut quædam aliunde ſibi nota ſine nova revelatione; quædam pro priori ignota, revelante & velut dictante Spiritu S. ſcriberent: cæteroquin vero a DEO ſibi aſſiſtente ita fuiſſe directos dicamus, ut ne minimum paterentur lapſum, eſto de cætero propoſitiones, phraſes, & verba, ſtylus, & orationis contextus, quibus ſenſa

(c) Lege Teſtamentum vetus, & numera, ſi potes, quoties DEUS Patriarchis & Prophetis ſuis fuerit locutus: unde & Apoſtolus ait Heb. 1. c. 2. *Multifariam Deus locutus eſt olim Patribus in Prophetis & noviſſime diebus iſtis in Filio.* Num vero per Angelum, vel per ſuum filium? adhuc diſputatur inter Theologos.

(d) Solent accuratiores Theologi tria diſtinguere, *revelationem*, *inſpirationem*, & *aſſiſtentiam*. *Revelatio* eſt rei pro priori incognitæ divinitus facta manifeſtatio: *Inſpiratio* eſt motus, quo Deus ad ſcribendum impulſu peculiari movet: *Aſſiſtentia* eſt directio, qua Spiritus S. aſſiſtit ſcribenti, ne modo quocunque patiatur lapſum.

(e) Vid. Tournelius de controverſia orta inter Doctores Lovanienſes, ac Duacenſes ex una, & nonnullos e Societate Theologos ex altera parte Tom. I. de Deo & div. attrib. q. 4. de loc. Theolog.

(f) Similiter hæc tria ſunt diſtinguenda, *res, verba*, & *verborum ſeries*, ſeu *ſtylus*. *Res* vel ſunt dogmata & ſententiæ ad mores & fidem ſpectantes: vel ſunt hiſtoriæ, vaticinia, leges & præcepta. *Verba* ſunt ipſæ voces, quibus mens, & ſenſus Scripturæ exprimitur: *ſtylus* eſt verborum ſeries, ordo & compoſitio ordinata.

ſenſa animi exprimunt, tanquam fœtus proprii ingenii, laboris, ac ſudoris ſuſpiciantur, Utriusque ſententiæ fundamenta paſſim exhibent Theologi (ff).

Quomodo Verbum ſcriptum? Dicitur *ſcriptum* a Scriptura, ut diſtinguatur a *Verbo tradito.* Inde venit, quod SS. Patres S. Scripturam paſſim epiſtolam DEI ad homines ſcriptam vocare conſueverint (g). Qua vero arte DEUS homini ſcripſerit, Theologis diſcutiendum relinquimus (h).

De-

(ff) Utriusque ſententiæ defenſores & fundamenta præter alios fuſiſſime deducit Author Prolegom. ad Uſum Cleri Diœceſ. Auguſt. Qui in alio ſuo opere inſcripto: *Demonſtratio Critica* part. 1. quæſt. 19. Not. 4. hæc habet: Communiorem nunc eſſe apud cordatiores Scripturæ interpretes & Theologos ſententiam, non omnes ſenſus eſſe immediate dictatos a Spiritu Sancto: ſed arbitramur ſufficere, quod Scriptor ex ſpeciali motione ſe applicuerit ad ea ſcribenda, quæ vel ex libris fide dignis, vel ex relatione idoneorum teſtium, vel ex ductu rationis cognoverat, ita tamen, ut Deus ſingulari ſua aſſiſtentia caverit, ne in ejusmodi ſcripto irreperet error, ſpecialiter in materia fidei & morum: imo pro Script. S. agnoſci poſſent etiam libri humano prorſus ingenio ſine ſpeciali antecedente motione Spiritus S. ſcripti, dummodo poſtea Spiritus S. teſtaretur, omnia in eo libro contenta eſſe vera. Quam in rem adducit notabilem locum ex Bonfrerio in præloq. in Script. cap. 8. Placuit ſemper hæc ſententia, cum eo tamen moderamine, quo utitur Magnif. P. Vogl in Proleg. Sect. II. cap. 1. §. 9. Quod eatenus verba fuerint inſpirata, quatenus ad ſenſum a Spiritu S. ſingulariter intentum conducunt: non enim omnia verba ſunt æqualiter expreſſiva &c.

(g) Nominatim SS. Chryſoſtomus, Auguſtinus, & Gregorius M. a Petro Annato in Apparat. Lib. 2. art. 1. citati.

(h) Duplici Potiſſimum via Deum homini ſcribere idem Author loc. cit. art. 2. oſtendit: videlicet *via naturæ*, quo modo Deus ſcripſit per univerſas creaturas, & totum hoc univerſum tanquam ampliſſimum librum, in quo legimus Deum illiusque infinitas perfectiones: & *via prophetiæ* per Prophetas & Apoſtolos: & hoc iterum triplici modo: vel per ſe ipſum, quo modo in duabus tabulis Decalogi ſcripſiſſe legitur Exod. 31. v. 18. Et Chriſtus Dominus in lege nova non in tabulis lapideis, ſed in corde Eccleſiæ, non atramento, ſed digito Dei ſcripſit. Vel *per alios* quaſi *dictando*, ſicut ſcripſit per Prophetas & Apoſtolos: vel nec *dictando*, nec ſcribendo, ſed *committendo*, & *confirmando*, quemadmodum ſcribit in novo Teſtamento per Concilia & Pontifices.

Eſt primaria fidei & morum regula. Deducimus ex allata ſupra definitione ſecundo, aliam adhuc, eamque duplicem ac prorſus ſingularem Scripturæ competere prærogativam, nempe quod a Supremo Numine eum in finem fuerit inſpirata, ut eſſet primaria & *fidei*, & *morum* regula, ſeu norma principalis tam *credendorum*, quam *agendorum*. Sub utraque ratione Dictatoris, cui omnino eſt aſſurgendum, munere fungitur: in quantum eſt regula credendorum, jure optimo a Theologia vindicatur, utpote cujus eſt ſaluberrimam fidem gignere, nutrire, fovere, revelata explicare, & ex revelatis ulteriores concluſiones deducere: in quantum vero eſt regula morum, haud dedignatur ſeſe & Theologiæ, & Jurisprudentiæ diſcuſſioni ſubmittere; cum utraque ad inſtruendos, informandosque mores ſit ordinata utut diverſo modo alibi explicato (i).

§. II.

Quinam S. Scripturam exiſtere negent. Exiſtentiam Scripturæ, illiusque Divinitatem non niſi Deiſta, vel omnino Atheus, vel ſi quæ ſint alia his ſimilia hominum monſtra, negare auſus fuerit. Hiſce jure optimo Libertinos, Indifferentiſtas, Syncretiſtas, & Pyrrhoniſtas annumeraveris, quorum principia parum a falſis illorum dogmatibus diſtare, aut certe ad Deismum vel omnino Atheiſmum via planiſſima ducere compertiſſimum habemus: quamquam enim inter hæreticos fuerint, & adhuc ſint, qui integros Scripturæ libros, quin & totum antiquum Teſtamentum e catalogo librorum divinorum expunxere (k), vix tamen ullus eo audaciæ & dementiæ prolapſus fuit, ut perfricta fronte omnem Scripturam negare, & inſtar anilis fabulæ rejicere auſus fuerit.

Argumenta, quibus exiſtentia Scripturæ demonſtratur. Argumenta tam pro exiſtentia, quam divinitate militantia paſſim in Theologis & Hiſtoricis legenda proſtant (l). Utramque æque facile demonſtraveris, ac Religionem aliquam neceſſario revelatam; quam ſi inſtar poſtulati dederis, prono alveo fluit, Supremum illud Numen, ad quod debite colendum, ac poſſidendum omnis Religio collimat, debuiſſe homini quosdam revelare modos, ritusque, quibus ab ipſo coli adorarique velit, viasque aperire, per quas obtineri ac ultimato poſſideri valeat. Unde ad id cardo difficultatis vertitur, qua arte hosce colendi modos & vias manifeſtaverit, & qualem ex innumeris, quas in manu arbitrii ac Sapientiæ divinæ eſſe poſitas nemo

(i) Vid. Diſput. I. cap. 1. §. V.

(k) Vid. §. ſeq.

(l) Vid. cit. Author Proleg. part. III.

mo negaverit, prælegerit? Num præcepta Religionis revelatæ ſcripſerit in cordibus noſtris, quemadmodum ſcripſit legem naturalem, num potius in tabulis ſeu membraneis ſeu lapideis, ad modum, quo præcepta Decalogi ſcripſiſſe in lege veteri credimus, num de ore ad os per continuas traditiones vel alio modo noſtro intellectui impervio ea ſuis fidelibus communicare voluerit? quorſum te jam convertes, aut quis nodum difficultatis ſolvet? Profecto non ad argumenta phyſica, qualia in ſimilibus haberi nequeunt: vel ſi haberi poſſent, elumbia prorſus, infirma ac inania forent: ergo ad argumenta moralia ſeu motiva credibilitatis, non qualiacunque ſed talia, quibus ſine impudentiſſima audacia contradici nequit. Quoniam vero etiam iſta falſitati, ſaltem per impoſſibile (quamquam latentis falſitatis ſuſpicionem in ſe excitare temeritatis foret ſummæ) obnoxia eſſe poſſunt, neque per ſe ad convincendum omni ex parte intellectum, niſi infallibili quadam authoritate ſuſtententur, ſufficientibus pollent viribus, ad teſtem vel omnino Judicem ſubliniorem ac infallibilem recurrendum erit; ſecus fluctuabit ſana ratio, & fides vacillabit.

Quare videndum primo, an, quæ, & quantæ firmitatis argumenta moralia tam pro exiſtentia, quam Divinitate ſcripturarum proſtent? Et ſecundo, an non hæc ipſa ad proſcribendam omnem prudentem dubietatem teſtimonio quodam infallibili ſuffulciri ita valeant, ut intellectus hominis cujuscunque, niſi homo hominem exuerit, victas dare manus debeat. Trutinemus non nihil accuratius, & ad accuratiorem limam expendamus argumenta moralia: ecquis (ordiamur argumento ab authoritate Traditionis petito) antiquiſſimæ, per tot millena ſæcula continuatæ, usque nunc imperturbatæ, atque in teſtimonio tot teſtium omni exceptione majorum, in quos nulla prorſus poteſt cadere ſiniſtra ſuſpicio, de quorum fidelitate, ſanctitate & ſapientia conſtat apertiſſime, in teſtimonio, inquam, tot teſtium fundatæ, atque pro exiſtentia & Divinitate Scripturarum apertiſſimum dicenti teſtimonium traditioni omnem denegare fidem auſus fuerit? Profecto ſi hanc in dubium vocaveris, nihil certi ex omnibus retroactis ſæculis habebitur, actum erit de omni Hiſtoria Eccleſiaſtica ac prophana, merusque pyrrhoniſmus ſubintrabit in orbem univerſum. Ad hæc puritas, & ſanctitas doctrinæ in iis contenta, ſublimitas Myſteriorum, qualia excogitare omnem intellectum humanum quali & quantacunque cogitandi vi ac perſpicacia præditum ſuperat, mirabilis harmonia, & conſtantia inter doctrinas, præcepta morum ſanctiſſima non niſi ad pietatem, ſapientiam & ſanctitatem collimantia

non-

nonne apertiſſimi ſunt indices doctrinæ indubiæ non ab homine excogitatæ, ſed a Supremo Numine revelatæ? Mirabiliſſimus eventus tot mirabilium vaticiniorum ad amuſſim adimpletorum an non manifeſtiſſimum ſignum eſt digiti Dei non per ſeipſum, ſed per ſuos Scriptores ipſo inſpirante ſcribentis? Innumera miracula in confirmationem Scripturæ facta, quibus omnem fidem abnegare, vel ea in cauſas mere naturales refundere velle, hominis non niſi delirantis, effrontis, ac pertinaciſſimi foret, tot quaſi linguæ ſunt, quæ latentem Divinitatem loquuntur. Verum enim vero qualia, & quantacunque hæc ſint, non niſi certitudinem moralem inde eviceris: quid enim prohibet, quo minus teſtes omnes (quamquam quis ita a parte rei eſſe ſomniet?) dixerint falſum, miracula omnia fuerint ficta (m)? Nonne & ſcripta SS. Patrum ſanctitatem ſpirant, & quis ea eſſe authoritatis divinæ dixerit? Nunquid etiam libri Sybillarum habent vaticinia multa de Chriſto, quæ rerum eventus comprobavit, nec tamen propterea ſunt Scriptura S. aut Verbum DEI? Quare altius eſt eluctandum, videndumque, an non hæc ſingula infallibili ſeu teſtis, ſeu Judicis teſtimonio & judicio ſuffulciri valeant. Talem a DEO nobis fuiſſe datum teſtem, vel conſtitutum Judicem quis ambigat? Non enim credendum, quod divina Sapientia Religionem ſuam revelatam, aut Eccleſiam a ſe conſtitutam inſtar naviculæ inter medios fluctus quocunque enaſcentium dubiorum vento in transverſum agitandæ reliquerit; quare providendum erat de Cynoſura infallibili, ad quam toties reſpiciendum, quoties prudenti dubio aut credendi difficultate in iis, quæ ad Religionem & finem ultimum conſequendum pertinent, pulſamur. Ad id jam cardo difficultatis devolvitur, quisnam ſit ille infallibilis teſtis, vel, ſi dicere malis, Judex? Hunc teſtem & Judicem vel intra, vel extra te quæras, neceſſe eſt. Si intra te erit: erit intellectus. Si extra te: alius eſſe non poteſt, quam homo vel Eccleſia. Quoad præſentem quæſtionem parum refert, ſive te ipſum tuumque intellectum (quam fallibilis & prorſus ineptus hic ſit teſtis, utpote contra quem poſſunt fieri exceptiones ineptitudinis & incompetentiæ non tot quin plures, alibi probabimus) ſive alium extra te præcipue Eccleſiam Judicem conſtitueris, ſi modo de exiſtentia & divinitate Scripturæ te convictum fatearis, ſive hanc infallibilitatem in judicium intellectus, ſive

Teſtis veritatis ultimatus & infallibilis eſt Eccleſia, non intellectus.

(m) Ingentem eſſe difficultatem in diſcernendo miracula vera a falſis, fatentur Doctores omnes, de quo integram diſſertationem ſcripſit Calmet de veris, fictisque prodigiis.

ſive in teſtimonium Eccleſiæ ultimato refundas. Intra ſe hunc teſtem & Judicem quærunt, ſuoque intellectui velut idolo irrefragabili litant hodierni Sectarii. Nos Catholici ultimatum teſtimonium & judicium in ipſam Eccleſiam velut infallibilem refundimus. Equidem haud nos latet hunc probandi argumentandique Catholicorum modum a Sectariis hodiernis reprobari, & circuli argui vitioſi: eo quod Divinitatem Scripturæ ex infallibili teſtimonio Eccleſiæ; infallibilitatem vero Eccleſiæ ex ipſa Scriptura demonſtret. Verum expendamus non nihil enucleatius, breviter tamen, noſtram ratiocinandi methodum, quæ, cum in aliis etiam quæſtionibus (n) non raro occurrat, in quibus non exiguas faceſſit difficultates, ſingularem diſcuſſionem meretur. Procedit autem hæc noſtra methodus hoc modo: Omnium primo ad motiva credibilitatis, recurrimus; vel enim agimus contra illos, qui non modo Scripturam, & authentiam illius, verum etiam ipſam Eccleſiam (quocunque nomine hoc hominum genus compelletur) inficiantur: vel contra hæreticos, qui Scripturam tanquam *poſtulatum* admittunt, id unice nobis vitio vertentes, quod ad Eccleſiam tanquam Magiſtram confugiamus, longe conſultius acturi (ita illi ex ſuis præjudiciis opinantur) ſi ſanam rationem noſtri intellectus conſuleremus. Contra priores non minus Scripturam & authentiam Scripturæ quam Eccleſiam argumentis moralibus (o) velut a priori demonſtramus: contra poſteriores vero utramque argumentis moralibus (quis enim negare audeat dari notas characteriſticas exiſtentis veræ Eccleſiæ & Scripturæ?) tanquam moraliter certam eſſe demonſtratam ſupponimus. Quoniam vero hæc certitudo tanti roboris non eſt, quantum ad convincendum penitusque tranquillandum intellectum eſt neceſſarium, neceſſitate exigente, & ſana eaque evidenti ratione ſuadente cogimur, ut aliud ſublimius quoddam argumentum ſeu teſtimonium infallibile in adjutorium aſſumamus, quo illa certitudo moralis in veritatem infallibilem elevetur. Verum edic, quæſo (en, difficultatem novam pene inſuperabilem!) quis ille eſt teſtis, cui tuto ſine periculo errandi fidem adhibeas, & a quo infallibile teſtimonium mutuare debeas? Non enim teſtis iſte apertis ſe prodit indiciis, noſtrisque eo modo, quo lux meridiana, obverſatur oculis

(n) Idem enim argumentum contra nos faciunt Heterodoxi, quando Scripturam ex traditione, & traditionem ex Scriptura; vel utriusque authentiam ex infallibili Eccleſiæ teſtimonio, ipſam vero infallibilitatem Eccleſiæ ex Script. & tradit. demonſtramus.

(o) Hujusmodi argumenta moralia vocantur motiva credibilitatis.

oculis. Iterum ergo ſublimius elevandæ ſunt cogitationes, & ſollicite inquirendum, qua via, quo duce in notitiam infallibilis teſtis venire valeas? Et en, nova difficultas! quis enim ille dux, te oro, te obſecro, qui viam monſtret, atque in notitiam infallibilis teſtis ducat? In hac rerum confuſione ſine dubio conſulenda eſt ſana ratio, cum alius, a quo ſyrtim inter & charybdim hærens prudens petas conſilium, cui tuto acquieſcere valeas, non ſuppetat. Hæc autem deſuper conſulta, ne dubites, ad ipſam Scripturam, de cujus Authentia certus & ſecurus eſſe vis, tanquam ſecuriſſimam ac certiſſimam ducem te ablegabit, quatenus ab illa in notitiam teſtis aut Judicis infallibilis ducaris. Et profecto, neſcio ſane, quem alium juxta regulas ſanæ prudentiæ aut ſapientiorem, aut ſecuriorem manuductorem in his viarum anfractibus eligere aut conſulere poſſes, quam Scripturam utut in propria cauſa teſtimonium dicentem; utpote de cujus Divinitate & infallibilitate jam pro priori certitudinem moralem ex motivis credibilitatis te habere ſupponimus. Jam vero ad quem teſtem & Judicem te ab ipſa Scriptura ablegandum exiſtimas? Num ad intellectum proprium? ſed, edic, quæſo, undenam certus es, quod intellectus nulli errandi periculo, ipſa tua propria experientia contrarium docente, ſit obnoxius? ubinam vel jota de infallibilitate proprii intellectus in Scripturis legitur? cum ergo Scriptura toties Eccleſiam ex promiſſione Chriſti eſſe infallibilem (p) pronuntiet; dubium non eſt, quin te ad teſtimonium & judicium Eccleſiæ, tanquam teſtis & Judicis infallibilis ſit ablegatura, quo facto nihil ſupereſt, niſi ut ab Eccleſia irrefragabile teſtimonium, ac ſententiam finalem efflagites, quæ procul dubio pro authentia atque in favorem Scripturæ pronuntiat ſententiam. Nunquid in hac ratiocinandi methodo circulus vitioſus latet? Age rem obvio exemplo monſtremus. Demus hominem, de cujus veracitate, fidelitate, Juſtitia Judici plena fides eſt facta: demus, inquam, hominem in Judicio ſeu ſponte propria ſeu juſſu Judicis quidquam aſſerentem, qui ut majorem aſſertis ſuis fidem conciliet, provocat ad teſtem alium longe excellentioris teſtimonii ac fidei: demus ulterius hunc ipſum in favorem provocantis perhibere teſtimonium, num hic talis committit circulum vitioſum? Num idem per idem probat? Id, cum aliqua tamen proportione, applices, volo, noſtro diſcurſui: S. Scriptura eſt ille vir, de cujus fidelitate, veracitate, authentia ex argumentis moralibus convicti ſumus. Hæc, ut ſua aſſerta, ac præprimis veracitatem ſuam irrefraga-

(p) **Matth. 16. v. 18. Matth. ult. v. ult.**

fragabili teſtimonio ſtabiliat, ad teſtimonium Eccleſiæ provocat, quam eſſe infallibilem ex hac ipſa Scriptura ſcimus: Eccleſia demum cauſam integram irreſragabili ſuo judicio ultimato in favorem Eccleſiæ decidit. Num in hoc procedendi modo, iterum quærimus, circulum vitioſum deprehendis? Hæc ſuſius & clarius proſequi libuit, eo quod rem iſtam ſummi eſſe momenti non ignoremus.

§. III.

Diviſio Scripturæ.

Stabilita Scripturæ exiſtentia ad illius diviſionem progredimur. Dividitur Scriptura in *vetus* & *novum Teſtamentum:* illud dogmata fidei, nec non præcepta morum ſynagogæ hebraicæ tradita; iſtud doctrinas a Chriſto Eccleſiæ ſuæ noviter exſtructæ revelatas complectitur. Utrique tanquam Magiſtræ fidei & morum eſt aſſurgendum, niſi hebræos infallibili divinitus revelata credendi & agendi regula deſtituere velimus, id quod divinæ Providentiæ legibus, quæ in neceſſariis deeſſe non conſuevit, repugnare facile dignoſcitur (q). Inter utrumque tamen multiplex intercedit diſcrimen tam quoad *dogmata fidei*, quam *præcepta morum*. Quoad *dogmata fidei* quidem, quod iſta in *Teſtamento antiquo* Meſſiam *venturum*, in *novo* autem jamjam *natum* tanquam objectum principale reſpiciant, ſicque *futurum* in *præſens*, *figura* in *figuratum*, *umbra* in corpus tranſierit. Item quod hebræis quædam fidei dogmata velut ſub velo, & ænigmate (r); imo quædam ne quidem ſub velo (quidquid alii contradicant) (s) fuerint revelata (t), quæ nobis clare ad credendum fuere propoſita. In eo nihilominus conveniunt, quod utriusque Teſtamenti dogmata adhuc hodie ſub fide divina ſtent, cum veritas ſemel revelata ſemper maneat veritas, niſi Dei infallibilitatem in dubium vocare velimus, aut ipſum dogma fidei certo tempori vel eventui fuerit alligatum: ſic e. g. amplius credere non poſſumus *Meſſiam eſſe venturum*, quia hoc dogma ab eventu, qui jam contigit,

Multiplex diſcrimen inter Scripturam antiquæ & novæ legis tam quoad dogmata fidei quam regulas morum.

(q) Vetus Teſtamentum tanquam a malo principio conditum repudiarunt Manichæi.

(r) E. g. *Myſterium SS. Trinitatis.*

(s) Acriter diſputant Theologi deſuper, quin tamen hæc quæſtio ad fidem pertineat.

(t) Ubinam enim vel jota de neceſſitate Baptismi *pro omnibus & ſingulis?* lex enim circumciſionis (demus quod fuerit inſtituta in remedium peccati originalis, de quo adhuc lis inter DD) unice fuit data pro maſculis. E quo loco vel obſcure deduci poſſunt quædam Sacramenta e. g. Confirmationis, Unctionis &c. & ritus Sacramentales eſſentiales?

Varia præcepta morum in lege antiqua. tigit, dependebat. Quoad *præcepta morum* in lege antiqua diſtinguunt 1mo præcepta *Ante-Moſaica* antiquis Patribus & Patriarchis ante- & poſt diluvium data: & *Moſaica* a DEO per Moyſen promulgata (u). Hæc abeunt in triplicem claſſem, & ſunt vel *moralia* ad inſtituendos juxta normam juris naturalis mores, vel *cæremonialia* ad ritus & cæremonias in cultu divino adhibendos, vel *judicialia* ad regimen politicum ordinata. *Etiam in lege nova.* In lege nova diſtinguimus inter præcepta *divina*, & *Apoſtolica*. *Divina* ſunt, quæ a Chriſto ſunt immediate communicata: & ſunt iterum vel pure *moralia* vel pure *divina*: *Moralia* mores juxta inſtitutum juris naturalis informandos, pure *divina* inſtitutionem, & uſum Sacramentorum reſpiciunt. *Apoſtolica* iterum vel ſunt *divino-Apoſtolica*, vel pure Apoſtolica: illa dicuntur quæ ab Apoſtolis tanquam *Miniſtris* Chriſti nomine Chriſti (v), hæc vero, quæ ab Apoſtolis velut *Rectoribus* Eccleſiarum ſunt promulgata (w) & pro diverſitate objecti recte poſſunt vocari tam *cæremonialia*, quam *judicialia* (x) de his plura, ubi de uſu Script. cum ordine ad Jurisprudentiam dicemus. Qua rationo vetus & novum Teſtamentun ſine circulo vitioſo ſe invicem comprobent vid. in Theologis (y).

§. IV.

Libri Scripturæ varie dividuntur. Progredimur ad diviſionem librorum utriusque Teſtamenti. Libri dividuntur 1mo in *Canonicos*, & non *Canonicos*: illi ſunt, qui ab Eccleſia pro Libris S. Script. ad directionem Eccleſiæ in rebus fidei, & morum divinitus inſpiratis fuere declarati, & in ſuum *Canonem* (nomine *Canonis* hic venit *Catalogus*) relati: iſti econtra, qui ab eadem vel omnino ſunt rejecti, vel ſaltem inſtar *Canonicorum* non recepti (z). *Canonici* iterum dividuntur in *Proto-* & *Deutero-Canonicos*: illi dicuntur, qui

(u) Ad præcepta *Ante-Moſaica* referunt legem *de abſtinentia a ſanguine & ſuffocato*, quam velut *legem univerſalem* non uni duntaxat Reipublicæ, ſed toti orbi reſtaurato datam Eccleſia diu retinuit. Item eo referri poteſt *lex circumciſionis* Abrahamo ante Moyſen præceptæ Gen. 17.

(v) Vid. dicta in prima diſput. c. 2. §. IV.

(w) Ibid.

(x) *Cæremonialia* dixeris e. g. ea, quæ ritus in adminiſtratione Sacramentorum adhibendos præſcribunt. *Judicialia*, quæ regimen Eccleſiæ & officia Miniſtrorum concernunt.

(y) Vid. Author. proleg. ſupra cit. part. 8. q. 5.

(z) Vid. mox dicenda.

qui ſemper pro divinis ſine ulla controverſia fuere recepti (a): Hi, de quorum Authentia olim fuit dubitatum (b). Similiter non *Canonici* alii ſunt *Apocryphi*, & alii *dubii*. *Apocryphos* illos vocamus (quidquid de multiplici ſenſu hujus vocis ſit (c), qui ſacris ſcriptoribus fraude & malitia ſunt ſuppoſiti, & ab Eccleſia ſimpliciter rejecti (d): *dubios* dicimus, qui hodiedum in dubium vocantur, an ſint genuini, eſto editioni latinæ Vulgatæ a Concil. Trident. approbatæ inſerti legantur (e). Addunt aliam diviſionem memoriæ juvandæ gratia potiſſimum adinventam dividendo in *legales*, in quibus divinæ leges promulgantur (f), *hiſtoriales*, quibus rerum geſtarum hiſtoriæ referuntur (g), *ſapientiales*, qui nobis veram ſapientiam exponunt (h) & *propheticos*, quibus futura prænuntiantur (i).

§. V.

(a) E. g. *Pentateuchus*, *Joſue*, *Judicum &c.*

(b) E. g. *Eſther*, *Judith &c.*

(c) Hoc nomen non habet ſtabilem, ac conſtantem notionem apud PP. & ſumitur in quintuplici ſenſu 1mo ſignificat librum, de cujus authore, cujus nomen præſefert, authentice non conſtat. e. g. libri *Dionyſio* adſcripti: 2do librum, de quo certo conſtat eum non eſſe authoris, cujus titulum refert, e. g. *Evangelium Bartholomæi &c.* 3tio librum, qui, præterquam quod falſum authorem referat, inſuper falſa aut omnino erronea continet e. g. *Conſtitutiones Apoſtolicæ* hodie depravatæ. 4to librum, qui certo eſt authoris, quem refert, attamen ab hæreticis aut falſariis fuit corruptus, quemadmodum multis SS. PP. operibus fuiſſe factum ſcimus. 5to librum quoad lectionem publicam & privatam prohibitum. In ſenſu tamen famoſiori liber *Apocryphus* ſignifica librum ſuo authori falſo ſuppoſitum.

(d) E. g. *revelatio Adam*, *Apocalypſis Abrahæ*, *Scriptura Cham*, *Apoſtolorum Evangelium*, *Itinerarium &c.*

(e) *Esdræ tertius & quartus; item III. & IV. Machab.*

(f) Videlicet *Geneſis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, & ex leg nova *IV. Libri Evangeliorum.*

(g) *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, 4. *Regum*, *duo Paralipomenon*, *duo Esdræ*, *Tobiæ*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, *& duo Machab.* ex novo Teſtamento *Actus Apoſtolorum.*

(h) *Proverbia*, *Eccleſiaſtes*, *Cantica*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus.* Ex Lege nova *epiſtolæ* 14. *Pauli*, *Tres Joannis*, *duæ Petri*, *una Jacobi*, *& Judæ una.*

(i) 18. *Libri Prophetarum*, & ex novo Teſtamento *Apocalypſis Joannis.* Vid. Petrus Annat. lib. 2. art. 4.

Digitized by Google

§. V.

Reſolvuntur varia dubia. Jam circa hæc varia ſolvenda nobis ſunt dubia. 1.mo Quot & quales habeamus libros *Canonicos* tam in *Canone* hebræorum, quam in *Canone* a Concil. Trid. edito canonizatos? 2.do Quales ſint *Proto-& Deutero Canonici?* 3.tio Quinam *ſpurii?* 4.to Quinam *dubii?* & 5.to Quales hæretici tam antiqui quam novi rejicere ſoleant? Quantum ad 1.mum alii libri in *Canone hebræorum*, & alii in *Canone Concil. Trident.* leguntur. In *Canone hebræorum*, quem in tres partes dividebant, ſcilicet in *legem, Prophetas*, & *Hagiographa*, pene ab omnibus primi, ſecundi, tertii & quarti Sæculi authoribus memorantur libri 22. quorum quinque in *lege* (k), octo in *prophetis* (l), novem denique in *Hagiographis* (quidam librum *Ruth* & *Threnos* addunt) (m) comprehenduntur (n) in eo nihilominus PP. non nihil diſcrepant, quod non ab omnibus iidem libri in *Canone* collocentur (o). Econtra Concilium Trident. in ſuo *Canone* refert libros univerſim 72. antiquæ legis 45. novæ vero legis 27. (p). In

(k) Scilicet *Pentateuchus* libris conſtans quinque.

(l) Nempe *Joſue, Judicum. 2. Samuelis, 2. Regum, Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, duodecim Minorum.*

(m) Vid. Calmet. in Dictionario Bib. V. Hagiographa.

(n) Nempe *Job, Pſalmi, Proverbia, Canticum Cantic. Eccleſiaſtes, Daniel, Esdras I. & II. Eſther.*

(o) Libros a nobis relatos referunt PP. Athanaſius, Cyrillus, Epiphanius, & Hieronymus. Econtra Melito Sardicenſis loco libri *Eſther* poſt *Proverbia Salomonis* ponit Librum *Sapientiæ*, & Origines omiſſo Libro 12. *Prophetarum* in fine annectit *duos Libros Machabæorum.*

(p) Seſſ. 4. ubi *Canonem* Script. ſequentem tradit: Teſtamenti veteris: *quinque Moyſis*, id eſt, *Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, 4. Regum, 2. Paralipomenon, Esdræ I. & II. Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum* 150. *Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, 12. Prophetæ minores*, id eſt, *Oſee, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum.* Novi Teſtamenti: *Quatuor Evangelia* ſecundum *Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem. Actus Apoſtolorum, 14. Epiſtolæ Pauli, ad Romanos, 2. ad Corinthios,*

In eo jam eſt dubium, num *Canon* Scripturæ a Concil. Trident. fuerit legitime conſtitutus, id quod hodierni Sectarii negant & pernegant plures ex iis e ſuo Catalogo eliminantes (q). Contrarium tamen a noſtris ſcriptoribus dilucidis adeo argumentis fuit demonſtratum, ut plura in hanc rem adducere ſupervacaneum exiſtimemus; nunquid enim (duo argumenta vel obiter attingere liceat) hic ipſiſſimus eſt *Canon*, quo Eccleſia Romana & Africana jam in Sæc. 4. ſunt uſæ? an non Patres ferme omnes quatuor primorum Sæculorum hos libros omnes & ſingulos, ſi non pro *Canonicis*, ſaltem pro divinitus *inſpiratis* habuere, quorum unanimis conſenſus ſignum eſt apertiſſimum traditionis ſaltem Apoſtolicæ (r)? Quantum ad ſecundum, libros tam *Proto-* quam *Deutero-Canonicos* paſſim recenſent ſcriptores Catholici (s) quorum

rinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; duæ Petri; Joannis tres; Jacobi una; Judæ una; & *Apocalypſis.*

(q) Illos præcipue, qui non reperiuntur in *Canone Hebræorum*, de quo infra.

(r) Vid. Dupin. in diſſert. prælim. Nat. Alex. aliique: præ cæteris hanc quæſtionem fuſe examinat Author proleg. part. 2. q. 7.

(s) *Proto-Canonici* veteris Teſtam. qui in omnibus Eccleſiis Catholicis quovis ſæculo tanquam divini agniti fuere, ſequentes numerantur: *Pentateuchus, Joſue, Judicum cum Ruth, Regum* 4. *duo Paralipomenon, duo Esdræ, Job, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes*, Canticum Cantic. *Prophetæ majores* 4. *& minores* 12. Novi Teſtamenti hi: 4 *Evangelia, Acta Apoſtolorum, omnes Pauli epiſtolæ* excepta *ad Hebræos, duæ epiſtolæ Catholicæ, una Petri,* & *altera Joannis. Deutero-Canonici* antiqui Teſtamenti recenſentur iſti: *Eſther, Baruch, pars Danielis,* videlicet *oratio Azariæ* & *Hymnus trium Puerorum* cap. 3. Hiſtoria de Bel idolo, de dracone interfecto, & translato Habacuc. cap. 14. *Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, duo Machabæorum.* Sequuntur *Deutero-Canonici* novi Teſtamenti: *Caput ultimum Marci* a verſu 9. incipiente: *ſurgens autem mane &c.* de quo integram diſſertat. ſcripſit. Calmet. *Lucæ cap.* 22. *v.* 43. *&* 44 ubi refertur conſolatio Angelica Chriſto facta. *Hiſtoria mulieris in adulterio deprehenſæ, Epiſtola Pauli ad Hebræos, epiſtola Jacobi, epiſtola Petri ſecunda, tertia Joannis,* & *textus* 1. Joan. cap. 5. *tres ſunt qui teſtimonium dant* &c. & *una Judæ*, ac denique *Apocalypſis.* De his enim quondam fuiſſe diſputatum, paſſim Authores teſtantur. Vid. du Pin in Diſſert.

rum omnium authoritatem ad incudem vocare noſtri inſtituti non eſt (t). Quantum ad tertium, tantus exſtat *Apocryphorum* utriusque Teſtamenti numerus, ut vix in numerum cogi poſſint, quorum plures recenſet Gelaſius Papa in ſuo decreto, vel quisquis ſit author hujus decreti (u). Longe plures enumerant alii authores, ad quos lectorem remittimus (v). Quantum ad quartum libros ſcripturæ *dubios* illos dicimus, qui hinc inde in non nullis editionibus reperiuntur; quin tamen ſint *Canonici*, eo quod pro illis nulla exſtet uniformis traditio Eccleſiæ occidentalis, vel orientalis: eſto a quibusdam Patribus pro *Canonicis* habiti fuerint, quos propterea Synodus Tridentina nec pro *Canonicis*, nec pro *Apocryphis* declarare, ſed in ſuo valore magis relinquere voluit, quos vid. infra (x).

Innumeri exſtant libri Apocryphi.

Sectarii antiqui & moderni ſacram Scripturam peſſime aggrediuntur.

Quantum ad quintum quo furore hæretici tam antiqui quam novi in S. Scripturæ libros debacchati fuerint, quis ſatis edicat? juvat hac ſuper re legere libellum parvitate exiguum, eruditione vere magnum Joan. Gisberti S. J. Theologi inſcriptum: *vera Idea Theologiæ*, e quo aliqua æque quoad libros *antiqui*, ac *novi Teſtamenti*, & quoad hæreticos tam antiquos quam novos delibare liceat. Libertinos pro fabulis habere omnes ſcripturæ libros aliunde in comperto eſt. *Teſtamentum vetus* a malo quodam principio fuiſſe dictatum delirabant Manichæi

Diſſert. Prælim. Caſpar. Juen. in. Theolog. Proleg. Diſſert. 4. cap. 5. art. 2. Magnif. Bertholdus Vogl, Proleg. Theol. Sect. II. cap. 2. & ſeq. item Author Proleg.

(t) Vid. cit. du Pin. loc. cit. & Author Proleg.

(u) *Decretum Gelaſii* refertur in Decreto Gratiani Can. 3. diſt. 15. in quo novem Evangelia *apocrypha* recenſentur, nempe *Evangelium Thaddæi*, *Matthiæ*, *Petri*, *Jacobi minoris*, *Barnabæ*, *Thomæ*, *Bartholomæi*, *Andreæ*, & *Evangelia*, quæ falſavit Lucianus, & præter hæc: *revelatio Pauli*, *Thomæ*, & *Stephani*, nec non *liber de Nativitate Salvatoris.*

(v) Vid. author Proleg. part. 1. q. 9. ubi 27. libros *apocryphos* vet. Teſtam. & 23. novi Teſtamenti recenſet. Item Calmet. in diſſertat. in Evangelia *Apocrypha*, in qua præter 39. Evangelia *apocrypha* Impoſtorum fraudibus procuſa *acta quædam Apoſtolorum*, *epiſtolas JESU Chriſti*, *ſanctiſſimæ Virginis*, & *Apoſtolorum*, ac tandem *Apocalypſes* quasdam enumerat.

(x) Sunt autem libri *dubii* potiſſimum ſequentes: *Oratio Manaſſæ Regis*, *liber tertius & quartus Esdræ*, *Appendix libri Job*, *oratiuncula uxoris Job*, *Appendix Pſalterii ſeu Pſalmus* 151. *Appendix Sapientiæ*, *Sirach*, *præfatiuncula lamentationum Jeremiæ*, *liber tertius & quartus Machabæorum.*

nichæi, & ante illos Marcionitæ. *Pſalmos Davidicos* Nicolaitæ & Gnoſtici aſpernabantur ut Cantilenas humanas. Luthero *lib. Job.* mera fabula videbatur; magis adhuc inſanienti, dum dicebat, videri ſibi authorem libri Eccleſiaſtici ocreis & calcaribus deſtitui. Quos hodierni Sectarii libros antiq. Teſtam. aſpernentur, aliunde in propatulo eſt, & mox clarius dicetur. Quoad libros N. T. eos haud ſecus ac libros A. T. repudiabant Manichæi, docentes a quibusdam potius impoſtoribus, quam Evangeliſtis & Apoſtolis fuiſſe conſcriptos. Marciano placebat ſolus *Lucas*, unum *Joannem* in pretio habebat Valentinus: ſolum *Marcum* Cerinthus laudabat, *Paulum* ferre non poterant Ebionitæ, Græcum & apoſtatam appellantes: ſed his prætermiſſis (fides ſit penes authorem, e quo iſta depromſimus) veniamus ad noviores noſtrorum temporum Sectarios, ad Calvinum præcipue & Lutherum, qui quam plurimos; eos potiſſimum, quos ſuæ ſectæ adverſari quam optime noverant, e canone ſcripturarum expunxere libros, & quidem Vet. Teſt. omnes in *Canone* hebræorum non repertos, ex Scriptura vero Nov. Teſt. partes omnes, de quarum Authentia quosdam antiquos dubitaſſe non ignorabant: ex quo conſequi neceſſum eſt, a Proteſtantibus ſequentibus libris ſuam abnegari Authentiam 1. *Libro Judith.* 2. *Tobiæ.* 3. *Sapientiæ.* 4. *Eccleſiaſtici.* 5. *Baruch.* 6. *Libris Machabæorum.* 7. *Epiſtolæ ad Hebræos.* 8. *Epiſtolæ Jacobi.* 9. 2.dæ *Petri.* 10. *Joannis* 2.dæ & 3.tiæ, nec non 11. *Apocalypſi.* De his plura vid. in Theologis (y).

§. VI.

His de Scriptura in genere, illius exiſtentia, Authentia, diviſione ac libris tam genuinis quam ſpuriis expoſitis ad explicandum ſenſum illius, cujus habere notitiam vel maxime juvat Juris noſtri ſtudioſum, convertimur. Nomine ſenſus in genere venit *ſignificatio verborum*, adeoque in ordine ad noſtrum ſcopum *ſignificatio, quam habent verba in Scriptura a Spiritu S. dictante poſita.* Dividunt primo in ſenſum *verum*, & *improprium* ſeu *accommodatitium:* ille a Spiritu S. intentus, hic ab humano ingenio in ſacrum finem adinventus dicitur, & hoc ipſo non niſi *improprie talis* (niſi ſit *accommodatitius* per extenſionem generis ad ſpecies & individua, de quo mox) ſenſus *Scripturæ*, cum Scriptura appellet ſupra Spiritum S. inſpirantem, dici meretur.

Explicatur ſenſus Scripturæ multiplex.

Alius verus, alius improprius.

Verum

(y) Vid. præprimis ſupra cit. Magnif. ſect. II. cap. 3. ubi *Canonem* Eccleſiæ Catholicæ, Calvini, & Lutheri accurate ponit.

Literalis, myſticus. *Verum* ulterius dividunt in *literalem* & *myſticum*. *Literalis* eſt ille, quem Spiritus S. per verba, eorumque propriam ſignificationem, quam ſeu ex ſua ſignificandi vi, ſeu ex primaria hominum inſtitutione habent, immediate intendit. *Myſticus* eſt, qui per *verba* remote, proxime vero per res ipſas ſignificatur: ſic e. g. *immolatio Agni Paſchalis literaliter* hanc ipſam, *myſtice* autem mortem Chriſti ſignificat. *Myſticus triplex.* *Myſticus* iterum dividitur in *Allegoricum*, *Tropologicum* ſeu *Moralem*, ac *Anagogicum*. *Allegoricus* per objectum ſenſus *literalis* tacite ſignificat myſterium ad doctrinam fidei pertinens e. g. Agnus Paſchalis ſignificat SS. Sacramentum Altaris. *Tropologicus* ad *mores* pertinet, & per objectum ſenſus *literalis* tacite doctrinam *moralem* inſinuat e. g. dum a ſacrificiis arcentur animalia immunda, reprehenduntur oblationes conſcientiæ immundæ. Demum ſenſus *Anagogicus* reſpicit Eccleſiam triumphantem, & per objectum ſenſus *literalis* ſignificat promiſſiones de gaudiis æternis: ita introitus Iſraelitarum in terram promiſſionis repræſentat introitum Electorum in Regnum cœlorum, promiſſio terræ lacte & melle fluentis vitam æternam in cœlis degendam. Quod ſi paucis triplicem hunc ſenſum explicare velis, dic, ſenſum *Allegoricum* eſſe de rebus *credendis*, *Tropologicum* de *agendis*, *Anagogicum* de *ſperandis*. Exemplum quadruplicis ſenſus exhibet Caſſianus (z) in hac una voce *Jeruſalem:* quæ *literaliter* ſignificat urbem Paleſtinæ Metropolim, *allegorice* Eccleſiam, *tropologice* animam juſti, *anagogice* patriam cœleſtem. Quadruplex hic ſenſus vulgo ſic metrice deſignatur:

Litera geſta docet: quid credas Allegoria,
Moralis quid agas: quid ſperes Anagogia.

Quædam notatu digna pro ſenſu accommodatitio, qui non raro inepte applicatur. De ſenſu *accommodatitio*, cum frequentiſſime occurrat in SS. PP. in Breviario, & præcipue a Concionatoribus & quidem ſat frequenter prorſus inepte, quin & non raro a plebeiis ineptiſſime ſane ac ridicule uſurpetur, quædam pro notitia, quædam pro cautela eſſe addenda duximus. Senſus igitur *accommodatitius* diverſimode ab Authoribus, & a non paucis jejune nimis & velut obiter explicatur. Definitionem illius ſupra dedimus definiendo, quod ſit *ille, qui non tam a Spiritu S.* *Senſus accomodatius triplex.* *intentus, quam ab humano ingenio eſt adinventus.* Dubiam nobis faciunt hanc definitionem Authores, qui triplicem ſenſum *accommodatitium* aſſignant, unum per *extenſionem*, ut vocant, qua ſignificatio generis extenditur ad ſpecies, & individua, veritas univerſalis ad caſus & circum-

(z) Collat. 4. cap. 4.

circumſtantias particulares, dictum de toto ad ſingulas partes (a). Alterum per *aſſimilationem*, vel per tacitam quamdam extenſionem argumentativam a pari, vel ſimili, quando textus applicatur ad objectum non contentum ſub univerſali, in quo tamen urget paritas rationis (b), & tertium per *aſſimilationem verborum tantum*, *non vero objectorum*, quando ne quidem urget paritas rationis, vel verba omnino accommodantur ad objecta profana (c). Id unum in hanc diviſionem animadvertimus, poſſe eam explicationis gratia tolerari, quamquam cæteroquin ſenſus *accommodatitius per extenſionem* potius reducendus videatur ad ſenſum *myſticum*, quos non eſſe confundendos ſapientiſſime monent Authores, & ex hoc capite Theodorum Mopſueſtenum, quod ſenſus minus caute confudiſſe videatur, reprehendunt (d). Cum enim ex mente horum Authorum hic ipſe ſenſus *accommodatitius* a Spiritu S. vere ſit intentus (e), optime inde inferimus: ergo ad *myſticum* magis quam *accommodatitium* reduci meretur. Præterea (ut rem appoſito exemplo illuſtremus) Patronos hujus ſententiæ latere nequeunt modi loquendi Theologorum, qui de doctrina Theologica ſeu concluſionibus Theologicis agentes, eas concluſiones, quæ ex argumento ab univerſali ad particulare, a toto ad partem deducun-

(a) Hujus rei exemplum ponitur duplex, unum ex Cantico Cantic. quod in ſenſu *allegorico* ſine dubio eſt referendum ad Eccleſiam, cujus pars eſt Beatiſſima Virgo, & quælibet anima juſti: recte proin ſignificatio ad B. V. & animam juſti applicatur. Alterum in propoſitionibus Script. univerſalibus e. g. juſti in perpetuum vivent. Sap. 5. In quibus haud dubie ex intentione Spiritus ſancti veritas generalis refertur ad omnia individua contenta ſub genere.

(b) Exempli loco afferuntur duo hi textus: *Inventus eſt juſtus &c.* & *hi ſunt duæ olivæ &c.* quæ verba dicta de Noe, & duobus Præcurſoribus extremi judicii per *aſſimilationem* aliis tribuuntur Sanctis.

(c) E. g. Si illa verba Scripturæ: *non eſt inventus ſimilis illi.* Eccleſ. 44. De Lucifero aut Antichriſto uſurpentur, vel alias verba Scripturæ ad objecta vana accommodentur.

(d) Ajunt Theodorum ea omnia, quæ de Chriſto in veteri Teſtamento prædicta ſunt, *accommodatitie* de eo ſecundum rei eventum fuiſſe interpretatum.

(e) Vid. Author Proleg. part. V. q. 10. Ubi & rationem dat, quod intentio in locutione humana & in propoſitione univerſali neceſſario feratur ad ſpecies & individua termini univerſalis.

ducuntur, eo quod in præmiſſis non modo *identice* ſed *formaliter* contineantur (f), non *mediate* tantum ad modum aliarum concluſionum (g), ſed *immediate* ad fidem pertinere aſſerunt. Quid ni ſenſum *accommodatitium per extenſionem* in locutione univerſali contentum, & a Spiritu S. vere intentum magis ad ſenſum *myſticum* referas? ſecundam & tertiam ſpeciem ſenſus *accommodatitii*, quia ſenſum *accommodatitium* genuine explicant, facile admittimus, id unum pro cautela animadvertentes, aut potius inſtar cautelæ ſuggerentes, ut non excedamus & ſimus nimii in uſu ſenſus *accommodatitii*, vel cum exceſſu illum applicando ad res pias, quemadmodum paſſim fieri ſolere non ignoramus (h), vel omnino contra expreſſam prohibitionem Concil. Trident (i) ad res prophanas, facetias & ſpurcitias transferendo. Cæteras quæſtiones de ſenſu Scripturæ ad diſcuſſionem Theologicam pertinentes inſinuaſſe ſufficiat e. g. an in quolibet textu reperiantur præfati quatuor ſenſus? num *literalis*, vel *myſticus* ſit potior? qualis faciat argumentum Theologicum; & præcipue qualis ad dogma fidei demonſtrandum ſit ſufficiens? Vid. Authores paſſim.

§. VII.

Editiones Scripturæ ſunt innumeræ, & commode ad tres claſſes reducuntur.

Ad Editiones Scripturæ exponendas dilabimur, quarum tot circumferuntur, ut vix in numerum cogi poſſint, eas tamen commode ad quatuor claſſes reduxeris, ad *Hebraicam*, *Græcam*, *Latinam*, & *Vernaculam*. Præcipua procul dubio antiquitate & authoritate prævalens habenda eſt editio *Hebraica autographa*, illa videlicet, quæ a Moyſe & Prophetis lingua *Hebraica* (linguam enim *Hebraicam* fuiſſe primigeniam paſſim Interpretes docent) (k) exceptis paucis libris, de quibus dubitatur (l), ſcripta, & poſt captivitatem Babylonicam ac

(f) Qua ratione unum in altero contineatur *identice*, *virtualiter*, & *formaliter*, explicat Tournelius in append. ad loc. Theol. de cenſur. art. 2.

(g) Exempla ponit cit. Author ſequentia: *Chriſtus eſt homo: ergo eſt animal rationale. Chriſtus mortuus eſt pro omnibus: ergo etiam pro me: Omnes Apoſtoli acceperunt Spiritum ſanctum: ergo etiam Matthæus.* Hoc modo, ait, definitum continetur in definitione, pars eſſentialis in toto.

(h) Qua in re potiſſimum Concionatores excedunt.

(i) Seſſ. IV.

(k) Vid. Calmet in diſſert. de lingua primitiva.

(l) E. g. dubitatur de libro Job, fueritne ſcriptus idiomate Arabico, an veteri Syriaco, Chaldaico an Hebraico. Item de libro Tobiæ, Judith &c.

ac reſtauratum templum ab Esdra fuit edita. Id dolendum ſummopere, quod Scripturæ S. *Autographa* ſeu *Originalia* amplius habeamus nulla, ſed tantum *exemplaria*. Ad *Hebraicam* reducuntur *Chaldaica*, *Syriaca*, & *Samaritana*, de quibus mox. Interim quoad *Hebraicam* tria potiſſimum animadvertenda. Primum eſt, fabulæ quam veritati eſſe ſimilius, quod de Esdra quidam referunt, omnes Codices in incendio templi conflagraſſe, ac dein Esdram Spiritu S. afflatum novam ex integro editionem compilaſſe. Hæc, quemadmodum ex lib. 4. Esdræ apocrypho deſcripta ſunt, ita non ſatis videntur eſſe credibilia: quia veroſimile non eſt, omnia omnino exemplaria incendio conflagraſſe, quin ullum in manibus Prophetarum aliorumque virorum Danielis, Jeremiæ, Aggæi remanſerit. Secundum eſt fallere & falli illos, qui editionem *Hebraicam* maxima ex parte a Judæis fuiſſe corruptam aſſerunt, tum quod deſuper nunquam vel a Chriſto, vel a Chriſtianis fuerint reprehenſi, tum quod teſte Philone Judæi adeo religioſi fuerint ad ſuum usque tempus per ſpatium amplius quam 2000. annorum, ut in Hebræo ne verbum quidem mutarint, & centies mori maluerint, quam novationis quidquam in ſua lege permittere. Tertium eſt, pari loco habendos eſſe, qui cum Calvino textum ex integro purum venditant. Medio tutiſſimus ibis, ſi dicas, nec nimium eſſe depravatam, nec ſuis carere nævis: cum enim poſt ſepultam Synagogam ceſſaverit illa divinæ Providentiæ vigilantia, quam DEUS tum Religioni Hebræorum, maxime circa primaria conſtitutiva illius, tum puritati legis ſuæ conſervandæ impendiſſe creditur, mirum videri non debet, ſi partim ob incuriam librariorum, & ſimilitudinem literarum æquivocantium, partim ob defectum cauſæ præſervativæ & correctivæ errorum quam plurima menda irrepſerint: quoniam id ipſum contigiſſe Codicibus Græcis & Latinis, ut vix unum exemplar concordaret alteri, teſtis eſt S. Hieronymus. Sequitur editio *Chaldaica* (*Chaldaicas paraphraſes* paſſim vocant) ad *Hebraicam* referenda, quam eſſe exiguæ authoritatis, incerto authore compoſitam, fabulis Judaicis, nec non Thalmudiſtarum nugis refertam norunt eruditi omnes: Item editio linguæ *Syriacæ*, quæ tertia quædam lingua eſt mixta ex *Hebraica* & *Chaldaica*, & Judæis poſt captivitatem Babylonicam materna fuit & vulgaris: itidem incerti authoris, temporis, & authoritatis. Addunt *Samaritanam* merito ad *Hebraicam* reducendam, utpote lingua *Hebraica*, etſi characteribus Samaritanis conſcriptam (m).

Singularia de editione Hebraica.

An a Judæis corrupta.

Editio Chaldaica.

Syriaca.

Samaritana.

§. VIII.

(m) Vid. Card. Gotti q. 3. de loc. Theol. dub. 2. §. IV.

§. VIII.

De editionibus Græcis.

Veniamus ad ſecundam claſſem editionum ſeu ad Verſiones *Græcas*, quarum alii 7. alii 9. alii 10. alii 11. & demum alii 13. enumerant (n). Decem admittit Bellarminus (o), & cum eo communius Scriptores alii. Prima ac omnium vetuſtiſſima ante Alexandri M. tempora edita incerti eſt authoris. Secunda 70. Interpretum. Tertia Aquilæ Pontici primitus Gentilis, poſtea Chriſtiani, & ultimo demum Judæi tempore Hadriani Imperat. Quarta Theodotionis antea hæretici Marcionitæ, & poſt Proſelyti Judæi. Quinta Symachi teſte Euſebio pariter hæretici Ebionitæ, & tunc Judæi. Sexta incerti authoris communius dicta *Hierichuntina* a loco, ubi inventa fuit, nempe ab urbe Hiericho ita dicta. Septima itidem incerti authoris *Nicopolitana* pariformiter a loco inventionis ſeu ab urbe Nicopoli vocata. Octava Origenis. Nona Luciani Presbyteri & Martyris. Decima Heſychii (p). Ex his Principem locum obtinet editio 70. *Interpretum*, quam 72. Judæi ab Eleazaro Pontifice ad Ptolomæum (probabilius Philadelphum) (q) Ægypti Regem miſſi, atque e ſenioribus populi tanquam legis & linguarum tum Hebraicæ tum Græcæ peritiſſimi ſingulariter aſſumpti ſpatio 70. dierum in Inſula *Pharos* Alexandriæ vicina, annis ante Chriſtum circiter 250. mirabili prorſus, & prodigio pene ſimillima conſenſione adornarunt. Quæ apud SS. Epiphanium & Juſtinum leguntur, quorum ille binos, hic ſingulos ſingulis cellulis incluſos fuiſſe affirmat, inſtar fabulæ, ſaltem communius, etſi non deſint, qui utriusque ſententiæ patrocinentur, rejiciuntur. Contra Epiphanium militat primo tum Joſephi tum Philonis ſcriptorum gentis hebraicæ præcipuorum alte de hoc facto ſilentium, licet cæteroquin antiquitates Judaicas quam accuratiſſime annotare conſueverint; tum Tertulliani & Chryſoſtomi. Secundo teſtimonium Ariſtææ oculati teſtis, qui negotio interfuit, & aperte teſtatur, Interpretes ſingulis diebus usque ad horam nonam conſuluiſſe. Accedit tertio authoritas Hieronymi, qui rem geſtam velut fabulam ridet, & contemnit; quare non improbabilis eſt conjectura opinantium, quod Judæi

Prima eſt editio ſeptuaginta Interpretum. Quomodo fuerit facta.

Refellitur ſententia Epiphanii & Juſtini.

(n) Vid. Juenin. Inſtitut. Theolog. Proleg. Diſſert. 4. cap. 7. art. 1.

(o) Lib. 2. de Verb. Dei c. 5.

(p) Vid. cit. Authores.

(q) Excepto Irenæo & Clemente Alex. pene omnes ſunt noſtræ ſententiæ. Illi ergo referunt hoc factum ad tempora Ptolomæi Lagi, quem Patrem Philadelphi, ac Judæorum hoſtem fuiſſe infenſiſſimum ex hiſtoriis conſtat.

Judæi impoſuerint Juſtino, & ruinas quasdam pro cellulis oſtentaverint, ſubſequentes vero ſcriptores re ulterius non examinata Juſtino improvide crediderint. Altera ſententia innititur authoritati non modo Juſtini, qui ſuis oculis cellularum reliquias uſurpaſſe ediſſerit, ſed etiam Irenæi, Clementis Alexand. & Epiphanii, cui ſuffragatur ratio ex communi Patrum opinione deprompta, qui mirabilem hanc verſionem & concentrationem ſemper velut rem miraculo ſimillimam habuere, quale vix aut ne vix quidem in ſententia adverſa foret demonſtrabile. Contra iſta faciunt omnia argumenta contra Juſtinum mox allata: dein ſeponamus illas cellulas fictas, & non ſatis probatas, an non pro miraculo (en! quid rationi allatæ opponi poſſet) habendum eſt, quod tot capita, tot peritiſſimi Viri tam brevi tempore in omnibus convenerint, & uno quaſi ore ſcripturas verterint? Aliud adhuc dubium moveri a ſcriptoribus non ignoramus: num Interpretes ſolum Pentateuchum, num omnes libros tunc in Canone Hebræorum contentos verterint? Opinioni verſionem omnium librorum neganti videtur patrocinari S. Hieronymus (r). Affirmans authoritate & ratione præponderat: quippe pro qua pugnat non modo authoritas communis SS. Patrum, Juſtini, Irenæi, Clementis Alex. Euſebii &c. (s) ſed etiam Apoſtolorum, qui in antiquorum Prophetarum laudes haud infrequenter excurrerunt. Et unde has laudes depromſiſſe exiſtimamus, niſi ex verſione Græca 70. Interpretum? Quoniam Apoſtolorum tempore alia non exſtabat. Et quis ſibi perſuadeat, & Philadelphum, & Interpretes unice de Pentateucho, & non de aliis Prophetis curaſſe? Hanc verſionem divinæ fuiſſe authoritatis per prima 4. vel 5. Sæcula dubium non eſt (t). Num hodie ſit, infra diſputabitur. Editiones *Græcas* pro ingenti ſua capacitate, labore & induſtria complexus eſt Origines in ſuis *Tetraplis*, *Hexaplis*, & *Octaplis*.

§. IX.

Ad tertiam claſſem pertinent editiones *latinæ*: & hæ vel prodierunt ante tempora Hieronymi: vel ab Hieronymo, vel poſt ipſum fuere adornatæ, quo pertinet non modo editio *latina Vulgata* a Concil. Trident. ***Editiones latinæ innumeræ.***

(r) In caput 2. Michææ, ubi tamen non affirmando, ſed dubitando magis ſcripſiſſe videtur. Juenin loc. cit. Diſſert. IV. Art. 2. §. I.

(s) Loca Patrum vid. in authore mox laudato loc. cit.

(t) Idem loc. cit. §. II.

Trident. pro Authentica declarata, ſed etiam cæteræ omnes a variis Doctoribus cujuscunque Religionis compilatæ. Editiones *latinæ* ante Hieronymum tot ſuere, ut S. Auguſtinus ſcribere non dubitaverit, *Græcas* numerari, *Latinas* econtra numerari non poſſe (u). Et S. Hieronymus *tot eſſe exemplaria, quot Codices* (x). Has inter eminet *vetus Itala* incerti authoris (y) magnæ authoritatis, & antiquitatis primævæ: quoniam ea Patres ſecundi & tertii Sæc. Tertullianum & Cyprianum uſos fuiſſe paſſim legimus; imo eam in primo jam Sæculo a tempore Apoſtolorum fuiſſe adornatam haud improbabilis conjectura inde deſumitur, quod liturgia latina ſemper fuerit in uſu Eccleſiæ (z). Extracta fuit hæc editio ex lingua non Hebraica, ſed Græca 70. Interpretum: perduravit aliquot Sæculis poſt Hieronymum, donec *Hieronymiana* primum in particularibus, & poſt in omnibus Eccleſiis obtinuerit. Adhuc hodie Romæ Pſalterium Davidicum in Vaticana canitur ex verſione quadam *veteri Itala*, & ante 200. annos cantabatur in Baſilica Lateranenſi; quin ipſum pſalterium, quo hodie utitur Eccleſia, non ex verſione *Hieronymi*, ſed alia quadam deſumptum authores haud pauci, nec improbabiliter exiſtimant, cujus rationem in eo ponunt: quia difficile viſum erat morem Pſalmodiæ veteris ad cantum Eccleſiaſticum accommodatæ ſimul, ac ſemel in toto orbe Chriſtiano immutare (a).

Præcipua eſt vetus Itala.

Editio Hieronymi.

Sequitur *editio Hieronymi* Sæc. 4. facta, & ingenti cum applauſu, eſto, non defuerint, qui dente canino Hieronymum allatrare non erubuere, ab Eccleſia latina recepta, ac poſt lapſum duorum vel trium Sæculorum in tantam authoritatem ſublimata, ut & ipſa nomen vulgatæ loco verſionis Italæ obtinuerit, illudque ſemper retinuerit. Duo circa eam occurrunt dubia. Primo ex quibus fontibus ſuam verſionem adornaverit? & quos libros in Latinum verterit Hieronymus? diſtinguendum inter libros antiqui & novi Teſtamenti. Verſio antiqui Teſtamenti ut plurimum ex fontibus *Hebraicis*, & quoad aliquos libros ex 70. *Interpretum editione* deſumpta fuit: & quidem non modo libros in *Canone* Hebraico contentos, licet non omnes, ſed quoſdam etiam extra

(u) Lib. 2. Doct. Chriſt. c. 11.

(x) Præfat. in Joſue.

(y) Habuiſſe hanc editionem non eundem ſed. diverſos authores inde volunt colligere, quia alias interpretis nomen celebri memoria fuiſſet conſervatum.

(z) Author Proleg. part. IV. q. 3.

(a) Idem ibid.

tra *Canonem* vagantes tranſvertit in Latinum. Econtra libros novi Teſtamenti non vertit in Latinum, ſed editionem *Italam* hinc inde, ut ipſe fatetur, ad *Græcos Codices* emendavit (b).

Ex editionibus, quæ *Hieronymianam* exceperunt, ætate, ac dignitate prima venit editio *Vulgata*, de qua quam plurima excitantur dubia, quorum aliqua minoris hic, alia majoris momenti cap. ſeq. diſſolvemus. Dubitatur primo de ipſo authore illius: Secundo de fontibus, ex quibus deſumpta fuit: & tertio de authoritate, quam habuit ante Concil. Trident. Author ex omnium confeſſione ignotus eſt, illum tamen fuiſſe virum eruditum, utut linguæ Latinæ, aut certe ſtyli cultioris (barbaro enim ſtylo eſſe conſcriptam nemo negaverit) minus fuiſſe peritum fateri coguntur omnes. Conflata eſt hæc editio tum ex antiqua *Itala*, aliisque antiquioribus, tum & potiſſimum ex *Hieronymiana*, & quidem quoad libros veteris Teſtamenti pene quoad omnia eſt *Hieronymiana*, quoad libros vero novi Teſtamenti eſt verſio *Latina antiqua* ab Hieronymo ad textum Græcum emendata (c). Authoritas vero illius tanta fuit, ut ab initio in quibusdam, a Sæculo autem ſeptimo in omnibus Eccleſiis Occidentalibus non quidem ex lege aliqua poſitiva ſive in Decretis Pontificum, ſive in Conciliorum Synodis, ſive Eccleſiarum particularium ſtatutis præſcripta, ſed ex uſu & conſuetudine univerſaliter recepta obtinuerit, quin ulla alia in concionibus, homiliis, commentariis, ſcholis, & Synodis fuerit citata (d). Superſunt cæteræ *Editiones Latinæ* ultimis præcipue duobus Sæculis a Catholicis non minus, quam heterodoxis in lucem editæ, quas ſine ullis ambagibus, aut criſi ſimpliciſſime referemus, & quidem Catholicorum ſunt ſequentes: Sanctii Pagnini Religioſi Ord. S. Dominici, Iſidori Clarii Monachi, Franciſci Vatabli Doct. Pariſienſ. Ariæ Montani, Cajetani Cardinalis, Malvendæ Ord. Præd. Franciſci Forerii (e). Heterodoxorum famoſiores ſunt: Mynſteri, Oecolampadii, Leonis Judæ, Sebaſtiani Caſtalionis, Junii ac Tremelii Profeſſorum Heidelbergenſium. Cæteras minus celebres ſilentio prætérimus (f).

Editio Vulgata.

Author illius incertus.

Illius authoritas.

Cæteræ editiones noviores recenſentur.

(b) Juenin loc. cit. Art. 3. §. II.

(c) Idem ibid. (d) Idem ibid.

(e) Magnif. Bertholdus Vogl. Sect. II. Cap. IV. §. IV. & Author Proleg. part. 4. q. 3.

(f) Idem ibid.

§. X.

Editiones vernaculæ quæ?

Supereſt, ut de editionibus *vernaculis*, quarum nomine veniunt editiones omnes in lingua quacunque, exceptis tribus principalioribus *Hebraica*, *Græca*, & *Latina*, editæ. Tot ſerme hodie ſunt editiones, quot linguæ. Omiſſis cæteris *Germanicas* easque principaliores (recentiores quædam ex aliis paucis mutatis vix merentur nomen editionis) tum Catholicorum tum Heterodoxorum breviſſime recenſere juvat, quarum prima ex Catholicis eſt Baſileenſis 1464. edita, ſecunda Norimbergenſis de anno 1483. Tertia Joannis Eckii 1529. & 1540. Quarta Joannis Dietembergii; & quinta Caſpari Ulenbergii. Sequuntur Heterodoxorum; Mynſteri, Oecolampadii, Leonis Judæ, Caſtalionis, Junii & Tremelii, Genevenſis, aliæque plures (g).

§. XI.

De Authoribus, idiomate, & tempore.

Pauca de *Authoribus*, *idiomate*, & *tempore*, quo exaratæ fuere Scripturæ addere liceat. Nimis longum foret Authores omnium Scripturæ librorum critice diſcutere; quare ad Authores ea de re ſpecialiteò tractantes nos remittimus (h). Quantum ad *idioma* plerique vet. Teſtam. libri lingua *Hebraica* fuere exarati, de paucis dubitatur, id eſt de libro Job, Tobiæ, Judith, duobus Machabæorum, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, aliquot capitibus Eſtheris, & aliquibus partibus Danielis. Libri novi Teſtamenti excepto Evangelio Matthæi, & epiſtola ad Hebræos idiomate *Græco* fuere conſcripti. Illud *hebraice* fuiſſe ſcriptum teſtis eſt Hieronymus (i). De epiſtola ad Hebræos non niſi veroſimilis conjectura eſt ex eo deſumpta, quod ad *Hebræos* & hoc ipſo *hebraice* fuerit ſcripta, etſi authenticum exemplar *hebraicum* nondum fuerit productum. *Chronologiam* Scripturæ Chronologis diſcutiendam relinquimus, de qua Authores paſſim.

§. XII.

(g) Idem Author part. 4. q. 12.
(h) Ad Commentarium Calmeti, & Prolegomena cuivis libro præfixa. Item ad Auth. Proleg. part. 1. q. 17.
(i) Iidem Scriptores.

§. XII.

Cum paſſim de *Paraphraſibus*, *Concordantiis*, *Commentariis*, *Gloſſis &c.* legamus, pro aliquali Tyronum notitia pauciſſima de his diſſeremus. *Paraphraſis* ergo eſt ejusdem rei diverſis verbis ut plurimum clarioribus retento ſenſu declaratio: & hanc dividunt in *intertextam*, & non *intertextam:* in illa retinentur verba, & ſolummodo ſubjunguntur melius exſplicativa: in hac vero verba mutantur. *Concordantiæ* ſunt *Index* omnium vocum in ſcriptura reperibilium cum inſinuatione totius contextus, quarum prorſus eſt ſumma utilitas. Primus *Concordantiarum* Author teſte Calmet (k) fuit Hugo de S. Caro Ord. Prædic. Sæcul. 13. Secutæ ſunt plures aliæ, quarum ultima nova methodo prodiit anno elapſo opera Benedictionorum Weſſoſontanorum. *Commentarius* eſt expoſitio verborum & exſplicatio rerum (l), a quo differt *Gloſſa*, quæ ſolum verba breviter exponit. Iterum aliud eſt *catena*, & quidem nihil aliud, quam expoſitio Scripturæ ex SS. PP. qui exſplicandæ Scripturæ inſudarunt, deſumpta: qualem compoſuit S. Thomas in Evangel. Aliud dein eſt *Poſtilla*, quam recte dixeris expoſitionem concionatoriam, qua aliquod Scripturæ caput, aut ſaltem plures illius textus continuo ordine & ſimplici methodo exponuntur. Sequitur demum *homilia*, quæ eſt aſſumptio quorundam textuum ad declarandam materiam aliquam facta, illos oratorie exſplicans, & ad doctrinas varias plebi inculcandas applicans. Legantur *Homiliæ Patrum.* Agendum jam foret de celebrioribus Scriptoribus, & Interpretibus Scripturarum antiquioribus, & novioribus: Ne tamen nimium excurramus, Candidatum noſtrum ad obvios Scriptores remittimus (m). Atque hæc de Script. in genere non eſſe prætereunda exiſtimavimus.

De concordantiis gloſſis commentariis.

Quid concordantiæ?

Quid commentarius?

Quid homilia?

(k) In Præf. Diction. Bib.

(l) E. g. ſi quis in Geneſi exſplicet non modo verba Script. ſed etiam naturas rerum creatarum e. g. cœlorum.

(m) Vid. Magnif. Bertholdus Vogl Sect. II. Cap. V. Author Proleg. part. VIII. quæſt. 16.

CAPUT II.
De Authoritate & uſu S. Scripturæ in Jure Eccleſiaſtico.

§. I. *Qua ratione S. Scriptura utriusque Teſtamenti tam ut regula fidei, quam ut regula morum obliget?* II. *Præcepta V. T. examinantur, an & quomodo obligent, & facta fuerint mortua vel omnino mortifera?* III. *Specialiter inquiritur, quandonam evaſerint mortifera, & quem hodie uſum habeant?* IV. *Præcepta novæ legis, eorumque obligatio exponitur.* V. *Agitur de uſu librorum S. Scripturæ.* VI. *Quibus verſionibus utendum, & in quo ſenſu Concil. Trident. editionem vulgatam approbaverit?* VII. *In qua lingua officium divinum publicum peragendum, & quid ſentiendum de decreto Concil. Trident. deſuper edito?* VIII. *Agitur de Lectione S. Scripturæ, an & quomodo ſit licita, & an recte a cit. Concil. prohibita?* IX. *An quando & quomodo a veteri Teſtamento ad novum liceat legitimum ducere argumentum?*

§. I.

Scriptura antiquæ & novæ legis eſt regula credendorum.

Explanaturi authoritatem & uſum S. Scripturæ in ordine ad Jus Canonicum, vel potius in ordine ad regendum ordinandumque ſtatum utriusque Reipublicæ tam *Eccleſiaſticæ*, quam *Politicæ* potiſſimum de legibus V. & N. T. aliisque ad praxin pertinentibus agemus. Scripturæ S. utriusque Teſtamenti novi non tantum, ſed etiam antiqui, tanquam indubitatæ ac immutabili *credendorum regulæ* usque nunc a nobis etiam Chriſtiano-Catholicis eſſe aſſurgendum, eſto revelatio ſit quodammodo diverſa tam ex parte *objecti* revelati (a), quam *modi revelandi* (b) nemo non facile perſpexerit, ſecus de infallibilitate DEI revelantis æque, cujus tamen veritas manet in æternum (c), ac dogmatis revelati actum erit. Paulo aliter diſcurrendum de Scriptura, in

(a) Quædam enim dogmata in lege antiqua non niſi obſcure e. g. *Myſterium SS. Trinit.* vel omnino non fuiſſe revelata, quæ nobis clare ſunt revelata, cap. ſeq. dicemus.

(b) In lege antiqua Deus per ſe, vel per Angelum, & per Prophetas, in lege vere nova per Chriſtum & Apoſtolos fuit locutus.

(c) Pſal. 116.

in quantum eſt *regula morum ſeu agendorum;* non enim ea omnia, & ſingula, quæ DEUS in lege veteri Hebræis agenda vel præcepit, vel agere permiſit, nos quoque ex præcepto divino agere vel jubemur, vel permittimur (d): cum DEUS legem antiquam, ut mox dicemus, abrogaverit, quin magna ex parte omnino fecerit mortiferam. Videndum igitur, quænam V. T. *præcepta* obſervare debeamus, vel ſaltem poſſimus, atque adeo uſui Eccleſiæ & Juris Canonici ſive ad regimen animarum *internum*, ſive *externum* Reipublicæ tam Eccleſiaſticæ, quam Politicæ aptari poſſint?

Scriptura V. T. eſt regula agendorum cum reſtrictione.

§. II.

Legem *veterem* in genere velut inanem ex magna parte, aut omnino legi novæ repugnantem fuiſſe abrogatam, & abrogari debuiſſe conſtans tenet Doctorum opinio irrefragabili Scripturæ authoritate ſuffulta: quippe quam DEUS abrogare voluit, fore abrogandam per Prophetas in certis circumſtantiis hodie ad amuſſim adimpletis prædixit, & eſſe abrogatam Apoſtolus clare edixit (e). Vel edic: an non figura præterit, dum figuratum exiſtit? nunquid non fulgente ſolis radio deſinunt umbræ, & exorta luce evaneſcunt tenebræ?

Quænam præcepta V. T. adhuc perdurent.

Quoniam vero triplicis generis præcepta diſtinximus, *moralia, cæremonialia*, ac *judicialia*, & ex his quædam exſpiraverint, & facta fuerint *mortua*, vel omnino (utimur phraſi Theologica) *mortifera* (f), videndum erit, quibus hæc ſors obtigerit, vel quæ adhuc ſtent ſub obligatione, & ita nobis uſui eſſe valeant? Certa ab incertis ſeparemus. Certum eſt primo, & indubitata fide credendum, legem veterem quoad *præcepta moralia* non tantum non fuiſſe factam *mortiferam*, ſed ne quidem *mortuam*, ac potius usque nunc perdurare, & in ævum perduraturam, cum ſint ipſum jus naturale ex natura rei immutabile: inde conſequi neceſſum eſt, præcepta Decalogi (excepto præcepto

(d) E. g. Hebræis ad duritiam cordis permiſſum fuit dare libellum repudii, quod nobis eſt prohibitum. Marc. 10. v. 4.

(e) *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem: projeciſti enim populum tuum domum Jacob. Iſaiæ 2.* Et Apoſtolus ad Heb. 7. *Tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt, ut & legis tranſlatio fiat.* Et cap. 8. *Dicendo novum veteravit prius: quod autem antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.*

(f) Lex dicitur *mortua*, quando ceſſat ejus obligatio, ita tamen, ut adhuc ſine peccato obſervari queat. *Mortifera* dicitur, quando non tantum non obligat, ſed ne quidem ſine peccato obſervari poteſt.

cepto ſanctificandi Sabbathum) adhuc hodiedum jus agendi conſtituere. Haud ſecus quoad *præcepta cæremonialia* quam *judicialia* certum eſt ſecundo, quod ambo cum Chriſto & in morte Chriſti (ſaltem *quoad ſe*) exſpiraverint, quia tunc, ſicut mox dicemus, vetus Teſtamentum deſiit. Certum eſt tertio, *præcepta judicialia* non fuiſſe facta *mortifera*, utpote quæ neque repugnantiam cum lege nova neque turpitudinem intrinſecam continent, & non niſi utilitatem politicam ſpectant, atque eo ipſo ab Eccleſia retineri, adoptari, ac recipi potuere. Quin non pauca eorum ab Eccleſia fuiſſe recepta Canones loquuntur (g), quæ in lege etiam nova jus conſtituunt, & a nobis cuſtodiri, ac obſervari debent, ita tamen, ut ſuam vim obligandi non a Jure Divino antiquo abrogato, ſed ex Jure novo Eccleſiaſtico, ex adoptione & libera receptione Eccleſiæ ſortiantur.

Quædam dubia de abrogatione legis antiquæ reſolvuntur.

Ex his tria conſurgunt dubia. Primo, quandonam lex *antiqua* exſpiraverit? Secundo, quænam ex *cæremonialibus?* & tertio quo tempore facta ſint *mortifera?* Quodlibet eorum ſuas patitur difficultates. Primum quidem Authores in tres abire ſententias fecit, quarum prima legem veterem exſpiraſſe cenſet ſtatim, ac Chriſtus Baptiſmum inſtituit: Altera eam tam *quoad ſe*, quam *quoad obligationem*; & tertia ſolummodo *quoad ſe* cum Chriſto mortuam tenet (h). Secundum vix non concordes habet DD. omnes: & tertium omnino difficillimum tot, tantiſque involutum eſt tenebris, ut ingenia Sanctiſſimorum Virorum Hieronymi & Auguſtini per 14. annos mirum in modum exercuerit (i). Quantum ad primum præplacet ſententia, quæ tenet legem veterem quoad præcepta tam *judicialia*, quam *cæremonialia* primum in morte Chriſti fuiſſe abrogatam, ſaltem *quoad ſe*, licet non *quoad obligationem:* antea enim & Chriſtus ipſe obſervavit (k), & obſervari eam voluit, & Apoſtoli obſervarunt, certe alias tranſgreſſionis a Ju-

(g) Vid. cap. 1. de adult. cap. 1. de furt. cap. 1. de homicid. cap. 1. & ſeq. de injur. & quid prohibet ab Eccleſia aſſumi illa impedimenta matrimonii, quæ in lege veteri obtinuere?

(h) Prima eſt Scoti, ſecunda Vasquezii, Durandi &c. tertia Tournelii tract. de leg. cap. 4.

(i) Vid. §. ſeq.

(k) Ipſe enim dicit: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Matth. 5. Ipſe quoque circumciſus eſt die octavo Luc. 2. Miſit leproſum ad Sacerdotem, ut offerret munus ſuum ſecundum legem Moyſis. Matth. 8. Ipſe cum diſcipulis celebravit Paſcha. Joan. 7.

Google

a Judæis, quos in omnes Chriſti & Apoſtolorum actiones fuiſſe intentos aliunde ſcimus, arguendi. Dein qua ratione lex transferri potuit nondum translato ſacerdotio, quod primum in morte Chriſti fuit translatum, quando ſe ipſum in cruce obtulit ſacrificium? aut qua arte teſtamentum *antiquum* eſſe abrogatum dici valet, dum teſtamentum *novum* necdum fuit obſignatum? at vero translatio ſacerdotii & obſignatio Teſtamenti novi contigit in morte Chriſti, quando ſciſſo velo templi Chriſtus exclamavit: *conſummatum eſt*. Dictum fuit *quoad ſe non quoad obligationem*. Ecquis enim ſibi perſuadeat, quod DEUS hominem eſſe voluerit ſine omni lege divina? fuiſſet autem ſine lege; nam vetus erat abrogata, nova vero nondum ſufficienter promulgata. Ad hæc quid proderat illa obligatio, quam nemo ſciebat, & omnes invincibiliter ignorabant? dein ſuppoſita hac abrogatione jam remedia antiquæ legis ſua virtute & effectu fuiſſent deſtituta, & quid inde ſequitur? nihil aliud, quam quod obſervantia legis antiquæ fuerit inutilis, novæ vero impoſſibilis. Quantum ad ſecundum pro certo tenendum eſt aliqua ſaltem ex *cæremonialibus* fuiſſe facta *mortifera*, ut ſine peccato & morte animæ per peccatum ſubeundæ obſervari nequiverint: alias tota lex antiqua, figura cum figurato, umbra cum ſole, lux cum tenebris ſtare poterit, quod quam abſurdas poſt ſe trahat ſequelas nemo non videre debet. Quare diſtinguamus neceſſe eſt inter ipſa præcepta *cæremonialia*, vel potius inter *cæremonias & ritus* præceptos, quorum alii eum in finem ſunt inſtituti, ut forent *figuræ & ſymbola* (l) aut omnino quædam ſalutis *remedia* e. g. *circumciſio*, ſaltem in illorum opinione, qui illam tanquam remedium contra peccatum originale, & non ut merum ſignum diſcretivum Judæi a gentili defendunt (m). Alii vero ſine *myſtica ſignificatione* aut efficacia unice ad ſacra decenter peragenda a DEO fuere ordinati e. g. veſtes ſacerdotales &c. Quo obſervato omnis evaneſcit difficultas, ſi dicas, priores jure divino, poſteriores ſolummodo ex jure Eccleſiaſtico factos fuiſſe mortiferos, ex eo, quod illi habeant incompatibilitatem (quæ enim comparatio lucis ad tenebras, aut qua ratione inania & vacua Judæorum ſacrificia cum ſacrificio novæ legis, circumciſionem cum Sacramento Baptiſmi combinaveris?) & repugnantiam cum lege nova, qualem cæteri non habent. Cuinam enim, edic, legi aut ritui jure divino

Quandonam obligatio ceſſaverit?

Quædam præcepta facta ſunt mortifera, & quæ?

(l) E. g. Immolatio agni Paſchalis, ſacrificia Judæorum.
(m) Vid Calmet in ſpecial. diſſert. de circumciſ.

divino præcepto repugnant ritus Judaici alii e. g. dedicatio templorum, oblatio decimarum, cantus Pſalmorum &c.? quare nihil prohibet, quo minus ab Eccleſia nova adoptari valeant. Et profecto quam plurimos fuiſſe adoptatos quis ignorat (n)? Quo in caſu tamen leges iſtæ non habent vim obligandi vi inſtitutionis divinæ, quæ ceſſavit, ſed vi authoritatis Eccleſiæ eas libere adoptantis, ac homologantis. Inſuperabilis jamjam occurrit difficultas, quandonam leges illæ factæ fuerint mortiferæ? pro qua ſit

§. III.

Quandonam leges V. T. evaſerint mortiferæ?

Atque hoc eſt illud pomum Eridis, ille nodus Gordius, illa difficultas, quæ ſummorum virorum ingenia usque nunc fatigavit, & quondam duos ſanctiſſimos Viros Hieronymum & Auguſtinum ferme usque ad diviſionem animorum per 14. annos colliſos tenuit: an ſcilicet jam in morte Chriſti præfatæ leges evaſerint mortiferæ? Opinionem id negantem velut pro aris & focis tuebatur S. Auguſtinus (o): Affirmativam acerbiori ſtylo defendebat S. Hieronymus (p). Controverſiam reddebat difficiliorem factum Apoſtolorum, quos obſervaſſe ad tempus legalia paſſim legimus (q), longe vero difficillimam ſingulare prorſus factum Petri, qui Antiochiæ etiam poſt Concil. Jeroſoly, in quo legalia fuere abolita (r), cum Judæis judaizabat, cui propterea Paulus, ſicut ipſe fatetur (s) in faciem reſtitit, *quia erat reprehenſibilis.* S. Hieronymus, ſicut obſervantiam legalium, ita etiam reprehenſionem Petro factam a Paulo *fictam* & *ſimulatam* (t) econtra S. Auguſtinus cum

Inter ſe vehementer litigabant SS. Hieronymus & Auguſtinus.

(n) E. g. Conſecrationem Eccleſiarum, cantum Pſalmorum, incenſum, oblationes decimarum &c.

(o) In ſuis epiſtolis & ſpecialiter epiſt. 8. & 9.

(p) Pariter in ſuis epiſt.

(q) Sic Paulus circumcidit Timotheum Act. 16. More Nazaræorum ſibi totondit caput c. 18. Imo Eccleſia in Concil. Jeroſol. congregata ritus Judaicos ſaltem ex parte præcepit: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra vobis oneris imponere, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis &c.* Act. 15.

(r) Loc. mox cit.

(s) *Cum veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia erat reprehenſibilis &c.* ad Gal. 2.

(t) Cum Hieronymo ſentiebant Origenes, Didymus, Apollinaris, Chryſoſt. &c. & ferme Græci omnes, quam ſententiam ideo arripuiſſe dicuntur, ut facilius Porphyrio Paulum procacitatis, Petrum vero erroris accuſanti ſe opponerent. Videtur multis S. Hieron. ſuam ſententiam retractaſſe.

Digitized by Google

cum SS. Cypriano & Ambroſio *veram* fuiſſe modis, quibus poterant, tuebatur. Nobis huic quæſtioni immorari non eſt permiſſum, quare paucis deſuper mentem noſtram declaramus: Primo quidem exiſtimantes, certam temporis Epocham, quo ſuum toxicum hæ leges imbiberunt, ſtatui non poſſe, cum neutra opinio evidenti Scripturæ, conſtanti traditionis, aut uniformi SS. Patrum teſtimonio ſtabiliri valeat, ſed nec ſtatim morte Chriſti una exſpiraſſe, ac ſimul toxicum mortis imbibiſſe cum S. Auguſtino, cujus ſententiæ vix non totus aſſurgit orbis, pro certo tenemus, quam etiam pene ut certam ingenti ſuo pondere perſuaſit tum exemplum Petri, quod nemini non graviſſimum (ſupponimus interea Cepham illum fuiſſe Petrum) videri debet, tum factum Apoſtolorum, quos ſine ſcrupulo imo cum aliqua ſcrupuloſitate legalia obſervaſſe Scriptura docet (u). Quis enim ſibi perſuadeat, Apoſtolos jamjam Spiritu Sancto afflatos & plenos obſervaſſe legem, quam ſine peccato non poſſe obſervari ignorare non poterant? fictionem ſimulationem, aut diſpenſationem fingere ex ea ratione nobis difficillimum videtur, quod nullum prorſus hujus ſimulationis veſtigium nec in Scriptura, nec in Traditione reperiatur, nec ex ipſa agendi Apoſtolorum ratione appareat, quin potius Scriptura obſervantiam illam verbis adeo prægnantibus exprimat, ut efficacioribus exprimere vix potuerit; & nemini vel levis ſuſpicio latentis fictionis venire valeat. Et quid opus eſt fingere diſpenſationem, de qua altum ſilet Scriptura, & quæ jure optimo inutilis ac ridicula videri poſſet? nam ſe riſu dignum, ſuamque authoritatem ridiculam facturus foret legiſlator, qui legem abrogaret, cujus obſervantiam adhuc ad tempus eſſe neceſſariam vel utilem judicaret, prævidens, quod mox in lege per abrogationem ſublata ad tempus ſeu œconomiæ cauſa, ſeu ex alio fine altiſſimo quaſi univerſaliter diſpenſare debeat. Ad hæc quam difficile eſt Apoſtolos a nota irreligionis, mendacii & ſcandali (etſi excuſari poſſe non diffiteamur) excuſare? dicamus potius, quod tamdiu lex antiqua, eſto ſuam obligandi vim jam amiſerit, nihil mortiferi a ſuis obſervatoribus contrahendi in ſe continuerit, quamdiu illius obſervantia bono Eccleſiæ, converſioni Judæorum, & prudenti

Præferenda ſententia S. Auguſtini.

S 2

(u) Vid. mox ante dicta. Graviſſimi DD. dubitant, an lex vetus ad ſanctificationem internam neceſſaria, vel aliquid fuerit operata: pro negativa coram ipſo moderno ſummo Pontifice in oratione publica Romæ ſummo cum applauſu habita peroravit Vir primæ dignitatis & eruditionis, cujus nomen ſummæ, qua in illum ferimur, reverentiæ cauſa publicum facere non audemus.

Digitized by Google

prudenti œconomiæ inſervire poterat. Videbatur autem Apoſtolis Spiritu Sancto plenis obſervantia legalium adhuc neceſſaria, non quod illis adhuc quamdam vim & efficaciam ad ſalutem conſequendam utilem (evacuata enim erat illorum virtus per mortem Chriſti, ſi tamen unquam quidquam virtutis habuere) ineſſe crederent, ſed quod e re & bono Eccleſiæ fore exiſtimarent illorum obſervantiam ſuſtinere, ne ex præcipiti illorum abrogatione offenſæ eſſent Judæis, & ſcandalo gentilibus; Judæis quidem, ſi ſe ſuamque legem, quam a DEO latam & ſummo honore habitam indubitata fide credebant, contemni, vilipendique conſpicerent; gentilibus vero, ne in errorem peſſimum, aut certe vilipenſionem Judæorum Eccleſiæ ſummopere nocivam inducerentur, exiſtimantes, legem veterem non modo nil habere ſacri, ſed nec DEUM habuiſſe Authorem, aut habere potuiſſe: quare exſpectandum erat, ritibusque Judæorum utendum, dum Judæi vanitatem legalium intimius perſpicientes ſenſim ſine ſenſu ſuccedentibus aliis rerum & temporum circumſtantiis, nec non conſideratis legalium onere ac inutilitate a ſuis ritibus avocarentur. Ambabus ergo manibus amplectimur doctrinam S. Auguſtini, qua docemur, obſervantiam legalium fuiſſe & *veram*, atque *œconomiæ* cauſa tam utilem, quam neceſſariam, ut *ſynagoga cum honore ſepeliretur*. Ex quo conſequi neceſſum eſt, tunc primum legem veterem factam fuiſſe *mortiferam*, quando ratio *œconomiæ* deſiit, & *ſynagoga cum honore ſepulta fuit*: cujus etſi certa epocha menſis, & dierum ſtatui nequeat, in eam tamen communius DD. eunt ſententiam, id factum eſſe anno circiter Chriſti 40. poſt everſionem templi Jeroſolymitani (y): quippe quod tunc ex una parte lex nova jam fuerit ſufficienter promulgata, ut Apoſtolus cum veritate ſcribere potuerit: *Sed dico, numquid non audierunt, & quidem in omnem terram &c.* (z) ex altera vero parte nulla apparuerit neceſſitas utendi condeſcenſu & indulgentia quacunque, quæ tota quanta eo collimabat, ut & ſynagoga cum honore ſepeliretur, & ipſe cum Judæis agendi modus tanto eſſet fortior, quanto erat mitior. At vero everſo templo poſtquam trucidati fuere ſacerdotes, evacuata ſacrificia, capta arca, Judæi per totum orbem diffuſi, jam nullus Synagogæ debebatur honor. Et profecto ille ipſe miſerrimus, in quem Judæi inciderant, ſtatus, cæcitatem abſtergere, mentiſque oculos aperire debuiſſet, quibus apertis excidium ſuæ legis in Scripturis toties per Prophetas prædictum jam actu

Quandonam lex antiqua facta fuerit mortifera?

e ſe

(y) Sub Tito Veſpaſiano.

(z) Rom. cap. 10.

eſſe ſecatum apertiſſime perſpicere potuiſſent: quid quod diuturnior legalium tolerantia Ebionitis & Cerinthianis obſervantiam eorum ad ſalutem neceſſariam jactantibus peſſimo exemplo, gentilibus vero ad fidem converſis graviſſimo ſcandalo eſſe potuiſſet.

De præcepto abſtinendi a ſanguine & ſuffocato.

Nec quemquam offendat, quod ipſi Apoſtoli legalia quædam ritusque in celebri ſuo Concilio Hieroſolym. ſpeciatim abſtinentiam a ſanguine & ſuffocato obſervari præceperint (a). Quod decretum adhucdum ſtricte ſervatur in Eccleſia Græca (b), & longo tempore fuit obſervatum in Germania (c) & Gallia (d), ut nihil dicamus de diſciplina Eccleſiæ Aſiaticæ, quam usque ad tempus Concilii Nicæni Paſcha more Judæorum celebraſſe, nemo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ vel modice peritus ignorat (e). Hæc & his ſimilia multis tantæ difficultatis viſa ſunt, ut ad varia delapſi ſint reſponſa, quæ ſingula unico reſponſo facile eliduntur, ſi dicamus hos ritus eſſe annumerandos ritibus indifferentibus, qui ab Eccleſia ex ſuis cauſis adoptari & retineri potuerunt. Quid ſi dicamus, præceptum de *abſtinentia a ſanguine & ſuffocato* non tantum non fuiſſe *præceptum divinum Moſaicum* ſoli genti Hebraicæ, ſed magis præceptum *Ante-Moſaicum* ſeu *Noachicum*, & univerſale toti orbi reſtaurato datum (f) vel potius obſervantiam quamdam jam ante vel poſt diluvium ideo receptam, quod putarent homines, ante vel poſt Diluviani comeſtionem ſanguinis & ſuffocati ipſi juri naturæ repugnare: quam proin Apoſtoli unico quaſi ictu ſubvertere noluerunt ea potiſſimum ex cauſa, ut primos Chriſtianos tanto longius a ſuperſtitioſis Gentilium phantaſiis averterent, quanto firmius hi ſibi perſua- S 3 ſum

(a) *Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato.*

(b) Ita enim ſancitum eſt in Synodo Trullana Can, 67. cui Græci tam pertinaciter inhærent.

(c) Synodus enim Wormatienſis Sæc. 9. Anno 868. celebrata Can. 64. expreſſe ſtatuit, ne quis comedat *animalia, quæ a lupis lacerantur, aut aves & alia animalia, ſi in retibus ſtrangulentur.* Similia leguntur in Epiſtolis a ſummis Pontificibus Gregorio III. & Zacharia Sæc. VIII. ad Boniſacium datis, de quibus vid. Author. Princip. Jur Eccleſ. Cap. I.

(d) Synodus Aurel. Anno 533. habita: *Qui cibis idolorum cultibus immolatis utuntur, ab Eccleſiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi, qui Beſtiarum morſibus extincta &c.*

(e) Aſiatici non tam in lege divina quam in traditione Apoſtolica a S. Joanne accepta ſe fundabant. vid. diſp. cap. IV.

(f) Vid. Author. Princip. Cap. I. §. VII.

ſum habebant, ſe ſuis Diis eo gratius exhibere obſequium & dignius offerre Sacrificium, quo avidius per comeſtionem ſanguinis & ſuffocati animalia inSacrificium oblata conſumerent (g). Ex his ſuapte ſponte fluit, quæ leges A. T. uſui eſſe poſſint? *Morales* eundem habent uſum, quem leges naturales: *judiciales*, & *cæremoniales* (exceptis iis, quæ factæ ſunt mortiferæ) tantum valent, quantum eas Eccleſia valere vult, quas ſi Eccleſia adoptaverit, quemadmodum multas adoptaſſe ex ipſo Jure Canonico ſcimus, habebunt authoritatem non vi Inſtitutionis divinæ, ſed authoritatis Eccleſiæ, & tantam, quantam ab ea accepere.

§. IV.

Quomodo lex nova ſit norma agendorum?

Tranſitum faciamus ad *Script. N. T.* eamque, in quantum conſtituit *normam agendi*, Juri noſtro, præcipue in ordine ad regendam Rempublicam Catholicam tam Eccleſiaſticam quam politicam accommodemus, cujus obligatio probabilius incæpit in die Pentecoſtes, quo confluentibus ex omni Judæa in urbe Regia Judæis ſolemnis facta fuit illius promulgatio; antea enim lex nova non erat ſufficienter promulgata ſive ante Paſſionem Chriſti, ſive in Paſſione, ſive tempore inter Paſſionem & Pentecoſten intermedio: Non antea; Quia utique ante mortem Teſtatoris Teſtamentum non erat aperiendum: Non in morte Chriſti; Quia tunc grex ovium percuſſo paſtore erat diſperſus: Non tempore intermedio; Quia de promulgatione non conſtat, nec conveniens erat legem promulgari, antequam tota lex foret inſtituta: at vero nondum erat inſtituta lex nova, cum Chriſtus jamjam propediem abiturus ad Patrem primum inſtituerit *Sacramentum Pœnitentiæ*, & Apoſtolis poteſtatem in *corpus myſticum* dederit (h). Interim hæc obligatio non incæpit ſimul & ſemel pro toto terrarum orbe, ſed ſucceſſive, prout nempe notitia legis ſolemniter promulgatæ humano modo ad varias nationes pervenit, & pervenire potuit, & ideo opus fuit longiori tractu temporis, donec præſentes tunc Jeroſolymis Judæi ad ſuas Regiones reverterentur, atque abſentibus audita & juſſa narrarent.

Etiam in nova lege ſunt triplicis generis præcepta.

Haud ſecus in novo, ac in antiquo Teſtamento triplicis generis præcepta comperimus, cum eo tamen diſcrimine, quod Scriptura *novæ legis* tota quanta (aliter rem ſe habere in lege antiqua §. præced. dictum fuit) ſit lex fundamentalis Eccleſiæ Chriſti, niſi Eccleſia pro conceſſa ſibi poteſtate, rerumque circumſtantiis eam vel alterare, vel abroga-

(g) Vid. Tournelius Tract. de Leg. Cap. IV. de Leg. Div.
(h) *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis Joan. 20. v. 23.*

abrogare voluerit. Ne vero hæc puſillis ſint ſcandalo, triplicis generis præcepta iterum diſtinguamus, *Divina* ab ipſo Chriſto, *Divino-Apoſtolica* ab Apoſtolis tanquam *Miniſtris* Chriſti, & pure *Apoſtolica* ab iisdem qua Rectoribus Eccleſiarum condita. *Divina*, qualia ſunt præcepta de *Sacramentis*, eorumque *materiis & formis*, ut ſcholæ loquuntur, extra Eccleſiæ poteſtatem ſunt conſtituta, quin Eccleſiæ aliquid immutare ſit conceſſum, quod idem dicendum de præceptis *Divino Apoſtolicis; Apoſtolica* econtra Eccleſiæ poteſtati ſubjacent (i). Non enim majoris authoritatis in regimine Eccleſiæ ſuere Apoſtoli, ac eorum ſucceſſores, niſi ſucceſſionem eorum tollere velimus, & hinc non pauca præceptorum Apoſtolorum ſucceſſive fuere ſublata, & in eorum locum alia ſuffecta (k). Id unicum adhuc animadvertimus, circa *legem novam*, probe eſſe diſtinquendum inter *Evangelia*, & *cæteros libros N. T. Evangelia* non niſi doctrinam Chriſti *Divinam* inviolabiliter cuſtodiendam, cæteros libros paſſim doctrinam *Apoſtolorum* continere ſummo honore recipiendam, ac tamdiu retinendam, quamdiu Eccleſiæ pro exigentia rerum ac temporum eam retinere placuerit.

Alia Divina, alia Divino-Apoſtolica, alia pure Apoſtolica, & quænam?

§. V.

De uſu librorum ſcripturæ acturi unicam damus regulam: aut enim cum Catholicis, aut Heterodoxis nobis eſt agendum? contra Catholicos ſecure argumentaberis ex ſingulis libris a Concil. Trident. Authentizatis. Contra Heterodoxos, quantum fieri poteſt (etſi audiendi non forent) apparatum armorum ex armamentario nobis & ipſis communi, id eſt ex libris, quorum Authentiam etiam ipſi ſuſpiciunt, depromas, neceſſe eſt. Interim & horum authoritate premuntur, quoniam, licet eos in regulam irrefragabilem fidei ac morum aſſumere detrectent, fateri tamen vel inviti coguntur, eis ob ſuam antiquitatem, & authoritatem ſummam cui innituntur, eſſe fidem quam plurimam adhibendam. Quod ſi rem intimius inſpicere, atque cauſam, cur Catalogum librorum a Trident. editum tantopere perhorreſcant, diriſque omnibus devoveant, inquirere velimus, ratio princeps procul dubio hæc ſe manifeſtabit, quod in libris a ſe rejectis falſa ſua dogma-

Alius uſus Scripturæ, quando agimus contra Sectarios, & alius, quando agimus cum Catholicis.

(i) Vid. Quæſt. I. Cap. IV. §. 2. & 3.

(k) Sic immutatus eſt modus eligendi in electione S. Matthiæ obſervatus. Act. 1. ſublatæ ſunt Agapæ, communio bonorum, abſtinentia a ſanguine, velatio mulierum in templo collatio Baptiſmi per immerſionem &c.

dogmata, in quibus a nobis diſſentiunt, patenter nimis confutata legantur (l).

§. VI.

Qua verſione ad demonſtranda dogmata & præcepta Divina ſit utendum? Dubia quoad editionem vulgatam.

Progredimur ad *Verſiones* inquiſituri, qua *Verſione* ſive ad *Dogmata* fidei demonſtranda, ſive ad *præcepta divina* explicanda utendum ſit, & uti liceat? Dubietatem omnem e medio ſuſtulit Synodus Trid. dum *editionem vulgatam* velut *authenticam*, eaque in ſcholis publicis utendum declaravit. Verum quoad hanc ipſam plures conſurgunt difficultates, quarum alias heterodoxi, alias Catholici ſibi ipſis excitarunt: Illi quantopere editioni *vulgatæ* detrahant, dici nequit, Eccleſiam imprudentiæ, temeritatis, ac partialitatis ream agentes, quod editionem innumeris erroribus ſcatentem, atque ad dogmata *Pontificia*, ut loquuntur, transformatam cæteris prætulerit, neglectis puriſſimis fontibus Catholicos ad rivulos remiſerit, ſibique foderit ciſternas diſſipatas, quæ non valent continere aquas: Iſti vero acerrime diſputant, quo in ſenſu Synodus editionem *vulgatam* approbaverit? Num ita, ut primo eam quoad omnia & ſingula, quoad ſenſum, verba, voculas, & omnes apices fontibus originalibus conformem & authenticam declaraverit, ut jam nullus prorſus error & vix talis, qui meris librariorum mendis accenſeri poſſet, reperiatur? Et ſecundo num authentizando *vulgatam* editionibus *originalibus*, *Hebraicis*, & *Græcis* ſuam *authentiam* detraxerit?

Synodus Tridentina recte approbavit editionem vulgatam.

Age, breviter expediamus heterodoxos decreto Synodi proterve inſultantes, vel potius ad Scriptores alios ablegemus illos (m), a quibus eorum objectionibus abunde fuit ſatisfactum. Quam enim editionem aliam, edic, authentizare debuiſſet? Num *Hebraicam* & *Græcam?* Sed hanc utramque intactam & in valore ſuæ authentiæ, ut dicemus, reliquit. Num *Latinam* aliam? Sed nulla alia tantæ authoritatis eo tempore fuit, quantæ fuit *vulgata*, utpote pro qua ſtabat antiquiſſima mille ferme annorum poſſeſſio (eſt enim *vulgata* vel antiqua illa *Itala*, quam S. Auguſtinus cæteris præferebat, vel ipſius Hieronymi ſummo cum applauſu ab Eccleſia recepta) continuo Eccleſiæ uſu firmata, & in

(l) E. g. rejiciunt epiſtolam Jacobi, in qua Sacramentum extremæ Unctionis, nec non neceſſitas bonorum operum ſat aperte exprimuntur, item libros Machabæor. e quibus Catholici oſtendunt purgatorium &c.

(m) Vid. Bellarminus l. 2. de Verb. Dei cap. 10. & Calmet in ſpeciali diſſert. in vulgatam.

Digitized by Google

in tantam authoritatem ſublimata, ut ex heterodoxis non pauci emunctæ naris ac primæ eruditionis viri eam miris laudibus efferant (n). Aut dicemus fortaſſis, quod Deus ſuam Eccleſiam Scriptura authentica per tot annorum ſæcula deſtituerit, tempore, quo pauci fidelium hebraice, & non adeo multi linguam Græcam calluerunt? Neque habent, quod contra *Canonem* a cit. Synodo conſtitutum conquerantur; nam hunc eſſe ipſiſſimum *Canonem*, quo Eccleſia Romana & Africana jamjam Sæc. 4. uſæ ſunt, Catholici ex epiſt. Innoc. I. ad Exuperium, Concilo Cartag. III. veteri verſione *Itala*, & *Hieronymi*, non utique noviter cuſum, ſed ab Apoſtolis, eorumque proximioribus Succeſſoribus antiquitus traditum, ſemperque ab Eccleſia cuſtoditum invictis argumentis oſtendunt.

Reſolvuntur dubia inter Catholicos agitata de approbatione vulgatæ.

Convertamur ad Catholicos, quorum diverſas opiniones recenſere nimis longum foret. Sunt ex his, qui nimia ſcrupuloſitate ducti, atque periculum timentes, ubi non eſt periculum, Decretum Trident. ad omnia prorſus verba & voculas extendunt. Sunt alii, qui paulo laxius incedentes menda librariorum agnoſcunt. Sunt iterum alii, qui adhuc plus audentes *vulgatam* ne quidem quoad ſenſum in omnibus conformem eſſe *originali* aſſerunt, & præter menda materialia quosdam alios errores, neutiquam tamen ad ſubſtantiam fidei morumque pertinentes, admittere nulli ſibi ſcrupulo ducunt (o). Paucis noſtram deſuper mentem declaramus.

Synodus Trident. Vulgatam neutiquam quoad omnes apices approbavit.

Prima opinio profecto a mente Concil. Trident. prorſus aliena, minus probabilis, nimium ſcrupuloſa, multisque obnoxia difficultatibus nobis videtur. Excutiamus hæc ſingillatim: Intentionem, mentem, finemque Concilii ſi inquiramus, hic alius non fuit, quam tum erumpentes eo tempore Sectas, Zwinglianam, Lutheranam & Calvinianam confutare, ut conſtat ex Diplomate a Paulo III. edito, & Concilio præfixo; tum ex tot *editionibus latinis* eo tempore circumferri ſolitis unam, eamque puriorem ſeligere: utrique huic fini ut ſatisfiat, neutiquam ad ſcrupuloſitates AA. confugere neceſſe eſt; error enim (de priori primitus dicamus) heterodoxorum fuit duplex, in eo conſiſtens, quod aliquos Scripturæ libros ex integro proſcripſerint (p), quosdam non

(n) Vid. loc. cit. ubi in ſpecie refert Ludovicum de Dieu, Grotium, Bezam, Druſium, Millium viros certe primarios in ſcientia Scripturiſtica.

(o) Vid. Author Proleg. part. IV. ubi ſententias Authorum accurate recenſet.

(p) E. g. librum Judith. vid. cap. præced. §. V.

non niſi detractis partibus receperint (q). Jam vero ad hos errores eliminandos utique neceſſum non erat omnes prorſus apices velut *authenticos*, & primario originali ex integro conformes declarare? Alterum finem tanto felicius & facilius conſecuta eſt S, Synodus, quanto emendatior, purior, & fontibus *originalibus* conformior ſemper extitit editio *vulgata*, etſi ex integro ab omnibus ſeu incuria librariorum, ſeu ex alia cauſa irrepentibus mendis non fuerit purgata. Præterea minus probabilem hanc ſententiam diximus, ſive argumentis in-ſive extrinſecis ſit dimicandum. Si ad authoritatem, extrinſecam attendamus, illorum certe opinioni primas eſſe deferendas exiſtimamus, qui Concilio Trident. vel interfuere, vel poſt Concil. emendandæ, ac in melius caſtigandæ editioni vulgatæ operam navarunt haud inutilem, inſpectante, atque eorum labores approbante Eccleſia. Interfuere Concil. Trident. Andreas Vega, Melchior Canus, Didacus Paya, Iſidorus Clarius ex Monacho Caſſinenſi Epiſcopus Fulginatenſis, qui omnes de mente Concilii Trident. noſtræ opinioni ſuffragantis teſtantur (r): Quid quod ipſi Legati Pontificii Concilio præſidentes, dum Romæ haud pauci Decreto Synodi palam obſtreperent, exiſtimantes, omnimodam conformitatem cum *originalibus* eſſe definitam, reſcripſerint, a Synodo id unum definitum, quod in *vulgata* nil a fidei, ac morum regulis alienum contineatur (s). Quod ſi alia fuerit mens PP. Concilii, cur provinciam emendandi, atque in melius corrigendi vulgatam 10. Viris linguarum peritiſſimis demandarunt? Certe Iſidorus Clarius mox ante cit. in conſeſſu publico, dum actu de approbanda editione *vulgata* agebatur, ſe fortiter oppoſuit, atque ultra 8. millia variantium a fontibus Hebraicis & Græcis locorum indigitavit. Scripſere commentaria, gloſſas in editionem vulgatam poſt Concil. Trident. Viri omnigena eruditione conſpicui, quos inter nominandi veniunt Joannes Maldonatus, Andreas Maſius, Serarius, Salmeron, Cornelius a Lapide (pro! quales & quanti viri, in quibus eximia pietas, profunda eruditio, ſublimis ſapientia de palma contendunt (t) Tirinus &c. qui varia menda in melius transformanda paſſim annotarunt, ex quibus

(q) E. g. eliminant e ſuis Bibliis. Geneſ. 4. v. 8. Exod. 2, v. 22. 1. Reg. cap. 5. v. 6. plura loca recenſet Cabaſſutius in Not. Eccleſ. Sæc. 16. in Diatriba de Vulgata &c.

(r) Vid. Card. Pallavicinus in Hiſt. Concil. Trident. l. 6. c. 17. & alibi.

(s) Idem loc. cit, N. 15.

(t) Plures enumerat Cabaſſutius loc. cit.

bus Franciſcus Lucas Decanus Audomarenſis ab editis concordantiis celeberrimus in libello a ſe edito 4. mille & amplius loca annotat, qui in melius poſſent emendari. Nimis *ſcrupuloſam* diximus hanc ſententiam ſcrupuloſitate inde orta, quod AA. exiſtiment Eccleſiam in altera ſententia non habituram regulam infallibilem fidei: At vanus hic eſt ſcrupulus; non enim menda fidei aut bonis moribus contraria admittimus. Dein qua arte (en, difficultates, quibus obnoxia eſt opinio adverſa!) combinabimus duos Pontifices Sixtum V. & Clementem VIII.? uterque horum procuravit novam *editionem*, & quidem Clemens VIII. longe emendatiorem, multis tum detractis tum paſſim tranſpoſitis vocabulis: An dicemus, unum Pontificem correxiſſe alterum in materia fidei & morum? denique ante Concil. Trident. vel habuit Eccleſia regulam infallibilem fidei ſcriptam, vel non? hoc ſecundum vix dicere audebis: Si vero habuit, quomodo Eccleſia tot loca in melius corrigere & emendare potuit? Age, videamus, quid de tertia opinione, quæ præter menda librariorum alios quoſdam errores, non tamen ſubſtantiales regulis fidei & morum contrariantes, admittit, atque *vulgatam* ne quidem quoad ſenſum ſemper cum textu *originali* concordare libere aſſerit, & propterea a non paucis temeritatis ac improbabilitatis arguitur, ſit ſentiendum? Utramque notam ſumma, quæ pro hac ſententia militat, authoritas facile diſpungit: nunquid enim ipſi PP. quoſdam lapſus & errores in *vulgata* veteri contineri faſſi ſunt? Ipſe certe S. Hieronymus ſe ipſum non raro reprehendit, dicens, ſe non bene vertiſſe. Suffragantur viri & commentatores omni exceptione majores, qui varia loca a textibus *originalibus* diſcordantia annotarunt (u). Huc faciunt ſingula argumenta prius allata. Huic ſententiæ patrocinatur Author Princip. (x) quem propterea indiſcretiori Criſi perſtringit Notator Colonienſis (y) ex eo tantum capite, quod illa menda in ſpecie non indigitaverit. Certe ex toto contextu apparet, quod Author de levioribus erratis nec fidem nec mores attingentibus intelligi velit (z). Cæterum abſit, ut Authoris Princip. partes defen-

(u) Fuſe & energice hanc quæſtionem tractat Author Proleg. part. IV. q. 4. & 5.

(x) Cap. 1. de S. Script.

(y) In Animadverſ. cap. I, Art. I. & II. & III.

(z) Dicit enim: *Norunt autem Critici, poſt Trident. in vulgata fuiſſe deprehenſa menda, quæ meris librariorum mendis accenſeri nequeunt.* Plura in notatorem ſeverius dicta animadvertenda haberemus, illud maxime, quod in Sixtum Senenſem durius ſcribat, quæ tamen conſulto diſſimulamus.

defendendas ſuſcipiamus. Ipſi enim data occaſione Doctrinas illius pungemus. Solam ſeveriorem Criſin perſtringimus. Semper incedendum via mitiori, & errores, ſi non excuſari poſſunt, ſaltem exaggerandi non ſunt.

Synodus Trident editiones hebraicas & græcas in ſuo valore reliquit.

Alteram Quæſtionem ſupra poſitam breviter expediamus, ad quam dicendum, quod Synodus Trident. neutiquam *vulgatam* ita authentizare voluerit, ut editiones *Hebraicæ & Græcæ*, quas ante Concil. Trident. fuiſſe *Authenticas* fuſe oſtendit Nat. Alex. (a) jam non ſint *Authenticæ*. Inſpiciamus primo verba ac mentem Synodi S. 4. in decret. Verba ita habent: *Inſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ DEI, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, S. Librorum, quænam pro Authentica habenda ſit, innoteſcat.* En! verba, & una mentem Concilii, quæ certe alia non fuit, quam ex omnibus *Editionibus Latinis* unam ſeligere editionibus *fontalibus* in ſuo valore relictis. Atque hanc fuiſſe mentem Concilii tradunt ſecundo Serrarius, Salmeron & Vega, qui Concilio fuere præſentes, & quorum ultimus teſtatur, ſe hanc Patrum mentem pridie, antequam decretum fuerat conditum, ex ore Cardinalis a S. Cruce poſtea Romani Pontificis hauſiſſe (b). Tertio in hac ſententia facilius obtunditur os heterodoxorum Eccleſiam criminantium, quod *fontes*, e quibus purior hauritur doctrina (nam purior ex ipſis fontibus unda fluit) obſtruxerit, atque *rivulos* corruptos aperuerit. Quarto, qua arte in opinione adverſa Scriptura S. a ſuis mendis purgabitur, aut quorſum oborto qualicunque dubio recurrendum erit, ſi fontibus *originalibus* ſuam *authentiam* demamus? num ad judicium Eccleſiæ? Sed quis neſcit, ipſam Eccleſiam in decidendis quæſtionibus eſſe valde providam & circumſpectam, neque deciſionem facere, niſi adhibitis poſt invocatum Spiritum S. mediis etiam humanis, conſulta traditione, explorata mente SS. DD. excuſſis antiquitatum monumentis ſuam deciſionem traditioni in defectu verbi ſcripti conſormem judicaverit. Juvat profecto ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam ad tollendam ambiguitatem, ſicubi occurrat vox anceps & ambigua, ad corrigendos librariorum errores, quibus editio *latina* ſcatuit, & hodiedum ſcatet, ipſos *fontes* conſulere. Et demum undenam decem illi correctores a Synodo Trident. conſtituti, & ipſi etiam Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. ſuas correctiones adornarunt, ac in melius reformarunt, niſi ex *fontibus* inſpectis & conſultis? hæc ſatis.

§. VII.

(a) Tom. 18. Sæc. XVI. Diſſert. 12. a. 2.

(b) Vid. Nat. Alex. loc. cit. Item Author Proleg. loc. cit.

§. VII.

Alium ſcrupulum explanatione dignum ac indigum movet tum eadem Synodus, tum univerſalis Eccleſiæ conſuetudo & obſervantia. Cum enim hodie innumeræ diverſiſſimarum *linguarum editiones* proſtent, inter alia Sancta Synodus decrevit, ut Miſſa non dicatur in lingua *vulgari* (c). Et hoc conformiter antiquiſſimæ Eccleſiæ conſuetudini, quæ in communi & publico Eccleſiæ uſu officium *publicum* non niſi una ex tribus linguis, *Hebraica*, *Græca*, vel *Latina* perſolvere conſuevit. Dubitatur jam haud abs re, num illa Concilii conſtitutio, & hæc Eccleſiæ obſervantia laude quam vituperio ſit dignior? Dubium movent Heterodoxi, in ſpecie Boehmerus, quem in alia materia conſulentes per accidens incidimus in locum (d), in quo venenato ſuo calamo (ſæpius mirari nos ſubit, qua ratione vir tantus in ſua mordaciſſima ſcribendi arte tantopere excedere potuerit) contra hanc conſtitutionem Synodi, & obſervantiam Eccleſiæ mirum in modum declamat.

Synodus Trident. decrevit, ne Miſſa dicatur in lingua vernacula.

Utrum hoc decretum ſit rationabile?

Boehmerus illud impugnat.

Hos ergo hæc Synodi conſtitutio non minus, quam Eccleſiæ conſuetudo male habet, torquetque, & hinc ipſi ſua officia peragunt in lingua *vernacula* cuivis nationi vulgari. Audiamus primitus rationes Eccleſiæ ita ordinantis, & usque in præſentem diem ſuæ ordinationi (Moravis ex ſpeciali ratione poſt ſuam converſionem ob defectum Miniſtrorum latine celebrantium fuiſſe conceſſam facultatem celebrandi officia Divina in lingua Sclavonica narrat Æneas Sylvius) (e) conſtanter inhærentis. An non primo Chriſtus ipſe has linguas titulo ſuæ Crucis honoravit? Ex Apoſtolis & Evangeliſtis nemo ſcripſiſſe reperitur alia lingua, quam una ex his tribus: Ergo merentur ſingulariter honorari. Innititur Decretum antiquiſſimæ conſuetudini Eccleſiæ tam *Hebraicæ*, quam *Catholicæ*; quamvis enim ab Esdræ temporibus Lingua *Hebraica* apud Judæos deſierit eſſe *vulgaris*, & tranſierit in *Syriacam* ex *Hebraica* & *Chaldaica* permixtam, attamen fatente ipſo Boehmero Lex & Prophetæ in Synagogis in idiomate puriori & *Hebraico* prælegebantur, imo licet teſte Philone & Joſepho uſus linguæ *Græcæ* inter Judæos fuerit paſſim familiaris, tantus nihilominus erat honos *Linguæ ſanctæ*, ut ſingulis Sabbathis ab his, qui peritiam illius habebant, in idiomate antiquo aliqua legerentur, etſi populus in illo parum inſtructus foret. In Eccleſia Catholica id ipſum moris fuiſſe antiquitus,

Rationes, cur Eccleſia ita decreverit.

(c) Seſſ. 22. cap. 8. & Can. 9.

(d) In Diſſert. Jur. Eccleſ. Diſſert. 12. §. VII.

(e) Lib. de orig. Bohem. cap. 13.

Digitized by Google

quitus, undecunque hunc morem hauſerit, idem Author loc. cit libere fatetur. Paulo poſt invaluit mos legendi Scripturas in lingua *Latina*, quem Eccleſia conſtanter retinuit, eſto lingua latina in aliquibus provinciis nunquam fuerit vulgaris, in omnibus vero eſſe vulgaris ſucceſſive deſierit. In Eccleſia autem Græca legebatur *editio* 70. *Interpretum*, quamvis nec Lingua Græca toti Orienti (nec enim Syrii nec Ægyptii græce loquebantur) fuerit vulgaris. Accedit, quod Eccleſia hunc morem apud Judæos obſervatum non ſine graviſſima ratione æmulata fuerit, atque ad majorem authoritatem divinis officiis conciliandam usque nunc retinuerit. Boehmerus hanc adoptionem ab Eccleſia Catholica factam velut ſuperſtitioſam, ac ſuperſtitioſæ antiquitatis venerationi innixam ſugillat, ridet, & explodit. Primo enim (ſic ille, eſto aliis verbis) arguit: Aliunde Eccleſia nimis ſcrupuloſa & ſuperſtitioſa fuit in cæremoniis, ac ritibus Judaicis adoptandis. Secundo hic ipſe uſus antiquus fuit irregularis, imperfectus, extraordinarius, atque pro neceſſitate temporis duntaxat per modum *conniventiæ*, non per modum *legis* aſſumptus, eo quod in primis Eccleſiæ Sæculis conſultum non eſſet, omnes antiquos ritus Judaicos ſimul & ſemel abolere; ergo multo minus in Eccleſia nova per modum legis hic ritus præcipi debuiſſet. Poſtquam vero tertio Eccleſia per plura Sæcula hunc ritum retinuit, tandem ex ſcrupuloſa veneratione in legem ſtabilem illum aſſumpſit. Quarto utique hodie ceſſat illa ratio, quæ primitivæ Eccleſiæ perſuaſit tolerantiam rituum hebraicorum? & quinto longe cum majori ædificatione, ac devotione fidelium divina peraguntur in lingua vernacula, quam in lingua cæteris ignota. Hiſce contra oppoſitis non multum immoramur. Pauca reponimus, quibus ſingula diluuntur, & quidem Eccleſiæ minime vitio eſſe vertendum, quod tot ritus Synagogæ receperit, & conſtanter retinuerit: cum illos ſolummodo receperit, quos vel ratio prudentis œconomiæ recipiendos dictavit, vel in quibus ſingularem decentiam, & hoc ipſo rationem gravem aſſumendi reperit. Hinc eos potiſſimum receptos ſcimus, qui ad cultum divinum majori cum pompa peragendum, decorem Eccleſiæ, & commendationem Majeſtatis Eccleſiaſticæ modo ſingulari facere videbantur. Reſtat igitur Authori probandum, quod uſus linguæ vernaculæ longe majori foret ædificationi, atque devotioni fidelium augendæ longe aptius inſerviret.

Boehmeri rationes afferuntur.

Et refutatur.

§. VIII.

An & quomodo &

Ne vero nobis opponatur, fruſtra hæc a nobis diſputari, eo quod lectio ſacræ Scripturæ per regulam quartam *Indicis* lib. prohib. a Pio IV.

Sixto

quare Synod. Trident. lectionem ſacræ Scripturæ interdixerit?

Sixto V. & Clemente VIII. approbati ſit inhibita, illud decretum paucis explanare neceſſium duximus, ut & ſcrupulo, qui quibusdam ſuboriri poſſet, & heterodoxorum criminationibus contraveniamus. Sciendum igitur, in Concil. Trident. nulli lectionem Scripturarum inhiberi, neque per cit. Indicem *fontes* ipſos aut puriores rivulos occludi, id eſt lectionem in fontibus *Hebraicis* & *Græcis*, aut in editione *Latina vulgata* neutiquam, ſed ſolummodo in aliis editionibus *vernaculis*, & quidem nonniſi independenter a licentia Epiſcopi, Parochi, vel Confeſſarii interdici. Quo in decreto quis non ſingularem prudentiam & diſcretionem ſuſpiciat? Prudentiam in prohibendo, diſcretionem in moderando decreto.

Hæc prohibitio prudens eſt & diſcreta.

Prohibuit certe S. Congregatio obviam lectionem cujuscunque editionis ex cauſis prorſus prægnantiſſimis. Ipſa S. Scripturæ ſublimitas cum obſcuritate inſuperabili, quæ doctiſſimorum etiam ingenia fatigavit, conjuncta, quam non eſt potens ad turbandum, atque innumeris ſcrupulis involvendum intellectum, cui non ſemper præſto eſſe illud lumen ad rectam Scripturæ intelligentiam, ut falſo aſſerunt AA., neceſſarium lugubri nimis experientia docemur. An non Scriptura male intellecta fuit mater pene omnium hæreſum, cum vix ulla exorta fuerit hæreſis, quæ non quæſivit præſidium in Scripturis, & in earum expoſitione fuit gloriata pulchre dicente S. Hieronymo, *omnes hæreſes de Scripturis ſibi cervicalia conſuere, quæ ponant ſub cubito univerſæ ætatis* (f). Occurrunt hinc inde loca ad ſpeciem repugnantia, alibi quædam non ſat modeſte in auribus plebejorum ſonantia, quæ puſillis poſſent eſſe lapis offenſionis. Et quem latet, pleraſque editiones *vernaculas* hodie circumferri ſolitas, ab heterodoxis occulte per cuniculos agentibus eſſe ſuppoſitas, atque veneno occulto infectas? luſtremus domos Catholicorum, &, ſi ita dicere licet, Bibliothecas domeſticas plebejorum, & (fidem meam obſtringo) comperiemus, Biblia ab ipſis detenta pleraque eſſe Acatholicorum, apud quos nihil hodie frequentius, quam Biblia, alioſque libellos tum catecheti-

(f) In cap. 1. ad Galat. audiatur Vincentius Lirinenſis in Commonit. N. 2. *Quia videlicet Scripturam S. pro ipſa ſua altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt, ſed ejusdem eloquia aliter, atque aliter alius, atque alius interpretatur, ut pene, quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris &c. &c.* exponit. Hanc rem fuſe tractat Thomaſinus Tom. 3. Dogm. Theolog. Tract. 1. de Proleg. Theol. c. 13. & ſeqq.

Digitized by Google

techeticos tum precatorios doloſe ſupponere, ut incauti in decipulas ruant præcipites. Ad ipſam experientiam, etiam domeſticam appellamus. Quam non nutant in fide, quam innumeris pulſantur ſcrupulis, quam periculoſe de rebus fidei diſcurrunt illi, qui præceptum Eccleſiæ parvi pendentes occulte ſe lectioni *Bibliorum* conſecrant. Habent plebeji ſuos Paſtores & Doctores: hos audiant, non enim eos Chriſtus ad ſcrutandas Scripturas, ſed ad Apoſtolos & Eccleſiam miſit (g). Nunquid Eccleſia ſine Scripturis ſeu lege ſcripta diu inconcuſſa ſtetit, donec Matthæus ſuum ſcripſerit Evangelium? Num diſciplinam Arcani ab antiqua Eccleſia (eſto non pauci illam velut aſylum ignorantium ſugillent) ſtricte obſervatam erroris arguemus? Intereſt etiam Eccleſiæ, ut puritas Script. conſervetur, quæ ſarta tectaque ſtare non poteſt in magna translationum frequentia. Facit denique ad Majeſtatem divinorum officiorum, dignitatemque S. Literarum, ſi ab illarum lectione cum diſcretione prophanum vulgus arceatur: neque enim cuivis fas eſſe debet ingredi *Sancta Sanctorum*. Sed & diſcretione prorſus mirabili utitur Eccleſia, dum primo nec *fontes*, nec puriores rivulos (intelligimus editiones *Hebraicam*, *Græcam*, & *Latinam*) occludit, & ſecundo ſaltem cum licentia Paſtorum legitimorum ipſos etiam rivulos non genuinos, nempe editiones vernaculas conſulere & inſpicere permittit.

An Index lib. prohib. quoad quartam regulam in Germania ſit receptus?

Quidquid tamen ſit de hoc decreto, illud ſaltem quoad quartam regulam & lectionem Bibliorum non eſſe receptum in Germania, Gallia, & Belgio teſtantur Scriptores ſat graves (h). Quod an ita ſe habeat, haud inanis alicui poſſet ſuboriri ſcrupulus, quoniam hanc prohibitionem paſſim urgent Epiſcopi ſaltem in noſtris provinciis, & ipſi etiam tenerioris ſaltem conſcientiæ laici ſcrupulo ſibi ducunt decreto contravenire. Provocant quidem heterodoxi tam ad Script. ipſam, in qua DEUS lectionem illius ſuadet, imperat, & inculcat (i), quam ad ſanam rationem, quæ utique non permittit, ut ſanctiſſimæ doctrinæ, ſaluberrimæ leges, præcepta fidei & morum, ad quorum obſervantiam fideles obligantur, ipſis ſubtrahantur. Et quid ulterius ex hac ſubtractione ac prohibitione conſequitur, niſi periculoſiſſima dubia, quæ

(g) *Qui vos audit, me audit.* Joan. 16. &: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus &c.* Matth. 18. v. 17.

(h) Layman. l. 2. tract. 1. c. 15. N. 80. Et P. la Croix. l. 7. Theol. moral. dub. 4. art. 5. N. 374.

(i) *Scrutamini Scripturas.* Joan. 5. v. 39.

Google

quæ fidelibus oboriri poſſunt, ſi intimius cauſas ſubtractionis inquirant? Hæc profecto rationum momenta tanti ponderis non ſunt, ut, ſi cum noſtris ſtateræ ſanæ rationis imponantur, præponderare debeant; non enim illa juſſio Chriſti Judæos ad ſuas Scripturas ablegantis arguit præceptum univerſale. Potuit Chriſtus id velle, & voluit, ut Judæi ex ſuis Scripturis, ad quas ipſi continuo provocabant, confunderentur. Neque Eccleſia ſuis fidelibus doctrinas Chriſti ſubtrahit, & prohibendo lectionem Script. occultat: dat utique facultatem legendi editiones puras, conſtituit legitimos Paſtores, quibus vi muneris obligatio incumbit exponendi Scripturas, interpretandi leges, earumque obſervantiam identidem inculcandi: neque hi ipſi tam rigide ac pertinaciter decreto inhærent, ut non ex cauſa gravi in præcepto Eccleſiæ paſſim diſpenſare conſueverint. Expendat æquus rerum æſtimator ſepoſitis præjudiciis cauſas diſcretiſſimæ juxta, ac prudentiſſimæ inhibitionis, quibus rite expenſis non habet, cur inanibus ſuſpicionibus ſe torqueat.

§. IX.

Alia quæſtio de argumentatione a lege antiqua ad novam.

Pro coronide hujus capitis aliam adhuc quæſtionem exercitatione dignam ab uno alterove non niſi obiter attactam, a nemine vero pro ſua dignitate, ſaltem quantum nos ſcimus, diſcuſſam examini ſubjicimus: utrum nempe a lege antiqua ad novam argumentari liceat? Hujus diſcutiendæ neceſſitatem nobis faciunt Scriptores quidam tam Catholici, quam Heterodoxi, illi quidem, quippe qui haud raro ad ſtabilienda dogmata tum fidei, tum morum & diſciplinæ vel doctrinas etiam adiaphoras a veteri Teſtamento ad novum e. g. a Sacerdotio, ab immunitate Sacerdotum & Levitarum, a præcepto ſolvendi decimas antiquæ legis, ad Sacerdotium, ad immunitatem Clericorum, ad decimas in nova lege ſolvendas argumentantur; hi vero, utpote qui non tantum Eccleſiæ crimini vertunt, quod tot ritus & cæremonias ex antiqua lege mutuaverit, atque hos, & quidem illos præcipue, quos in primis Eccleſiæ Sæculis ex aliquali neceſſitate, œconomiæ cauſa, maxime propter infirmiores ritibus Judaicis nimium aſſuetos tolerare neceſſum erat, ſtabili lege munierit, ſed inſuper Clerum maxime carpunt, & criminantur, quod omnes ferme titulos honorificos, prædicata, jura, & privilegia Sacerdotibus antiquæ legis conceſſa ſibi ambitioſe arrogaverit. Utrumque illuſtrant exemplis: ſic enim, ajunt, Eccleſia dedicationem templorum a Synagoga, ornatum & ſplendorem Eccleſiarum a Templo Jeroſolymitano &c. Item diſtinctionem inter Clericos, & Laicos, ipſum Sacerdotium, formam Regimi-

Difficultas ex DD. Catholicis & Acatholicis.

Rationes Acatholicorum.

nis Eccleſiaſtici &c. non niſi ex veteri Teſtamento mutuavit (k).

Hæc non eſſe exigui momenti facile quis perſpexerit: Quibus tamen haud difficulter ſatisfit, ſi modo ſupra tradita rite intelligantur. Ut ergo hæc & his ſimilia funditus evertantur, ſequentes damus regulas, ad quas velut ad Cynoſuram in dubiis ſibi undecunque motis reſpiciendum erit.

Traduntur certæ Regulæ.

Regula prima: Eccleſia Catholica nullum hactenus dogma ſeu fidei ſeu diſciplinæ *Hebraicæ* adoptavit, neque adoptare potuit, quod eſſet repugnans legi novæ, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ a Chriſto inſtitutæ (l). Regula ſecunda: Potuit Eccleſia recipere ritus quoſdam *Hebraicos*, & quædam diſciplinæ antiquæ capita, quæ non modo cum lege nova nullam habent incompatibilitatem, ſed etiam ad cultum divinum externum decentius peragendum, ad ſplendorem Eccleſiæ, ad Majeſtatem officii divini facere videntur (m). Regula tertia: Infirmum ſane argumentum ducitur a Jure divino tam judiciali, quam cæremoniali antiquæ legis ad Jus divinum novæ legis, quando illud eſſe renovatum nec ex ſcriptura, nec ex traditione probari poteſt, tunc maxime, quando diſciplina & conſuetudo Eccleſiæ primitivæ fuit contraria, neque eadem pugnat ratio (n). Et econtra, Regula quarta: In aliquale

(k) Vid. Boehmerus in Diſſert. Eccleſ. diſſert. IX. de veteri Eccleſ. ſtatu, & diſſert. XII. de extraord. primit. Eccelеſ. ſtat. Ubi ad eliminandam traditionem divinam, ſubruendam diſtinctionem inter Clericos & Laicos, tollendam formam Regiminis Eccleſ. in his criminationibus eſt perpetuus, easque ingenti atgumentorum & exemplorum apparatu ſtabilire ſatagit.

(l) Non enim, ut ſomniat cit. author, Eccleſia diſtinctionem inter *Clericos* & *Laicos*, ipſum ſacerdotium, formam Regiminis Eccleſiaſtici ex veteri Teſtamento aſſumpſit.

(m) Ex quo capite Eccleſia legitime introduxit dedicationem & conſecrationem templorum, ornatum Eccleſiarum &c. Num enim ſplendor, ornatus, Majeſtas repugnat cultui divino? num hæc impediunt, quo minus DEUS in ſpiritu & veritate adorari valeat? non ignoramus SS. Patres, ſpecialiter S. Bernardum conqueri contra exceſſivum Eccleſiarum ornatum, ſed iſta huc non pertinent.

(n) Sic e. g. ſaltem in noſtra ſententia, ab obligatione ſolvendi decimas ex veteri lege non bene ducitur argumentum ad legem novam, quia de præcepto

Google

le ſubſidium aſſumi poteſt Jus antiquum ad ſtabiliendum Jus novum, ſi de Jure novo conſtituto conſtet, ſic e. g. ſtabilito ſemel dogmate de diſtinctione inter Clericos & Laicos, de Sacerdotio &c. optime id ipſum confirmamus ex lege antiqua ſaltem argumento a pari, & quaſi a fortiori. Imo (& ſit per modum Regulæ quintæ) ſi quæ ſint quæſtiones controverſæ, quæ nec ex ſcriptura nec ex traditione decidi poſſunt, & una ex ſententiis controverſis habeat pro ſe ingentem probabilitatem, haud inepte, licet non convincenter, ex antiquo ad novum argumentaberis Teſtamentum, ſi eadem vel major pugnat ratio. Et hinc argumentum, quo Catholici a Privilegio fori ac immunitatis Sacerdotibus in antiqua lege competente ad Clericorum immunitatem in lege nova argumentantur, inter Catholicos non eſt ineptum, non tamen convincens. Inde facile colliges, quæ noſtra in hac oppido difficili materia ſit mentis ſententia. Nempe via media incedimus, & neque vagum illum & incircumſcriptum argumentandi modum quorundam in quavis materia ob congruentiam qualemcunque a veteri ad novum Teſtamentum argumentantium approbare, neque illimitatam illam regulam, quam tradit Author Princip. J. E. dum dicit: *Proinde fruſtra eſſe, qui a ſtatu publico Synagogæ, Sacerdotio V. L. Sacrificiis &c. argumentum ducunt ad ſtatum, & ſacra Eccleſiæ Chriſtianæ*, adoptare audemus. Has jam regulas ſi bene callueris, ad obvias & obventuras materias eas facile applicabis. Hæc de Scriptura.

---

cepto ſolvendi decimas in lege nova nihil legimus in Script. neque in primis tribus Sæc. ex quibus tamen genuina hauriri debet traditio, exactæ fuere decimæ, neque eadem pugnet ratio, cum ſupponamus Clericos aliunde habere congruam ſuſtentationem. Similiter authores non pauci, quorum opinionem in ſuo valore relinquimus, exiſtimant ab immunitate Sacerdotibus V. Teſt. competente minus efficaciter fieri argumentum ad Clericos Nov. Teſtam. cum non habuerint bona immobilia &c. noſtri vero habeant.

CAPUT

CAPUT III.

De Traditione.

§. I. *Excellentia Traditionis in genere exponitur.* II. *Quid ſit Traditio, & quomodo a conſuetudine, & obſervantia differat, examinatur.* III. *Variæ Traditionis ſpecies explicantur, & ſpecialiter inquiritur, num detur Traditio mere, oralis contra Authorem Princip. J. E.* IV. *Vindicatur exiſtentia Traditionis divinæ, illiusque neceſſitas contra Samuelem Baſnage.* V. *Item genuina illius origo contra Boehmerum.* VI. *Diſcutiuntur doctrinæ quædam Authoris Princip. circa Traditionem divinam.* VII. *Authoritas & uſus Traditionis in Jure Canonico declaratur.* VIII. *An, & quænam dentur regulæ diſcernendi Traditiones ab invicem.* IX. *Quæ ſit Eccleſiæ authoritas circa Traditiones.* X. *Agitur de piis credulitatibus & traditionibus vulgaribus.*

§. I.

Eadem authoritas verbi ſcripti & traditi.

Poſt *Verbum divinum ſcriptum* primas ſibi vendicat *Verbum divinum traditum*, ſeu *Traditio*, quæ tantæ eſt dignitatis in Eccleſia, ut cum Scriptura (de Traditione divina nobis eſt ſermo) de primatu authoritatis dimicet, eo quod non minus ſit *Verbum* DEI ac Scriptura; non enim littera ſcripta *Verbo divino* quoddam authoritatis pondus adjicere poteſt, quoniam ſola loquentis authoritas verbo ſeu *ſcripto* ſeu *tradito* ſuum dat robur, neque motivum credendi littera ſcripta, ſed eadem revelantis authoritas eſſe debet; quare ipſa Eccleſia in definiendis fidei dogmatibus æque, ac in ſtatuendis morum ac diſciplinæ regulis Traditionem non minus, quam Scripturam tanquam regulam fidei, ac Cynoſuram reſpexit, eaque ancillante, & quaſi obſtetricante haud pauca fidei dogmata in ſcripturis vix, aut ne vix quidem obſcure contenta (a), aut certe non in proprio termino expreſſa nobis credenda propoſuit (b). In hujus ergo diſcuſſione quoad ea potiſſimum, quæ neceſſitatem, & infallibilitatem illius ac regulam diſcernendi ab invicem

(a) E. g. Valor Baptiſmi ab hæreticis collatus. Plura de hoc infra.

(b) E. g. Myſterium Trinitatis ſeu unitas & diſtinctio perſonarum, conſubſtantialitas Filii, transſubſtantiatio in Sacramento Eychariſtiæ.

cem Traditiones attinent, tanto majori cum fervore induſtria Doctorum Catholicorum ſudare deberet, quanto majoris momenti res eſt divinitatem Traditionis contra Heterodoxos vindicare, eamque magis magisque ſtabilire.

§. II.

Ajunt, Traditionem ſumi poſſe tripliciter, *latiſſime* pro doctrina quacunque ſive ſcripta, ſive non ſcripta ab uno alteri communicata (c). *Late* pro doctrina viva voce per majores ad poſteros ſucceſſive tradita in materia tam ſacra quam profana (d). Stricte denique pro doctrina viva voce, quaſi de aure ad aurem tradita, fidem vel mores vel diſciplinam Eccleſiaſticam concernente. Accuratiorem ſimul & fuſiorem Traditionis definitionem demus. Eſt igitur apud nos Catholicos Traditio nihil aliud, quam *doctrina vivæ vocis oraculo a Chriſto vel Apoſtolis, vel etiam ex inſtitutione ſeu Apoſtolorum ſeu Eccleſiæ accepta, continua ſuſceptione in poſteros derivata, & continua obſervantia firmata, licet in ſcripturis conſignata non ſit, ſed in aliis fide dignis monumentis.* Prolixior eſt hæc noſtra definitio, quam aliorum, ſed non immerito: Talem enim Traditionis definitionem dare voluimus, quæ exhauriret totam Traditionis eſſentiam, omnesque illius ſpecies contineret, quod an conſequamur, vel conſequantur alii, juſtus rerum arbiter judicet. Singula fient manifeſta ex dicendis. Inde fluit primo Traditionem convenire cum ſcriptura & ab ea diſconvenire. Conveniunt in eo, quod utraque (loquimur de divina) ſit ejusdem authoritatis. Diſconveniunt in illo, quod ſcriptura ſit inſpirata, Spiritu S. dictante & movente, vel ſaltem aſſiſtente litteris ſpecialiter ad illius conſervationem deputatis conſignata, econtra Traditio vivæ vocis oraculo ſuſcepta, & ulterius de ore ad os communicata, & ſucceſſive vel litteris mandata vel omnino per continuum uſum, obſervantiam ad nos usque conſervata, & propagata. Fluit ſecundo duos eſſe velut cuſtodes & depoſitarios *Traditionis*, nempe tum antiqua SS. PP. aliorumque ſcriptorum monumenta, tum continuam Eccleſiæ conſuetudinem

Traditio ſumitur latiſſime late & ſtricte.

Genuina definitio Traditionis.

Conveniunt & diſconveniunt Scriptura & Traditio.

Duo ſunt cuſtodes traditionis.

(c) Petrus Annatus in Apparat. lib. 3. de tradit. art. 1. Cujus exemplum dat in lege antiqua Moyſi tradita, a Moyſe deinde Joſue, & ab hoc ulterius communicata.

(d) Ad hanc pertinent ea omnia, quæ viva voce per majores ſucceſſive ſunt tradita.

Digitized by Google

nem & obſervantiam, id quod haud pauci Teologi (e) appoſite animadvertunt, qui ſua dogmata ex Traditione demonſtrare volentes duplici *Traditionis* argumento utuntur, uno, quod vocant *diſcuſſionis*, & altero, quod nominant *præſcriptionis*: illud ex SS. PP. Apoſtolorum tempori coævis aut ſaltem proximioribus (f) utpote quos Eccleſia tanquam Traditionis purioris *depoſitarios* ſemper ſuſpexit, iſtud ex continua & nunquam interrupta Eccleſiæ conſuetudine, ac obſervantia petere conſueverunt, quorſum pertinet regula a S. Auguſtino tradita: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime credimus* (g). Fluit tertio, quodnam inter *Traditionem*, *conſuetudinem mores* & *obſervantiam*, etſi apud antiquos Scriptores iſta paſſim confundi legamus, ſtatuendum ſit diſcrimen, in quo ſtatuendo pleroſque Scriptores, illos ſaltem, quos nobis inſpicere licuit, non ſat accurate diſcurrere exiſtimamus. Ajunt communius, id intercedere diſcriminis inter *conſuetudinem* & *Traditionem*, quod *conſuetudo jus* faciat, econtra Traditio *Jus conſtitutum* ſupponat (h). Verum noſtra opinione hæc differentia ſat tuto pede vix poteſt conſiſtere; nam vel accipimus Traditionem *in fieri* (liceat rei melius explicandæ cauſa hoc modo philoſophari) vel *in facto* eſſe? in *fieri* æque Traditio ac conſuetudo facit *Jus*, in *facto eſſe* utraque ſupponit *Jus conſtitutum.* Id ergo differentiæ ſtatuendum eſſe videtur, quod Traditio *expreſſo* Chriſti, Apoſtolorum, vel Eccleſiæ conſenſui ac inſtitutioni; conſuetudo vero diuturnis fidelium moribus tacito vel præſumpto Eccleſiæ conſenſu approbatis innitatur. Inter *Traditionem* & *conſuetudinem* mediant *antiqui mores*, quorum natura & differentia ex eorum deſcriptione eluceſcet. Per *mores* igitur intelligitur nihil aliud, quam *conſuetudines quædam improprie tales citra ullam obligationem ex devotione, pietate vel decoro libere in Eccleſia aſſumptæ vel inſtitutæ, atque uſu continuo confirmatæ*, vel dic, quod ſint *inſtitutio*, *vel etiam libera*

Diſcrimen inter traditionem conſuetudinem obſervantiam & mores.

Quid ſint Mores?

(e) Caſpar Juenin Inſtitut. Theolog. Part. 2. Diſſert. 1. cap. 3. Ubi diſtinctionem perſonarum utroque argumento demonſtrat.

(f) Hi enim doctrinas Chriſti & Apoſtolorum omnium optime ſcire potuere. Alii viri ſancti longius a tempore Apoſtolorum diſtantes, eſto doctrina & ſanctitate emineant, proprie non dicuntur *Patres.*

(g) Lib. 5. de Bapt. cap. 24. De argumento Præſcript. agit Tertullianus in libel. de præſcript. Quem nuperrime doctiſſimis notis illuſtravit. Clariſſ. D. P. Corbinianus Thomas Univerſ. noſtræ Procancellarius.

(h) Vid. Clariſſimus P. Engl, & Böckhn ad tit. de Conſuet.

Google

libera aſſumptio eorum, quæ ex ſola devotione, pietate vel propter decorum obſervari decet, & ut plurimum continuato quaſi uſu obſervata ſunt. Ad *mores* pertinent e. g. obſervantia quorumdam feſtorum, mos formandæ Crucis, ſumendi aquam luſtralem, item honos ille jam antiquitus ex decoro principalioribus quibusdam Eccleſiis per Apoſtolos inſtitutis habitus, de quibus Synodus Nicæna ſtatuit, ut *antiqui mores ſerventur* (i). Denique ab his omnibus diſtinguimus *obſervantiam*, quæ ſicut uſu eſt frequentiſſima, ita maximi roboris non tantum in Jure Canonico, ſed etiam in Jure Publico: ſic e. g. ad obſervantiam Imperii (Reichs-Herkommen) referunt, quod Imperator debeat eſſe *Germanus &c.* eam recte deſcripſeris, quod ſit *continuatus uſus illius, quod lege, conſuetudine, vel moribus introductum eſt:* vel, ut aliis loqui placet, *modus operandi conformis legi, conſuetudini, vel moribus.* Inde facile colliges eſſentiale diſcrimen inter *traditionem* & *conſuetudinem*, atque *obſervantiam* in eo conſiſtens, quod æque *traditio*, ac *conſuetudo jus novum* faciat, *obſervantia* illud *conſtitutum* ſupponat, eo ferme modo, quo Scriptura legem ſcriptam. Item quod obſervantia latius pateat, & inveniat locum non tantum in legibus, verum etiam in contractibus, aliisque negotiis, ita ut ſit velut ipſum exercitium legis, conſuetudinis, & morum, licet, ut jam ſupra monuimus, conſuetudo, traditio & obſervantia paſſim apud antiquos PP. & Scriptores confundantur.

Quid obſervantia?

§. III.

Variæ ſunt diviſiones Traditionis. Dividunt eam primo in *Divinam, Divino-Apoſtolicam,* & *mere Apoſtolicam.* Secundo in traditionem *fidei, morum,* & *diſciplinæ.* Tertio in *univerſalem*, & *particularem.* Quarto in *perpetuam* & *temporaneam.* Quinto in *liberam* & *neceſſariam:* quæ omnes diviſiones vix non ex ipſis terminis patent, etſi circa unam alteramve poſſet moveri difficultas, an revera mereatur traditionibus annumerari (k).

Diviſiones traditionis variæ.

Aliam diviſionem affert Author Princip. (l), dum aliam dicit *inhæſivam*, aliam *declarativam*, & aliam *mere oralem.* *Inhæſiva* ex mente illius eſt, quæ id ipſum tradit, quod clare ſcriptum eſt (m). *Declarativa* clarius explanat, quod Sacra Scriptura breviter, aut minus clare-

Triplicem traditionis ſpeciem ſtatuit Author Princip.

(i) Can. 6.

(k) E. g. Traditio libera potius ad mores videtur reducenda.

(l) Cap. II. de Tradit. §. VII.

(m) E. g. Traditio de reſurrectione Chriſti.

Digitized by Google

re docet (n). *Mere oralis* tradit id, quod nullo modo, nec explicite, nec implicite in Scriptura eſt contentum. Suſtineri poteſt hæc diviſio, quæ ſuis non caret commodis, ſuſtinet tamen ſuas criſes, ut mox patebit. Dari Traditiones, quas Author Princip. vocat *inhæſivas* nemo dubitaverit: num vero mereantur dici *Traditiones* prout *Traditiones* dicunt *Verbum DEI* contradiſtinctum a *Verbo DEI ſcripto*, altioris indaginis quæſtio eſt? Id quod jure optimo negaveris: qua enim arte traditionem *inhæſivam* a Scriptura diſtinxeris? videtur profecto hæc diviſio Scripturam manifeſte cum traditione confundere, & nec ipſi Heterodoxi utut alias a doctrina Catholicorum de traditionibus alieniſſimi hanc doctrinam negant id ſolum negantes, quod talis traditio a Scriptura diſtinguatur (o). Dein ſuperflua eſt hæc traditio, neque ullum præbet uſum, niſi ſupponamus hypotheſin in moderna Providentia vix poſſibilem, quod tota Scriptura pereat: tunc enim veritates in Script. clare revelatæ adhuc, ſicut diſcurrit cit. author (p), ex traditione ſcirentur. Traditionem econtra *declarativam* eſſe traditionem propriiſſimam ac Eccleſiæ ſumme neceſſariam inconcuſſa apud Catholicos doctrina eſt, quam Eccleſia in definiendis fidei dogmatibus toties conſulere conſuevit, & debuit, quoties doctrinam fidei ex Scriptura non ſat clara definire voluit. Atque hæc eſt, quam heterodoxi tantopere execrantur, aut ſaltem nomen Traditionis mereri pernegant: cum declaratio, ut ajunt, ſit ipſiſſima Scriptura uberius propoſita, traditio vero ſit pars velut oppoſita Scripturæ (q). Quaſi vero interpretatio legis non ſit diſtincta a lege, quam interpretatur. Num diverſiſſimæ, ſibique invicem contrariantes expoſitiones, ac ideæ, quas ſibi in ſuo intellectu de genuino ſenſu Scripturæ cudunt heterodoxi, ſunt ipſa Scriptura & Verbum Dei ſcriptum? Ajunt quidem Script. per ſe eſſe claram, eſſe ipſam lucem, ipſam veritatem intellectui perviam, & ex ſuis qualitatibus ſibi naturalibus ac ingenitis intellectu facillimam; ſed quo argumento id convincenter monſtrabunt? Profecto tot diverſiſſimæ ex male intellectis Scripturis exortæ hæreſes, tot diſcordantes inter ſe interpretationes

Animadverſiones in doctrinam Authoris.

(n) Talis eſt Traditio de reali præſentia Chriſti: quia explicat textum: *hoc eſt corpus meum.* Item de baptizandis parvulis &c. vid. cit.

(o) Vid. Samuel Basnage in Annal. Polit. Tom. II. Diſſert. 9. ubi expreſſe tuetur ne quidem declarationem Script. a Script. diſtingui.

(p) Cap. II. §. VII. dicens: e. g. Traditio de Reſurrectione Chriſti; ſi enim periret tota S. Script. ſciretur hæc veritas adhuc ex traditione.

(q) Basnage loc. cit.

Google

tiones apertiſſimo ſunt argumento, Scripturam non pollere ea claritate, quam ſibi fingunt Heterodoxi. Num dentur traditiones *mere orales dogmaticæ* (*diſciplinares* vix poterunt vocari in dubium) a Verbo DEI ſcripto prorſus ſeparatæ, & an ex his dogma quoddam *pragmaticum* (r) & *fundamentale* Religionis Catholicæ oſtendi valeat, §. ſeq. videbimus. Primum in dubium vocat Author. Princ. alterum omnino negat, num bene? videamus.

§. IV.

Utrum dentur Traditiones divinæ?

Ad principalem quæſtionem, in qua cardo rei vertitur, dilabimur, num dentur Traditiones *divinæ?* res nobis hic erit partim cum Heterodoxis exiſtentiam & neceſſitatem illarum negantibus, partim cum Authore Princip. in quo quaſdam deprehendimus doctrinas prima fronte male ſonantes in auribus Catholicorum, & difficulter cum dogmate Cathol. combinabiles. Cum hoc §. ſeq. cum illis hic manus conferamus, quos in ſuis principiis omnino non eſſe concordes comperio: nam eorum aliqui nulli ſibi ſcrupulo ducunt traditiones admittere (s). Alii econtra ſolam Script. tanquam regulam fidei ac morum abſolutiſſimam rejectis Traditionibus divinis velut inutilibus, Deum dedecentibus, quin & Providentiæ divinæ, & Apoſtolorum authoritati præjudicioſis agnoſcunt (t). Hos inter mediant alii, qui ſe non adeo traditioni inimicos oſtendunt, illius authoritati ſubſcribere paratiſſimi, ſi modo talis traditio ex regulis accuratioris Criterii intellectum convincentibus monſtrari valeat. Talia cum apud quosdam legeret Author Princip. quæſtionem de exiſtentia traditionis velut quæſtionem *meri facti* habet (u).

Ex heterodoxis igitur duos ſeligamus Viros omnigena eruditione conſpicuos Basnagium & Boehmerum, quorum ille integra differt. Traditiones divinas expugnare conatur (x): Iſte vero de origine Traditionis Divinæ & Apoſtolicæ mirabilia prorſus tradit (y), de quibus §. ſeq.

(r) Author. Princip. loc. cit. §. X. & XI.

(s) Uti Hugo Grotius, qui in voto pro Pace Eccleſ. contra Rivetum ſic ait: jam vero non omnia, quæ ſic dixere Apoſtoli, fuiſſe perſcripta teſtatur ipſe Paulus, cum obedire vult iis, quæ docuerat ſive per epiſtolam, ſive per ſermonem: & in epiſtolam ſecundam ad Theſſal. c. 2. dicit: duobus modis docebant Apoſtoli, loquendo, & ſcribendo.

(t) Basnage cit. differt. (u) Cap. II. §. II. (x) Differt. 9.

(y) Pariter Differt. 9. de veteri Eccleſ. ſtatu §. 14. & ſeq.

Digitized by Google

Argumenta contra Traditionem ex Basnagio afferuntur. ſeq. Hic agemus unice cum Basnagio. Argumenta, in quibus hic author puppim, proramque ſuæ opinionis conſtituit, commode ad quatuor reduci poſſunt. Primo integram fidei & pietatis normam in ſolis Scripturis conſtituit. Secundo tutius longe & utilius eſſe Religioni docet, eidem dare regulam ſcripto conſignatam, Deumque revera voluiſſe dogmata fidei unice literis commendare. Tertio traditionem eſſe periculoſam Religioni, & Veritati: & quarto nullam idoneam regulam, quæ traditiones veras a falſis ſecernat, poſſe excogitari aſſerit. Argumentum primum quoad ſubſtantiam (conabimur, ne humiliori noſtro dicendi ſtylo vim argumentorum ſuperbo dicendi genere, quo hic author utitur, multum ſublimatam vel in minimo diminuamus) ſic inſtruit: Summæ Scripturarum perfectioni multum derogat authoritas Traditionum, cui tamen ipſa Script. infallibili ſuo ſuffragatur teſtimonio: Nunquid enim ipſe Chriſtus Judæos ad *ſcrutandas Scripturas* (z) velut normam abſolutiſſimam, & nullo modo ad traditiones tanquam fontes putidos ablegavit? Scripturæ applaudit Paulus ad Timoth. 3. *a puero S. Literas noſti, quæ te poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem.* Nunquid loquitur Apoſtolus de ſapientia conſummata? ſecus alium adhuc ſapientiæ fontem indigitaſſet. Ad quid ergo alio fonte opus eſt, e quo ſapientiam hauriamus? quaſi vero Script. in ſe non contineat plenitudinem ſapientiæ, quam in ea ſemper ſuſpexere PP. Irenæus, Tertull. Cyprianus &c. Profecto ſi tota Script. in ſe non contineat pleniſſimam fidei, morumque regulam, incuriæ, ac negligentiæ intolerabilis Apoſtoli accuſari debent, qui ea, quæ ſunt minoris momenti, & ſive ad fidem ſive ad mores parum vel nihil conducunt, pluries repetunt, & accuratiſſime deſcribunt (a): & econtra, quæ ſummi habenda ſunt momenti, nempe regulas fidei, & morum turpiſſimo ſilentio præteriere. Neque ſeu ad *Authentiam* ſcripturæ demonſtrandam ſeu ad explorandum ſenſum genuinum ad Traditionem velut teſtem ac interpretem confugere neceſſum eſt; ipſa ſcriptura lux eſt a tenebris diviſa, veritas eſt a falſo diſtincta, ſapientia eſt ſtultitiæ oppoſita, *certus eſt hic ſermo*, ait Apoſtolus, *& dignus qui recipiatur.* Illa doctrinæ conſpiratio, illa Evangeliorum & Epiſtolarum ſanctitas, illa myſteriorum ſublimitas &c. argumento & judicio ſunt certiſſimo, ſcripturam eſſe opus non hominis

(z) *Scrutamini Scripturas.* Joan. 5.

(a) *Multa,* inquit, *in Nov. Teſtamento leguntur, ex quibus ad ſalutem nil emolumenti redit. e. g. Phariſæos, Judæosque, niſi prius laverint manus, non edere &c.*

Google

hominis ſed DEI. Demum inſitas veritatis notas ſcripturæ ineſſe PP. ipſi teſtantur. Audiamus alterum argumentum: profecto tutius ſimul ac utilius eſſe, ſi ſcripto mandentur fidei dogmata, & rei experientia, & infirmitas memoriæ teſtatum facit: verba enim volant; ſed ſcripta manent. Itaque ignorantur multa, quæ ſcripturam ab oblivione vindicaſſent. Neſcimus e. g. ubi, quando, & qua ratione B. V. Apoſtolique mortem obierint, quia nullis ſcriptis monumentis proditum eſt. Dein ad dogmata fidei ſcripto mandanda promiſcuus calamus non erat idoneus: ſacro opus erat. Viris igitur, quos ſuo Numine ageret Spiritus, ſcribendorum Religionis dogmatum provincia mandari debuit, ne errores ingenii humani manarent in fidei regulam. Sic certior ingenerabatur fides, ſic pietatis doctrina ſarta tectaque conſervabatur tum ab oblivionis, tum a corruptionis injuria. Accedit quod ſcriptio, quæ fit impellente Deo, ſit pecculiaris dogmatis commendatio: arguit enim maximam providentiæ curam, utpote quæ non revelari modo, ſed etiam chartis illud credi voluit, ne efflueret. Præterea, nunquid Numen ipſum Religionis dogmata in antiqua lege ſcribere & ſcribi voluit? Aures præbeamus argumento tertio, quo ex Traditionibus perniciem afferri veritati ac pietati falſius an audacius, neſcio, aſſerit: an non phariſæi meliorem Eccleſiæ partem conſtituebant, & hi ipſi nunquid ſuis Traditionibus irritum faciebant mandatum DEI? Sæculi Apoſtolici Viros illuſtres Traditionis captos decipulo in errorem delapſos fuiſſe uti Papiam, Tertullianum, Cyprianum quis ignorat? Jam acrius inſtaurat argumentum quartum, & a nobis petit *Judicem*, qui eximendo de Traditionibus ſcrupulo ſit idoneus, & accuratum veræ Traditionis a falſa ſecernendæ *Criterium*. Si ipſi tanquam Judicem offeras Eccleſiam, & conſenſum antiquioris potiſſimum Eccleſiæ, id eſſe abſurdiſſimum regerit. Ad quid enim, inquit, veteris Eccleſiæ conſenſus obtruditur, ſi genuinus Traditionis ſenſus ſit penes præſentem Eccleſiam, ſi præſens Eccleſia authoritate judicandi a Deo ſit prædita? Hujus ergo ſolius vox audiatur, nec inani labore in ſcrutandis antiquis librorum & Conciliorum monumentis nos fatigemus. Ad hæc quænam illa Eccleſia infallibilis? num Romana? ſed quare hæc ſola? & ſi hæc ſola eſt cuſtos veritatis, quomodo Firmilianus cum cæteris Africæ Epiſcopis ad Concilium Carthaginenſe confluentibus, ſibi perſuadere potuit, Eccleſiam Romanam a veritatis tramite deflexiſſe, vel ſtatuere dogma doctrinæ Eccleſiæ Romanæ contrarium (b)? Si pro Criterio jactes regulam

(b) *Eos autem*, inquit, Firmilianus a Basnag. citatus, *qui Romæ ſunt, non ea in*

Digitized by Google

gulam Vincentii Lirin. & S. Auguſtini, id eſſe genuinæ Traditionis volentium, *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt* (c), opponit, te ipſum feriri hac regula: cum potius in doctrina Catholicorum antiqua monumenta ex authoritate præſentis Eccleſiæ ſint definienda. Pergit: demus unanimem conſenſum, quem tamen obtinere vix eſt poſſibile, necdum conſtat, num illa conſpiratio ſit veritatis, aut falſitatis. Dein poterunt Catholici hâc Vincentiana moveri regula, alii e. g. Judæi & Gentiles non poterunt, utpote qui eam non agnoſcunt. Præterea demus hodiernæ Eccleſiæ hanc regulam, ſaltem naſcentem Eccleſiam hæc norma defecit: neque enim ea permoti ſunt vel Judæi illi, qui Petro de Chriſti morte & reſurrectione dicenti aſſenſum præbuere, vel Antiochenſes, quibus ignoti, obſcurique homines de ignoto DEO pietatis notitiam inſtillavere. Denique regulæ hujus uſus eſt difficillimus, & ſupra vires non modo plebis, ſed omnium fere Doctorum. Quis enim herculeum illum laborem in ſe ſuſcipere poteſt, ut de iis, quæ *ubique*, quæ *ſemper*, & quæ *ab omnibus* credita ſunt, inquirere valeat? quanta linguarum peritia, quanta diligentia in legendo, quantum acuminis in intelligendo ad hunc conſenſum explorandum non erit opus? ſubjungit exempla, quibus probare conatur, & antiquitatem non raro falſitati fuiſſe patrocinatam, & illud Vincentianum axioma ad ſummum concludere *negative*, non affirmative: valet nempe, ſi ſic concludas: *iſtud nunquam creditum fuit in Eccleſia: ergo neque nunc credi debet:* non autem, ſi hoc modo: *hoc ſemper fuit creditum: ergo & nunc credendum eſt.* Hæc ſine dubio ſpecioſe & ſuperbe dicta ſunt.

Refelluntur argumenta Basnagii. Verum audiatur & altera pars, & tunc ſtatuatur, quænam doctrina firmiori ſuſtentetur argumentorum pondere. Veritas non conſiſtit in ſuperbo verborum luſu, ſed in virtute rationum. Et quidem ſi robore experientiæ & authoritatis dimicandum ſit, victas profecto manus dare Catholicis coguntur. Nunquid enim Traditiones fuere ſemper, & quidem neceſſario in lege *naturæ*, in lege *antiqua* & *nova*? Fuere in lege naturæ Patriarchæ, aliique cultores veri Dei Adam, Abel, Seth, Noë, Abraham, Iſaac, Jacob habentes fidem ſupernaturalem, & plura dogmata credenda e. g. de mundo creato, de futuro Meſſiæ adventu, de remedio pro peccato originali tollendo, de altera poſt præſentem vita:

in omnibus obſervare, quæ ſint ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum authoritatem prætendere &c. dogma ab ipſis ſtatutum & contrarium in eo conſiſtebat, quod Baptiſma ab hæreticis collatum irritum dixerint.

(c) In commonit. & S. Auguſt. loc. ſupra cit.

vita: unde ergo hi omnes habuerunt modum colendi Deum, ritus Sacrificiorum, aliaque fidei ſuæ dogmata? non a lege ſcripta, quæ tunc temporis non exſtabat: ergo a Traditione. De Traditonibus Judæorum vid. Auth. paſſim (d). Nunquid ipſi Heterodoxi admittunt Eccleſiam in primis tribus Sæculis fuiſſe directam conſuetudinibus & obſervantiis magis, quam lege aliqua ſcripta (e)? Quod ſi Eccleſia potuit per Traditiones regi in ſua diſciplina, cur non in diſciplina fidei, ac morum? Quid de uſu Conciliorum ex Traditione ſua dogmata ſtabilientium, de authoritate Patrum unanimiter in doctrina de Traditionibus conſpirantium dicamus, quos paſſim legendos exhibent noſtrates Theologi (f). Afferant Heterodoxi, ſi poſſint, tantam authoritatem, quantam afferunt Catholici, & ipſorum opinioni ſine contradictione aſſurgemus. Triplicem autem Traditionis admittendæ neceſſitatem Catholici ſtatuunt, eamque tanquam neceſſariam defendunt primo ad *Authentiam* ſcripturæ, & genuinum illius *Canonem* demonſtrandum: Secundo ad explanandum dubium & obſcurum ſenſum ſcripturæ: ac tertio ad quædam fidei dogmata declaranda. Quantum ad primum remittimus lectorem ad Cap. I. §. II. ubi oſtendimus characteres illos, quibus ſe ſcriptura velut genuinam prodit, ad ſummum facere certitudinem moralem. Et quare adhuc hodie litigatur circa *Canonem* genuinum ſcripturæ, niſi quia Heterodoxi Traditionem, cui innititur judicium Eccleſiæ, non attendunt, non intelligunt vel præoccupati falſis præjudiciis intelligere nolunt. Quantum ad ſecundum ſeu *ſenſum* ſcripturæ: ſi tam clara eſt ſcriptura, cur ipſi in ſuis doctrinis non conveniunt? Nunquid omnes pene hæreſes ex non bene intellectis ſcripturis ortum ſuum traxere, & pro ſe ſcripturam allegarunt (g)? Quin & diabolum citaſſe ſcripturam ſcriptura teſtatur (h). Quoad *dogmata* fidei, triplicis generis *dogmata* diſtinquamus, quorum aliqua *clare*, alia *obſcure*, alia *vix aut ne vix* in ſcript. revelata legimus. Demus ad dogmata aliunde *clara* demonſtranda ſupervacaneum eſſe provocare ad Tradi-

(d) Vid. Annatus l. 3. de Tradit, Art. 4.

(e) Boehmer. ad Tit. de conſuet.

(f) Vid. Magnif. Bertholdus Vogl Sect. III. C. I. §. V. Pouget in Inſtit. Cathol. de Tradit.

(g) Vide dicta Cap. II. §. VIII. Ubi notabilem textum ex Vincentio Lirin. adduximus.

(h) Quando Chriſto præcipitium ſuggeſſit citans illud Pſal. 99. *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te*, ſicut legitur Matth. 4. v. 6.

Traditionem tanquam genuinam ſcripturæ Interpretem, qua arte dogmata ſecundi & tertii generis in ſecuro ponemus, & negantes de eorum infallibilitate convincemus, ſi traditionem divinam e medio tollamus? Duplici reſponſo nobis obviari haud ignoramus, uno, quo talia dogmata dari perfricta fronte negant AA. altero, quo aliam viam, qua ſingula dogmata in tuto collocari valeant, oſtendunt, quæ alia non eſt, quam via prudentis *Criterii* teſtimonio prudentum virorum, eruditioni hiſtoricæ, & peritiæ linguarum innixa, pro quorum majori intelligentia duas quæſtiones breviter expediamus. Primo num omnes articuli fidei ſint clare expreſſi? ſecundo num illud Criterium tantopere celebratum ſit via expeditiſſima ad ſenſum ſcripturæ genuinum explorandum, & dogmata fidei declaranda? Hiſce poſſemus addere tertiam, quærendo, num dentur dogmata fidei & quidem *fundamentalia*, quæ ſoli Traditioni mere *orali* innituntur, quam tamen ſtudioſe infra examinabimus, ubi doctrinas Authoris Princip. ad incudem vocabimus.

Quædam quæſtiones incidentes expediuntur.

Quantum ad primum, ſi revera articuli fidei omnes in ſcript. clare expreſſi: neſcio, quo fato fieri potuerit, ut integræ Nationes, & Regna in quamplurimis fidei articulis per plura Sæcula non convenerint, & hodiedum non conveniant (i). Aut quæ cæcitas mentes obfuſcaverit, ut Viri eruditione omnigena ſpectatiſſimi, in indaganda veritate ſolertiſſimi, in quos nulla ſiniſtra animi præjudiciis præoccupati, aut obſtinatione excæcati ſuſpicio cadere poteſt, poſt adhibitum omnem laborem difficultatem ſummam in explanando ſcript. ſenſu repererint, & non viderint ea, quæ hodie vident Heterodoxi, dubietate potius ex difficillima textuum & rationum confligentium ambiguitate, quam obſtinatione & præjudiciis reſultante: eoquod unanimis orbis Catholici conſenſus ſæculis tam antecedentibus, quam ſubſequentibus nunquam obſtinationem illorum redarguerit? An non dantur varia dogmata, quorum veritas non niſi ex difficillima textuum combinatione, operoſiori conſecutionum deductione, graviſſimarum difficultatum ſolutione, accuratiſſima eruditione hiſtorica ſtabiliri potuit? quæſo quis unquam PP. Doctorum, & Scriptorum fuit, qui nihil unquam difficultatis in eruendis diverſis fidei dogmatibus ſenſit? aut cui unquam ſemper præſto fuit lumen luce quaſi meridiana clarius, quo prælucente omnes intellectus tenebræ diſſipatæ ſunt, & lux Evangelica inſtar lucis

(i) Sunt quamplurima dogmata, in quibus Heterodoxi hodie nobiſcum non conveniunt e. g. dogma de præſentia Chriſti in Euchariſtia, de cultu SS. & utraque pars ſe fundat in Script.

cis meridianæ oculis quaſi ſponte ſe obtruſit. Pro! quantum ſudoris non ſudarunt viri profundiſſimi ingenii, ut textus cum textibus colliſos combinarent, difficultates enodarent, & doctrinam fidei in tuto collocarent. Sed nec deſunt exempla veritatum fidei nec *obſcure* in Script. præcontentarum. Ubinam vel litera, vel jota ſcripta legitur de *Canone*, de *Authentia* Script.? Qua ratione per regulas veræ conſequentiæ aut legitimæ interpretationis ex Script. demonſtrabis, dari quatuor, & non plura *Evangelia*, Evangelia Marci & Lucæ eſſe vera, Thomæ & Bartholomæi falſa, epiſtolam Pauli ad Romanos eſſe genuinam, ad Laodicenſes eſſe ſpuriam? Ubinam ſcriptum legitur, quod nec Petrus, nec Paulus falli potuerit in regulis fidei ac morum a ſe traditis? Utrum jam illud *Criterium* tantopere jactatum & celebratum intellectui noſtro dogmata fidei tanquam certa ac infallibilia applicare valeat, paucis diſpiciendum.

Nam ut *Criterium* iſtud litem dirimat, ſcripturam dubiam nobis applicet, atque ad aſſenſum imperturbatum moveat, ipſum debet eſſe certum certitudine tanta, quanta ad aſſenſum fidei requiritur. Undenam autem habet hanc certitudinem, niſi infallibili quodam ac ſublimiori ſubſidio, quod aliud non eſt, quam traditio unanimi conſenſu & authoritate tam Patrum, quam ipſius Eccleſiæ ſuſtentata, ſuffulciatur? Res mira, quod AA. ſuo *Criterio* fallibilibus principiis ſubnixo majorem fidem adhibeant, quam conſenſui Patrum & Eccleſiæ. Ex his jam primæ difficultati a Baſnagio objectæ abunde obviatum eſſe exiſtimamus. Secundæ difficultati tanto facilius ſatisfit, quanto audacius ita arguentes ſeſe ingerere Providentiæ Divinæ, ac Diphteram Jovis inſpicere præſumunt, atque ex ſuo imperfecto, innumerisque erroribus obnoxio cognoſcendi modo, quid utilius, quid dignius Eccleſiæ foret, menſurare volunt. Profecto ſi paſſus Divinæ Providentiæ ex noſtro cognoſcendi modo metiri velimus, videri poſſet, quod Eccleſiæ melius proviſum fuiſſet, ſi Dominus DEUS Regnum ſuum methodico quodam Scripturarum monumento ſtabiliviſſet, atque ad præcludenda omnia prorſus hæreticorum effugia ex obſcuritate textuum orta ſingula fidei dogmata in *propriis terminis* revelaſſet. Cur ergo non revelavit in propriis terminis *conſubſtantialitatem Filii*, *Trinitatem Perſonarum*, *Proceſſionem Spiritus Sancti*, *Unitatem Perſonæ in Chriſto*, *realem vel figuralem præſentiam Chriſti in Euchariſtia?* Demus multa ex defectu ſcriptorum monumentorum nos latere, quid tum? ita placuit Providentiæ Divinæ juxta fines altiſſimos ſibi ab æterno præſtitutos ad extra operanti. Demus providentiſſimum Numen legem ſuam ſcripſiſſe

De Criterio.

ſe in tabulis lapideis, atque quam plurimas fidei ac morum regulas voluiſſe ſcribi in chartis, num ergo omnia ſcribi voluit, &, ut ſcriberentur, decuit? *Quis ſenſum illius novit, aut quis conſiliarius illius fuit* (k)? *Non poterant Apoſtoli portare omnia* (l). Voluit Chriſtus *ſervari traditiones* (m), ipſius Eccleſiæ authoritati conſuli, eamque continua Spiritus S. aſſiſtentia regi, & gubernari. Quoad tertium Chriſtus ipſe nova lege teſtatum reliquit, qui fuerint Doctores, vel potius pſeudo-Doctores Phariſæi, quomodo deturpaverint Scripturam, traditiones humanas pro divinis vendiderint, aut omnino novas finxerint. Traditiones gentilium erant infirmæ ratione principii, eo quod earum origo eſſet ex oraculis dæmonum. Traditiones Judaicæ habebant defectum in conteſſeratione teſtium, traditiones vero in diverſis Eccleſiis jam in primitiva Eccleſia vigentes non habuere notas characteriſticas veræ traditionis; non enim fuere *univerſales*, ſed particularium Eccleſiarum, non ignorabatur illarum *author*, non erant *perpetuæ* (n). Ipſas etiam ſcripturas ab hæreticis fuiſſe corruptas & cum apocryphis commixtas quis ignorat? an propterea rejiciendæ ſunt *veræ* præſeferentes genuinos characteres Verbi Divini?

Quis judex traditionum? Jam ſenſim ſine ſenſu ad Judicem traditionum, & regulam ſeu *criterium* diſcernendi falſas a genuinis dilabimur. Hunc Judicem eſſe Eccleſiam, cui DEUS toties ſuam aſſiſtentiam promiſit, in Cap. I. oſtendimus. *Duæ dantur regulæ diſcretivæ traditionum.* *Regulam* vero *diſcretivam* traditionum ab invicem, ad quam velut ad lapidem Lydium aurum traditionis genuinum a ſpurio ſeparari debeat, Authores non unam, ſed plures ponunt. Nobis duæ ſufficiunt: pro *prima*, quam ex Vincentio Lyrin. & S. Auguſtino (o) depromimus, ponimus *unanimem conſenſum atque uniformem praxin Eccleſiæ* in Sæc. 4. & 5. quin hujus praxeos ſciatur initium, aut illa ex particulari inſtitutione Eccleſiæ, vel Concilii derivari queat. Pro ſecunda *conteſſerationem teſtium ſeu conſenſum pene uniformem Patrum quinque primorum ſæculorum* ita concorditer (ſi loquamur de *dogmatibus ſpeculativis* (p) in dogmate conſpirantium, ut contrarium tanquam notorie hæreti-

(k) Rom. 11. v. 34. (l) Joan. 16. (m) 2. Theſſal. 2.

(n) E. g. Doctrina de millenario Regno Chriſti, de celebrando Paſchate, de Baptiſmo ab hæreticis collato.

(o) Vid. Textus ſupra cit.

(p) Aliud dogma fidei *ſpeculativum*, & aliud *practicum*, illud non eſt connexum cum praxi externa: tale dogma eſt dogma de Divinitate Filii, de Proceſſio-

Digitized by Google

hæreticum aut ſuppoſuerint, aut refutarint, vel ſaltem aliquorum Patrum *doctrinam quamdam practicam* tanquam notorie totius Eccleſiæ communem docentium, vel ſupponentium. Ratio primæ regulæ in eo fundatur, quod *uniformis hic conſenſus praxis & conſuetudo Eccleſiæ* eo potiſſimum tempore ſanctitate, ſancta ſimplicitate, ac pietate morum coruſcantis non potuerit non ſubliniori cuidam, uniformi, indefectibili, atque infallibili principio inniti, quod aliud eſſe non poterat quam authoritas divina, vel certe Apoſtolica. Ratio *ſecundæ regulæ* pene eſt eadem: qua enim ratione perceptibile eſt, quod viri undequaque ſanctitate, pietate, ac doctrina ſpectatiſſimi in unitatem doctrinæ mirabili prorſus nexu concentrarent, niſi communi quodam infallibilis authoritatis principio colligarentur, quod erat eadem authoritas DEI, vel Apoſtolorum. Diximus notantet: *Si loquamur de Dogmatibus ſpeculativis;* nam ſedulo diſtinguendum inter traditiones, quæ verſantur circa dogma pure *ſpeculativum*, quod non habet connexionem cum praxi externa, vel *practicum* connexum cum obſervantia & praxi Eccleſiæ. In dogmate *ſpeculativo* requirimus *conteſſerationem* teſtium ſeu *conſenſum unanimem* Patrum & Scriptorum, quia ſecus non haberemus certitudinem tantam, quanta ad traditionem ſeu *Divinam* ſeu *Apoſtolicam* requiritur, nempe certitudinem petitam ex univerſali teſtimonio omnium Eccleſiarum, cui nihil prudenter opponi poſſit: eccur enim teſtibus quibusdam, utut omni exceptione majoribus,* in dogmate fidei abſolutam adhibeamus fidem, niſi illorum infallibilitas, ad modum, quo Prophetarum & Evangeliſtarum S. Codices ſcribentium, ex aliis argumentis evidenter aliis ſit demonſtrata? Ad dogma *practicum* conjunctum cum univerſali Eccleſiarum obſervantia non requirimus teſtimonia ſcripta omnium locorum, & ſcriptorum; ſufficit nobis teſtimonium quorundam teſtium omni exceptione majorum, ſi modo teſtentur de *univerſalitate* doctrinæ, tum quod ſumma olim fuerit omnium Eccleſiarum communicatio in Conciliis, in Miſſionibus Apoſtolicis, in peregrinationibus, per litteras formatas &c. & eo ipſo de praxi & dogmate *practico* multum ſcribere Patres non duxerint eſſe neceſſarium, tum quod contra hos teſtes numero pauciores nulla poſſit fieri prudens exceptio; quis enim ſibi perſuadeat, quod hi viri inſpectante tota Eccleſia praxin aliquam *communem* jactare, Eccleſiæ obtrudere, illique illudere

Dantur dogmata fidei ſpeculativa & practica.

Proceſſione Spiritus S. iſtud econtra eſt connexum e. g. dogma de neceſſitate Baptiſmi, de baptizandis infantibus, de neceſſitate bonorum operum.

dere, ſeque ipſos irriſioni, contemptui, ac periculo ſuæ impoſturæ detegendæ exponere auſi fuerint? Jactitarunt certe PP. *Africani* in cauſa Baptiſmi ab hæreticis collati iterum renovandi, & *Aſiatici* in cauſa celebrandi Paſchatis traditionem *ſuarum Eccleſiarum*, neutiquam univerſalis Eccleſiæ.

Eccleſia in definiendis dogmatibus adhibet omnem diligentiam humanam.

Ex his facile diluuntur cætera e Baſnagio oppoſita: & quidem, quando dicit, inaniter veterem Eccleſiæ conſenſum obtrudi, ſi genuinus traditionis ſenſus ſit penes Eccleſiam præſentem, manifeſte prodit, quod principia Catholicorum (dolenda res, quod heterodoxi ſibi ſolis ſapiant, & Catholicorum libros accuratius inſpicere non dignentur) debite non inſpexerit; quis enim unquam Catholicorum Eccleſiæ præſenti talem poteſtatem conceſſit, ut nude crude (verbis ſit venia) de traditione ferre teſtimonium valeat? habet Eccleſia ſibi promiſſam aſſiſtentiam Spiritus S. directricem, ſed attemperatam ſuæ cooperationi, ſi & ipſa, quæ ſui ſunt muneris, & ab ea fieri poſſunt, & debent, fecerit. Promittendo & dando ſuam aſſiſtentiam DEUS non diſpenſavit in mediis humanis adhibendis; unde conſuevit hactenus Eccleſia in faciendis ſuis deciſionibus *dogmaticis* ea quam accuratiſſime obſervare, quæ in negotiis ſummi momenti expediendis obſervari jubet ſana ratio ac prudentia: & hinc ſedulo ſolet inquirere in teſtes, eorumque qualitates, in teſtimonia & conſenſum teſtium, in praxin, conſuetudinem & obſervantiam Eccleſiarum: atque his demum omnibus adhibita morali diligentia diſcuſſis dirigente Spiritu S. contra, vel in favorem traditionis, ac dogmatis in ea præcontenti ultimato pronuntiat. De infallibilitate Eccleſiæ agere huc non pertinet. Exemplum Firmiliani, aliorumque Africæ Epiſcoporum parum Adverſario patrocinatur; nam, utrum Firmilianus & cæteri Eccleſiæ Africanæ Præſules limites juſti zeli non exceſſerint, adhuc hodiedum dubitare licet. Sunt ſine dubio, ultro concedimus AA., antiqua monumenta ex definitione Eccleſiæ definienda, ſed excuſſis prius tum illis ipſis monumentis, inquirendo, an non ſe ipſa ſignis quibusdam characteriſticis prodant, tum conſultis aliorum teſtimoniis, ut ex his illorum veritas vel falſitas detegatur. Unanimem conſenſum Patrum, nec non uniformem ac conſtantem Eccleſiæ praxin falſitatis arguere, quantæ non audaciæ res eſt? Verum eſt, quod ſoli Catholici hac regula utantur, ſed quid tum? anne propterea aliis eſſe uſui nequit, aut non debet? quare enim Heterodoxi ea non utuntur? Res eſt altioris indaginis: an non & ipſi heterodoxi hac ipſa regula longe ſecuriori ac certiori, quam eſt ipſorum, utpote fallibili, multisque erroribus obnoxio hominum *criterio*

Google

terio ſubnixa, uti debeant. Quando dicit AA. quod antiquam Eccleſiam hæc regula defecerit, atque in exemplum adducit Judæos, qui ſoli Petro de morte & reſurrectione Chriſti atteſtanti conſenſum præbuerunt; & Antiochenos, quibus ignoti homines pietatis notitiam inſtillavere, nos non ferit. Nam non adeo inſanimus nos Catholici, ut traditionem tanquam unicam fidei regulam vendamus. Adhibenda eſt fides ſcripturis, aliisque teſtibus omni exceptione majoribus doctrinas fidei ſeu in Verbo ſcripto ſeu tradito præcontentas atque ab Eccleſia ad credendum propoſitas nobis applicantibus: ſecus peſſime conſultum foret hominibus plebeiis & rudibus, doctrinas fidei ex ore ſuorum Paſtorum haurientibus. Quidni ergo Judæi & Gentiles fidem adhibere potuere atteſtationi Petri aliorumque Apoſtolorum? Ad hæc ponendæ ſunt circumſtantiæ *congruæ*, ſi quis velit uti argumento traditionis *antiquæ*, & ſedulo diſtinguendum inter traditiones *novas* & velut incipientes, & *antiquas*. Sine dubio Petrus & cæteri Apoſtoli non potuere provocare ad traditionem *antiquam*, illamque ex retroactis Sæculis, longæva Eccleſiæ obſervantia, & communi ſenſu antiquorum Patrum (quis non videat, hæc eſſe prorſus abſurdiſſima?) demonſtrare, cum ipſi fuerint primi ſatores traditionum ſeu doctrinarum vivæ vocis oraculo ſibi traditarum, atque adeo ad aliam regulam appellare non potuerint, quam ad ipſum *fontem originarium* ſeu Authorem traditionum, qui fuit Chriſtus. Longe aliæ nunc ſunt rerum circumſtantiæ, in quibus, dum traditionem jamjam antiquiſſimam demonſtrare contendimus, quorſum aut ſecurius, aut ſapientius appellemus, quam ad uniformem conſenſum teſtium omni exceptione majorum, ad univerſalem praxin, obſervantiam & conſuetudinem Eccleſiæ? dein primitivam Eccleſiam ipſa etiam Scriptura quam heterodoxi tanquam primariam & unicam fidei regulam ſuſpiciunt, defecit, dum Matthæus ſuum Evangelium ſcripſit: Ergone hodie Scriptura non eſt regula fidei? en, in quas ſyrtes hoc argumenti genus inducat.

Difficultatem in inveſtigando unanimi conſenſu Patrum negare non audemus, at vero hunc conſenſum inveſtigatu eſſe impoſſibilem hoc eſt, quod conſtanter negamus. An non antiquiſſima Patrum monumenta in hanc usque diem, ſine dubio ex ſingulari Numinis providentia, conſervata proſtant? anne tot Doctorum & Eccleſiæ Præſulum in conquirendis Patrum doctrinis aſſiduus labor eruendo illorum conſenſui ſit impar? num tanti moliminis res cuiquam hæc conquiſitio videatur, ut omnes ingenii & hominum vires excedat, & ne quidem dirigente atque Eccleſiæ ſemper aſſiſtente Spiritu S. obtineri valeat? pene

dixiſſem illud Criterium ad Genuinum Scripturæ ſenſum explorandum a parte adverſa requiſitum æque multis & magnis difficultatibus ſubjacere. Quotusquisque enim illo ſcientiarum apparatu, illa linguarum peritia, eruditione hiſtorica, & textuum conciliandorum dexteritate ad intelligendam Scripturam requiſito ita eſt inſtructus, ut omnibus difficultatibus ſuperandis par ſit? anne centum & ultra viri doctrina & ſanctitate conſpicui, & a lumine deſuper ſibi communicato directi tantum non valeant, quantum vir unus ſcientiarum ſuarum vanitate inflatus? De uniformi Eccleſiarum praxi & obſervantia eo facilius quondam conſtare poterat, quo major, imo ſumma Eccleſiarum per litteras formatas, per itinera, per miſſiones Apoſtolicas, per frequentatas ſynodos invicem communicantium fuit communio, quam Scriptores Eccleſiaſtici omnes miris efferunt laudum præconiis. Hiſce Virum eruditiſſimum Samuelem Baſnage miſſum facimus.

§. V.

Male Boehmerus traditiones refert ad hæreticos ſecundi ſæculi.

Ulterius progredi volentibus remoram injicit Boehmerus in Diſſert. IX. *de veteri Eccleſ. ſtatu generatim* §. XII. & ſeq. Ubi digito monſtrare volens originem Traditionum, & inde pullulantes Religionis Catholicæ errores prima Traditionis incunabula refert ad hæreticos ſecundi ſæculi; cum enim hi teſte Irenæo (q) *doctrinam Apoſtolicam non ſcriptam magis quam ſcriptam* jactitarent, & in ea primarium ſuum præſidium collocarent, nihil magis fidelibus curæ cordique fuit, quam ex hoc ipſo fundamento eos debellare. Inde factum eſt, ut Sæc. II. omni contentione de Traditionibus Apoſtolicis ſinceris & ſpuriis fuerit diſputatum. Ambæ partes ſuas tanquam ſinceras, atque ex doctrina Apoſtolica fluentes vendicabant. Jam Catholici, ut ſuam exceptionem contra Hæreticos probarent, prolapſi ſunt ad authoritatem Eccleſiarum ſeu cœtuum externorum fidelium, atque ab his ſinceritatem Traditionum Apoſtolicarum eſſe emendicandam aſſerebant. Utque huic ſuo argumento majus robur conciliarent, neceſſum eſſe putabant ipſis Eccleſiis ſingularem authoritatem adſcribere, ut illa, quæ per ſucceſſiones Presbyterorum ab ævo Apoſtolico traductas in Eccleſiis conſervata

(q) Lib. 3. adv. hæreſ. c. 2. ubi ſic habet: *Cum ex Script. arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum ſcripturarum, quaſi non recte habeant, neque ſint ex Authoritate, & quia varie ſint dictæ, & quia ex his non poſſit inveniri veritas, non enim per litteras traditam illam, ſed per vivam vocem &c.*

Digitized by Google

ta & tradita fuiſſent, demum fidem & vim veritatis haberent; quæ vero ab iis recederent, vana, falſa & mera figmenta eſſent. Inter cæteras vero Eccleſias maximi habebant Eccleſias *Apoſtolicas* ab ipſis Apoſtolis fundatas, & inter has præcipue *Romanam*, *Antiochenam*, & *Alexandrinam* propter *potentiorem principalitatem*, quas & *Matrices*, tanquam ex quibus diffluxere aliæ Eccleſiæ, appellabant, doctrinam Apoſtolicam longe purius & ſincerius in his conſervatam exiſtimantes. Inde factum eſt ulterius, pergit cit. Author, ut in quæſtionibus controverſis ad authoritatem Eccleſiarum Apoſtolicarum ubique provocaretur. Jam quidquid in his obſervari aut doceri cernebant, *doctrinæ* inſtar *Apoſtolicæ* habebant, atque inde univerſalem Eccleſiæ conſenſum audacter nimis inferebant. Cæterum, pergit cit. Author, lubricum hoc fuiſſe argumentum vel ex contentione de tempore Paſchatis Sæcul. II. mota apparuit. Provocabat utraque Eccleſia & Romana & Aſiatica ad Traditiones *Apoſtolicas*, & tamen Aſiatica cedere debuit, quamvis eodem jure ſe quoque eſſe *Apoſtolicam*, a Paulo & Joanne fundatam, & æque firmas habere origines opponere potuit. Hucusque quoad rem Boehmerus. Cætera quæ loc. cit. habet, quia a ſcopo noſtro ſunt aliena, non moramur.

Antiquitas traditionum.

Porro autem longe antiquiores ſunt Traditiones, quam Author iſte ſibi fingit. Traditionibus regebatur Eccleſia, antequam Evangeliſtæ ſua conſcripſere Evangelia. Traditionum mentionem iteratam Paulus facit in ſuis epiſtolis (r). Tranſmittamus, quod enatæ hæreſes inquirendæ Traditioni occaſionem præbuerint, num propterea antea non dabantur Traditiones Apoſtolicæ? hæretici neceſſitatem fecere quædam fidei dogmata in Scripturis obſcurius, aut certe non in terminis propriis expreſſa (s) clarius explicandi, & declarandi, an propterea illa dogmata (quis ita arguentem non erroris arguat?) antea non fuere dogmata in Scriptura præcontenta? Quod autem Eccleſia ad conciliandam ſuis Traditionibus majorem authoritatem ad Eccleſias Apoſtolico-Matrices confugerit, id ipſum non modo vitio ei verti non poteſt, ſed ſingularem illius providentiam ac ſapientiam ſupra modum commendat; nam quorſum confugere debuiſſet, aut undenam majorem Traditionibus ſuis authoritatem mutuare potuiſſet? ipſe Boehmerus fateri cogitur, illas Eccleſias *magnam præſumptionem veritatis & doctrinæ Apoſtolicæ*

Eccleſia recte provocavit ad Traditiones & Eccleſias Matrices.

(r) 1. Cor. 11. v. 13. & cap. 7. v. 10. Item 2. Theſſal. 2. v. 14. *Tenete Traditiones &c.*

(s) E. g. Conſubſtantialitatem Filii, Divinitatem Spiritus S.

Apoſtolicæ pro ſe habuiſſe, id unum in Eccleſia reprehendens, quod hæreticos ex harum authoritate confutare, & hoc fundamentum tanquam principale illis objicere voluerit (t), cujus tota vis huc redibat: *Quidquid docent Presbyteri Eccleſiarum, hoc unice verum; cætera omnia falſa.* Sed inanem prorſus hanc eſſe reprehenſionem, & inde profectam, quod AA. vim argumenti ab authoritate Eccleſiarum Apoſtolicarum deprompti nec intelligat, nec penetret, quis non videat? Non enim Eccleſia hæreticis ad *ſpurias* Traditiones appellantibus authoritatem Eccleſiarum *Matricum* qualemcunque & harum tantum, ſed uniformem cæterarum Eccleſiarum cum ſuis *Matribus* perfectiſſime conſenſum conſecutive opponere voluit, ac ſapientiſſime potuit tum propter perfectiſſimam concentrationem, conteſſerationem, ac communionem Eccleſiarum in unitate doctrinæ & vinculo charitatis communicantium, tum quod cæteræ Eccleſiæ tanquam *filiæ* ſuas doctrinas, quas indubitata fide tanquam a Chriſto & Apoſtolis traditas credebant, ſine dubio ex his Eccleſiis velut ex primigenio fonte hauſerint, ac illibatas conſervaverint. Exemplum a celebri controverſia inter Eccleſiam Romanam & Aſiaticam tanto fervore agitata, quo utitur Boehmerus ad infringendas traditiones, ſaltitat extra orbitam. Sermo nobis eſt de traditionibus *Dogmaticis*, non *diſciplinaribus*. Quæſtio de celebrando Paſchate non *fidem*, non *mores*, ſed *diſciplinam externam* concernebat. Allegabat utraque pars traditionem *Apoſtolicam*, & recte. Eccleſia Romana in traditione a Principibus Apoſtolorum Petro & Paulo, & quidem per *legem expreſſam* accepta, Aſiatica in traditione a ſolo *exemplo* S. Joannis derivata, ac per *conſuetudinem* retenta ſeſe fundaverat. Potuit S. Joannes *œconomiæ cauſa* ex ratione ſingulari inhærere mori Judæorum. At debuiſſent Aſiatici longe firmiori, ac in majori authoritate radicatæ traditioni, ſive hanc authoritatem a principatu Apoſtolorum, ſive a principalitate Eccleſiæ Romanæ mutuaveris, aſſurgere (u). Afferat pars adverſa, ſi poſſit, vel unicum exemplum multiformis traditionis *Apoſtolico-Dogmaticæ*, & victas dabimus manus. Certe ſi quod tale exſtaret exemplum, illud a controverſiis de millenario Regno Chriſti, nec non reiterando Baptiſmo hæretico-

(t) Verba illius ſunt ſequentia: *Non nego quidem, illas Eccleſias pro ſe habuiſſe magnam præſumptionem veritatis & doctrinæ Apoſtolicæ; aſt minime conveniens videtur, hæreticos ex harum authoritate confutare, & hoc fundamentum tanquam principale illis objicere &c.*

(u) Vid. Natal. Alex. Hiſt. Eccleſ. Tom. 3. diſſert. 27. art. 2.

reticorum mutuandum foret: ſed nec PP. Millenarii, nec Rebaptizantes traditionem Apoſtolicam, multo minus univerſalem allegare poterant, quia utriusque erroris author laudari poterat. Primum de Regno millenario Papias, alterum de reiterando Baptiſmo invexit Agrippinus Africæ Epiſcopus.

Quædam ex Boehmero in favorem traditionis inferuntur.

Poſtquam hæc contra Boehmerum diſputavimus, jam quædam haud exigui momenti ex illis ipſis, quæ cit. author de origine traditionum refert, pro doctrina Catholica & in favorem traditionis contra Heterodoxos inferimus: & quidem ſequitur ex relatis a Boehmero 1mo, primitivam jam Eccleſiam ingentem vim in Traditionibus Apoſtolicis collocaſſe. 2do, Jam tum temporis ad refellendos hæreticos, ad declaranda fidei dogmata, ad diſcernendas ſcripturas genuinas a falſis neceſſariam fuiſſe traditionem, neque Eccleſiam alia uſam fuiſſe regula quam noſtra, & de illo heterodoxorum *Criterio* ne quidem ſomniaſſe. 3tio, Antiquam Eccleſiam cum hodierna conſpiraſſe, & utramque in diſcernendis traditionibus eandem reſpexiſſe Cynoſuram, nempe unanimem conſenſum Eccleſiarum, atque hunc ex conſenſu Eccleſiarum *Matricum* ſeu *Apoſtolicarum* ob intimam concentrationem, communionem & conteſſerationem inter Eccleſias vigentem prudentiſſime & legitime prorſus arguiſſe. Hæc, an non ita ſe habeant, videat quivis æquus rerum arbiter.

§. VI.

Author Princip. §. E. quædam docet de traditione non ex omni parte vera.

Aliam novamque remoram injicit Author Princip. qui potiſſimum quatuor de traditionibus docet, quæ accuratiori examini ſubjicere neceſſum duximus. 1mo docet, litem inter Catholicos & Proteſtantes de traditione *facti* potius eſſe, quam *juris*, additque rationem: *quia nemo negat, Verbo DEI tradito, ſi quod re ipſa exiſtat, omnem deberi reverentiam; ſed hoc inficiantur Proteſtantes, quod exiſtant præter Scripturam genuinæ traditiones.* 2do, Exinde infert, anathema a Concil. Trident. in Proteſtantes traditionem negantes vibratum (x), eſſe nimis *vagum*, nec

(x) Seſſ. 4. ubi ſic habetur: *Sacroſancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus &c. perſpiciens hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis & traditionibus &c. traditiones ipſas tum ad fidem tum ad mores pertinentes tanquam vel ore tenus a Chriſto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur. Et in fine addit: ſi quis prædictas traditiones ſciens, & prudens contempſerit, anathema ſit.*

nec efficaciter *fulminare* Proteſtantes, cum nemo illorum traditiones ipſius Chriſti *ſcienter & prudenter contemnat.* 3tio, Aſſerit, quæſtionem, qua quæritur, an dentur traditiones *Dogmaticæ mere orales* a Verbo DEI ſcripto plane ſeparatæ, eſſe pure *ſcholaſticam, quæ tantas rixas haud meretur.* Et 4to vix oſtenſum iri dogma aliquod *pragmaticum & fundamentale* Religionis Catholicæ, quod traditione *mere orali* nitatur (y). Jam hæc ad incudem vocemus.

Refelluntur illius principia. Quantum ad primum, id in limine mox animadvertimus, præcipiti nimis ſententia Authorem Princip. quæſtionem de Traditionibus Catholicos inter & Proteſtantes controverſam velut quæſtionem *meri facti* venditare: cum ex Proteſtantibus nec defuerint, nec deſint, qui Eccleſiæ Catholicæ deſuper quæſtionem *juris* fecerunt, Verbum divin. ſcriptum ad tam ſublimem authoritatem elevantes, ut eidem nihil poſſe æquiparari, illud ſolum eſſe perfectiſſimam regulam fidei, quin & Providentiæ Divinæ repugnaturum fore exiſtimarent, ſi aliam regulam fidei *non ſcriptam* dediſſet (z). Imo & quosdam ex PP. Concil. Tridentini dubitaſſe, an ejusdem cum Scriptura firmitatis & authoritatis ſint habendæ traditiones, refert Pallavicinus (a). Interim haud paucos ex Proteſtantibus mitioris eſſe ingenii, qui Traditionibus, ſi exiſtant, infallibilem denegare authoritatem non audent, optime ex Melchiore Cano (b) perſpectum habemus. Porro autem demus Authori

Alia eſt quæſtio meri facti, & alia quæſtio facti doctrinalis. eſſe quæſtionem *facti*, licebit ulterius quærere, an ſit quæſtio *meri facti*, an vero quæſtio *facti doctrinalis ſeu dogmatici* cum aliquo dogmate fidei neceſſario connexa (c)? Vix auderem ego præſentem quæſtionem

(y) Hæc omnia videri poſſunt in Princ. Jur. Pub. Cap. II. §. II. IX. & X.

(z) Similia docuit Kemnitius apud Bellarm. l. 4. de Verb. Dei non ſcript. c. 3. & docet Basnage ſupra cit. diſſert. vid. §. IV.

(a) In Hiſt. Concil. Trident. part. 1. L. 6. c. 14. N. 3.

(b) Verba Melch. Cani de loc. Theolog. l. 3. c. 1. hæc ſunt: *Non ſunt adeo ſtupidi, ut verba Chriſti, quæ, modo Chriſti eſſe conſtaret, infirmare pergant, quod non fuerint ab Evangeliſtis ſcripta; ſed quoniam quid Chriſtus, quidve Apoſtoli fuerint locuti, eos ſolum noſſe putant, qui Chriſtum & Apoſtolos audiere, colligunt, apud nos nunc ne unum quidem dogma poſſe traditione probari.*

(c) Aliæ apud Theologos ſunt quæſtiones *Juris*, & aliæ *facti*: illæ in ſenſu Theologico ſunt, quæ ex Jure divino decidi poſſunt: hæ quæ aliunde ex aliis undecunque petitis probationibus reſolvuntur: exemplum prioris ponunt

nem ſimplicibus *facti* quæſtionibus accenſere; cum enim exinde quam plurima fidei dogmata dependeant, & ex negata Traditione ingentem doctrinarum Catholicarum ſtragem conſequi neceſſum ſit, neſcio profecto, an hæc quæſtio meri *facti* a Theologo Catholico haberi poſſit. Anne *meri facti* quæſtio eſt, ſi quæras *an DEUS exiſtat, an exiſtat Scriptura, an ſeptem ſint Sacramenta?* Eas quæſtiones *Theologi* meri facti ſimplicis eſſe dicunt, quæ nec ex Scriptura, nec ex Traditione decidi, & in utramque partem ſalva fide reſolvi poſſunt, quin earum reſolutio ſeu in perniciem fidei, ſeu in præjudicium Eccleſiæ vergat. Quando quæritur, an exiſtant Traditiones, ſtatus quæſtionis in eo conſiſtit; an Deus præter Scripturam aliam fidei regulam conſtituerit: num aliquod a Deo ore tenus fuerit revalatum dogma, & hoc de ore ad os ad nos usque propagatum. Hanc quæſtionem eſſe *meri Juris*, vel certe eidem eſſe involutam quæſtionem *dogmatis* nemo non, niſi talpa ſit, viderit. Hoc intellecto facile occurritur alteri doctrinæ Authoris, qua auſu temerario (ignoſcat vir cæteroquin eruditus) invadit Synodum Tridentinam, & anathema illius in Proteſtantes vibratum bruti inſtar fulminis habet: quod quam ſit periculoſum, ac præjudicioſum authoritati PP. in Concil. congregatorum quis non videat? Demus ergo quæſtionem de Traditionibus eſſe quæſtionem *facti*, quærere licebit ex Authore, num PP. Concilii Tridentini quæſtionem *facti*, qua quæritur, an Traditio Divina exiſtat, vel *Juris*, qua diſputatur, num Traditioni Divinæ, ſi exiſtat, fides indubitata adhiberi debeat, decidendam aſſumpſerint? Iſtud ſecundum dicere, quam non eſt injurioſum Synodo? Quis enim ſibi perſuadeat, quod Synodus a Spiritu S. directa

nunt in hac quæſtione; *An Chriſtus habeat duas naturas diſtinctas*: poſterioris in iſta; An *Eutyches unam vel duas naturas in Chriſto admiſerit.* Aliæ iterum quæſtiones *mixtæ juris & facti ſimul*, cujus exemplum ſit ſequens propoſitio; *An epiſtola Ibæ Edeſſeni in ſenſu Ibæ ſit hæretica:* Hæc quæſtio eſt juris, in quantum quærit, *an epiſtola Ibæ ſit hæretica.* Eſt facti in quantum quæritur, *an in ſenſu Ibæ ſit hæretica. Factum* iterum vel eſt *dogmaticum & doctrinale;* vel *ſimplex*: illud, non iſtud habet connexionem cum Jure. Exemplum utriusque ſuppeditant *famoſa illa tria Capitula.* Si quæratur, *an contineant hæreſin Neſtorianam,* eſt quæſtio *facti Dogmatici:* ſi vero quæratur, *an doctrina trium Capit. ſit a Synodo Chalcedonenſi approbata,* eſt quæſtio *facti puri dependens ab extrinſecis circumſtantiis & argumentis.*

ſta mentem Proteſtantium melius non perſpectam habuerit, & in ſuis deciſionibus toto cœlo a quæſtione diſputata aberraverit. Si vero quæſtionem *facti* (non tamen *nudi ac ſimplicis*) decidere voluit: ergo efficaciter feriit Proteſtantes, & negantes Traditionem fulmine non bruto, & Jure quidem proſtravit; eoquod hæc ipſa quæſtio *facti* ſit ſimul quæſtio *fidei*, & *negatio facti* ſit directe contraria Religioni Catholicæ, quæ *factum*, id eſt exiſtentiam Traditionis, inſtar *dogmatis* inconcuſſi tuetur. Et nunquid omnes Theologi Catholici de Traditione agentes tanquam quæſtionem principalem examinant illam, qua quæritur, *an Traditiones divinæ exiſtant?* Neque cauſæ authoris patrocinatur, quod, ut ipſe regerit, nemo Proteſtantium Traditiones Divinas *ſcienter, & prudenter contemnat:* nam, ſicut optime replicat Author Animadverſ. (d) miſerum hoc eſſe effugium prima fronte conſpicitur; hoc ipſo enim, quod heterodoxi Traditiones divinas & earum exiſtentiam perfricta fronte negent, arguitive eas contemnunt, ac vilipendunt. An non heterodoxos cujusdam pertinaciæ in ſuis dogmatibus arguimus, etſi ſe eſſe pertinaces negent, & pernegent? Quotusquisque hæreticorum perfrictæ adeo frontis eſt, ut dicere non erubeſcat, ſe dogma a DEO revelatum *ſcienter* ac *prudenter contemnere?* & tamen intortis contra ſe fulminibus eſſe obnoxios hæreticos omnes, nemo eſt, qui ignorat. Ad hæc, ſaltem illas Traditiones ſcienter contemnunt, tanquam fabulas aniles, & ſpurias, quas Eccleſia ad inſtar Traditionum divinarum habet, & hoc ipſo fulmini eccleſiaſtico ſe faciunt obnoxios dicente Chriſto: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus* (e). Meretur deſuper legi Author Animad. (f) ubi hæc fuſius deducit. Ad 3tium Authoris aſſertum diſcutiendum convertimur, quo affirmat, quod quæſtio de Traditionibus *mere oralibus*, ſeu *an dentur Traditiones Dogmaticæ prorſus a Verbo divino ſeparatæ, ſit annumeranda quæſtionibus pure ſcholaſticis, quæ tantas rixas non meretur, & affinis illi Theologorum controverſiæ, qua quæritur: an materia fidei creverit ab Adamo usque ad Chriſtum per legem novam Evangelii.* Profecto ſi quæ alia, hæc certe ab Authore audacius nec ſine periculo eſſe dicta & ſcripta cenſemus, quibus quam parum a ſententia Novatorum diſtet, & qua ratione a longe latus traditionis petere attentet, nemo non Catholicorum primo intuitu perſpicit, & ex dicendis mox fiet manifeſtius. Ex quocunque fonte ipſe has ſuas doctrinas oppido periculoſas hauſerit, ſaltem ego mihi perſuaſiſſimum habeo, nunquam authorem ad has extremitates delapſu-

(d) In Animadverſ. art. 3. (e) Matth. 18. v. 17. (f) Loc. cit.

Google

delapſurum fuiſſe, ſi Theologiæ Dogmaticæ principia melius inſpexiſſet, aut libros ſcriptorum Catholicorum legere dignatus fuiſſet. Vellem jam ante omnia, ut in præſenti, quod diſcutimus, dogmate, vel ipſe *ſtatum quæſtionis* nobis poneret, vel ſi ipſe ponere nolit, aut non poſſit, eundem ſibi poni ſuſtineat. Putamus, aliud eſſe quærere, an aliqua doctrina in *termino proprio*, vel non niſi *obſcure*, ita tamen in Scriptura contineatur, ut per clariorem terminorum expreſſionem (g), legitimas interpretationes, & conſequentias non omnino difficiles & quam longiſſime petitas inde deduci valeat (h), aut omnino ſua ſponte fluat: Et iterum aliud eſſe, quærere an *dogma Catholicum* ne quidem *obſcure*, vel ita *obſcure* in Scriptura præcontineatur, ut non niſi ſummo ſtudio, labore, ac difficultate per interpretationes extortas, & deductiones quam longiſſime factas inde erui poſſit. Quo jam ſuppoſito, noſtra opinione parum vel nihil intereſt in effectu in ordine ad *traditionem mere oralem*, ſive dicatur aliquod dogma nequidem *obſcure*, vel certe non niſi *obſcuriſſime* ita, ut per legitimam conſequentiam vix aut ne vix quidem ſit deducibile, in Scriptura contineri; cum ex communi Theologorum ſententia textus Script. valde obſcuri Eccleſiæ non ſint ſufficientes ad declarandum aliquod dogma fidei, neque Eccleſia unquam dogma aliquod unice propter ſcripturam obſcuram, vel deductionem a longe quæſitam definierit, ſed in defectu Scripturæ ad traditionem certam, uniformem, & conſtantem tanquam alteram fidei regulam confugerit (i). Quapropter nomine traditionis *vere oralis* putamus venire illam, quæ nobis prodit dogma, quod nullo modo, vel certe non niſi *obſcuriſſime* in Scriptura continetur. Atque hic eſt genuinus ſtatus quæſtionis, hoc eſt illud diſſidium, non utique *mere ſcholaſticum*, ut aſſerit Author, quod Catholicos & Proteſtantes per plura Sæcula colliſit, & adhuc colliſos tenet, an videlicet dentur *doctrinæ dogmaticæ*, quæ nec in terminis terminantibus præcontinentur, nec legitima atque doctrinali deductione inde deduci poſſunt, id quod negant Proteſtantes, & affirmant Catholici. Quod ſi jam tales doctrinæ adſtrui

Quid ſit dogma mere orale?

(g) E. g. conſubſtantialitas Filii, duplex natura in Chriſto.

(h) E. g. Trinitas Perſonarum, numerus ſeptenarius Sacramentorum, duplex voluntas in Chriſto.

(i) Communis eſt ſententia, quod ad definitionem dogmatis requiratur textus Scripturæ *clarus*, vel traditio *certa*, & hinc haud pauca fidei dogmata e. g. Virginitas B. V. valor Baptiſmi hæreticorum magis ex traditione quam Scriptura ſunt definita.

adſtrui poſſint, neſcio ſane, quo auſu Author Catholicus quæſtionem de Traditionibus oralibus per duo & ultra Sæcula tanto molimine diſcuſſam, ac finali judicio poſt plurimam ex utraque parte, ponderatis cauſæ momentis, deliberationem denique a PP. Concil. Trident. deciſam ad rixas pure ſcholaſticas poſſit detrudere. At vero proſtant ſimilia dogmata plura: nam ubinam dogma Catholicum de Authentia, & Canone Scripturæ a Concil. Trident. edito, *de genuinitate* epiſtolæ Petri ad Hebræos vel *obſcure* vel ſaltem ita *obſcure* continetur, ut per legitimam, vere *Theologicam* deductionem inde inferri poſſit? Ubinam ſcriptum legitur Baptiſmum ab hæreticis collatum eſſe validum, Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis eſſe initerabilia, alia eſſe iterabilia? Ad hæc quam probroſum eſt Eccleſiæ Catholicæ, ſi dicatur, eam quaſi cum larvis pugnare, atque per plura ſæcula unice occupari circa quæſtiones inanes diſcuſſione indignas? Saniorum Theologorum hæc potius eſt doctrina, quod Synodus Trident. ubivis ſtudioſe declinaverit deciſionem finalem quæſtionum ſcholaſticarum in utramqne partem diſputabilium, neque rixis ſcholarum ſe immiſcere voluerit (k). Exemplum ab Adverſ. allatum ſaltitat extra orbitam, quia parum vel nihil intereſt Eccleſiæ, *num creverit materia fidei, vel non*: Neque hæc quæſtio ullum attingit dogma fidei inter Catholicos & Proteſtantes controverſum, neque unquam deſuper ſive Catholici Proteſtantibus, ſive Proteſtantes Catholicis litem *dogmaticam* moverunt, ſicut in noſtro caſu.

Quid ſit dogma fundamentale & practicum? *Quartum aſſertum* Authoris examinemus, quo aſſerit, vix oſtenſum iri *dogma aliquod pragmaticum & fundamentale* Religionis Chriſtianæ, quod traditione *mere orali* nitatur. Quærere hic liceat, quidnam ipſe intelligat per *dogma fundamentale* & *practicum?* An cum quibusdam *Syncretiſtis ac Libertinis* diſtinguat inter *articulos fidei fundamentales & Adiaphoros* (l)? An per *fundamentales* intelligat illos, quorum explicita profeſſio omnibus eſt neceſſaria; vel illos, quorum poſitio, vel deſtructio in æſtimatione morali notabiliter mutat ſyſtema Religionis; vel denique illos, qui in fide Catholica ſunt quaſi primarii, ac ſummi momenti (m)? Primum vix defendere qua Catholicus auſerit: ergo ſecun-

(k) Eſt hæc perpetua doctrina Card. Pallavicini in *Hiſtor. Concil. Trident.* & Theologorum Dogmaticorum.

(l) Vid. dicta in prima Quæſt. cap. 7. §. 3.

(m) Hæ enim ſunt tres ſententiæ DD. in exſplicatione articulorum fundamentalium mire variantium.

ſecundum, tertium, vel quartum? Sed cum necdum inter Catholicos conveniat, quinam ſint hi articuli fide explicita credendi, ſyſtema Religionis notabiliter mutantes, & primarii, vix a nota temeritatis abſolvi poterit, quod tanquam loquens ex cathedra, etſi non ſine anxietate (dicit enim vix oſtenſum iri) ex propria mente finalem contra traditiones orales declamet ſententiam. Liceat, quae noſtra ſit mens, ſuper hiſce articulis *fundamentalibus*, paucis aperire. Diſtinguendum eſſe putamus inter *articulos fundamentales*, quorum alii *relate ad totam Eccleſiam*; alii *relate ad fideles in particulari* ſunt tales. Priores dicimus illos, quibus tanquam firmiſſimæ baſi Eccleſia ita innititur, ut eorum ſeu mutatio ſeu deſtructio notabiliter mutaret ſyſtema Religionis (n). Poſteriores in duplici iterum claſſe ponimus, & alios dicimus *fundamentales reſpectu omnium*, alios *reſpectu fidelium quorundam in certis circumſtantiis conſtitutorum*: In illorum numero habemus eos, quos tanquam magis *principales*, *primarios*, Religionis primario conſtitutivos ab omnibus fide explicita eſſe credendos communius habent Theologi, etſi certi aliquid ab Eccleſia deſuper definitum ſtatui nequeat (o). In horum vero numero poſſent poni illi articuli, quorum ſcientia vel maxime eſt neceſſaria illis potiſſimum Catholicis, qui velut medii vivunt inter hæreticos & hæreſes liberius graſſantes, cum periculo ſeductionis, eosque partim diſtinquunt ab Hæreticis, a quibus undique circumcinguntur, partim conſervant, ne in præceps ruant, & a graſſantibus ſeu clam ſeu palam hæreticis in transverſum agantur (p). Jam ſi de prioribus ipſum Religionis ſyſtema conſtituentibus ſit ſermo,

Alii ſunt articuli fundamentales relate ad Eccleſiam, alii relate ad fideles in particulari. Iterum alii reſpectu omnium, & alii reſpectu fidelium in certis circumſtantiis conſtitutorum.

perſua-

(n) Tale putamus eſſe dogma de *Trinitate Perſonarum*, de *peccato originali*, de *Incarnatione*, de *Sacramentis eorumque exiſtentia ſaltem in genere*, & ut dicemus mox, dogma de *Authentia Script.* nam vel uno ex his ſublato, mutatum iri totum Religionis ſyſtema facile quisque perſpexerit.

(o) Pro talibus a Theologis communiter habentur dogma de *Myſterio Trinit.* de Incarnatione; item quod Deus *ſit remunerator bonorum, & vindex malorum*, & ea dogmata, quæ in ſymbolo Apoſt. ſunt contenta.

(p) Pro talibus apud nos qui vivimus inter Proteſtantes, poſſent haberi potiſſimum ſequentia dogmata: dogma de *veneratione*, & *cultu Sanctorum*, de *neceſſitate bonorum operum*, de *reali præſentia Chriſti*, de *Vicariatu & Primatu Pontificis*, *de confeſſione auriculari &c.* hæc enim, & alia ſunt potiſſimum quæ nos Catholicos ab hodiernis Sectariis diſtinguunt, & quæ vel maxime ſcire deberent noſtri Catholici.

perſuaſiſſimum mihi habeo, quod dogma de *exiſtentia*, *authentia* & *Canone Scripturæ* ſit dogma *fundamentale & pragmaticum* Religionis, quo ſublato corruet tota, quantacunque illa ſit, moles & ſtructura Eccleſiæ. Unde vero, jam quærere liceat, habemus (diſputo contra Doctorem Catholicum, qui non cum heterodoxis ad demonſtrandam *authentiam* Scripturæ, eamque a Scripturis ſpuriis diſtinquendam *characteres* Verbi Divini genuinos ex ipſa & ſola Scriptura emendicat) unde, inquam, habemus, ſcimusque *authentiam*, & *Canonem Script.* niſi ex Traditione, cui in definiendo *Canone* Eccleſia in Concil. Trident. congregata vel maxime innitebatur? Si de poſterioribus *ad fideles in particulari* ſeu ad *omnes* ſeu *ad quosdam* pertinentibus loquamur, facile do Adverſario dogmata *primi generis* fide explicita credenda ſat clare in Scripturis expreſſa. Sed an illa *ſecundi generis* omnia & ſingula ea claritate in Script. contineantur, quæ foret ſufficiens ad definiendum dogma fidei, hinc inde Theologi Dogmatici ſubdubitant, docentes, ea melius demonſtrari argumento ex Traditione, quam ex Script. petito (q).

Antequam Authorem a nobis dimittamus, quærere ex ipſo liceat, ad quid ille has quæſtiones excitare, & ipſum Concilii Trident. decretum ſub incudem vocare, & indiſcreta prorſus criſi perſtingere voluerit, utpote quæ non niſi ad ſupprimendam authoritatem Traditionum vergunt, & Proteſtantibus occaſionem Catholicis inſultandi ſuppeditant? Atque hæc cum majori energia diſcutere placuit, quia quosdam alios a ſpecioſis Authoris hujus ratiunculis ita fuiſſe inductos ſcimus, ut ſimiles doctrinas adoptare, & publicis inſerere Theſibus nulli ſibi ſcrupulo duxerint. Fuſius hæc diſcutit author Animad.

§. VII.

Uſus traditionis in jure Eccleſiaſtico declaratur.

Authoritatem Traditionis eſſe ſummam, & tantam, ut cum Verbo ſcripto de primatu dimicet, ſupra diximus. Profecto ſi quis alius, certe *fons Traditionis* in *Jure Canonico* eſt fæcundiſſimus, ex quo notabiliſſima illius pars eſt derivata; nam ſi totum *Jus Canonicum* percurreris, præter *Canones Conciliorum*, *decreta Pontificum*, & *ſententias Patrum* aliud non offendes quam *conſuetudines*, *Traditiones* & *obſervantias*. Et

(q) Sic e. g. Theologi *cultum SS. confeſſionem auricularem &c.* potius ex traditione quam ſcriptura, etſi etiam ſcripturam in adjutorium aſſumant, demonſtrant.

Et certe ipſi non raro *Canones* & *decreta* ad antiquas conſuetudines appellant. Et quoniam quamplurimæ Traditiones Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ ſucceſſu temporum fuerunt immutatæ (r), qua ratione Canditatus Juris Eccleſiaſtici hodiernam Eccleſiæ diſciplinam comparatam cum antiqua defendere, vel cum fundamento heterodoxis obviare poterit, niſi accuratiorem Traditionum notitiam habeat? Agnovere neceſſitatem ac utilitatem comparandi hanc notitiam Authores noviores, quorum aliqui proin improbo & velut immenſo labore omnes pene Canonum origines, antiquas conſuetudines, obſervantias & totam ferme diſciplinam Eccleſiaſticam in unum, & hoc in ſubſidium maximum Interpretum Juris Canonici colligere (s); alii vero Jus Eccleſiaſticum ex profeſſo interpretantes illud methodo hiſtorica, *perſonarum*, *jurium* ac *judiciorum* origines velut ab ovo deducendo, explicare aggreſſi ſunt (t). Quanti vero interſit antiquæ diſciplinæ habere notitiam noſtro potiſſimum ævo, quo Heterodoxi omnes antiquitatis angulos ſollicite excutiunt, & in origines, progreſſus Jurium Eccleſiaſticarum, nec non mutationes diſciplinæ Eccleſiaſticæ tota contentione inquirunt, eum potiſſimum in finem, ut ſuas criminationes in Pontifices, in Clerum, & in totam Eccleſiam fucato veritatis colore illinire, Jura Eccleſiaſtica infringere, ac totam Eccleſiam defectionis arguere valeant, noverint illi, qui ſe huic ſtudio pecculiarius conſecrarunt. Sed de hoc argumento plura alibi, & ſuo tempore.

§. VIII.

Quomodo ſe invicem diſcerni valeant traditiones?

Quadruplicis generis eſſe Traditiones ex dictis conſtat, nempe *Divinas*, *Divino Apoſtolicas*, *Apoſtolicas & Eccleſiaſticas*. In eo jam difficultas eſt maxima, qua ratione ab invicem diſcerni valeant. Duas jam ſupra ſtatuimus regulas, quibus, an aliquid ſit Traditionis *divinæ* &

(r) E. g. *Communio bonorum*, *ipſum jejunium Eccleſiaſticum* ſaltem quoad modum, *agapæ*, *innumeri ritus &c.*

(s) Hos inter laudare liceat Edmundum Martene, Mabillonium, Ludov. Thomaſſinum, & poſt hos Petrum de Marca.

(t) Ex Catholicis vix alium habemus quam Bernardum van Eſpen, cui adjungi poteſt exiguus libellus Inſtit. Eccleſ. Claudii Fleury, per notas tamen a Boehmero ſubjunctas multum depravatus. Inter Proteſtantes eminet Boehmerus, qui tamen, quidquid veri & boni habet, vix non omne mutuavit ex noſtris Authoribus Catholicis mox citatis.

Google

& *Apoſtolicæ* dignoſci, & Traditiones *genuinæ* a *ſpuriis* diſcerni poſſunt. Jam dandæ ſunt regulæ pro ipſis Traditionibus *genuinis* a ſe invicem diſcernendis, quas ab invicem rite ſecernere vel maxime intereſt propter diverſos diverſarum Traditionum effectus.

Traduntur regulæ eas diſcernendi. Quinque communius Authores ſolent adſtruere, utut ſuo modo diverſas (u). Nos ſequentes damus, & quidem omnium 1.*mo* inquirendum eſſe exiſtimamus in Traditionis *principium* ob regulam ex S. Auguſt. & Vincentio Lirinenſi mutuatam, & a nobis aliquoties repetitam, de quo ſi non conſtet, certum eſt, quod Traditio ſit vel *Divina* vel *Apoſtolica* (x). Addit Petrus Annatus, eſſe habendum reſpectum *temporis* etiam, & videndum, an Traditio ſupponat Chriſti aſcenſum, nec ne? ſi prius: pure Apoſtolicam eſſe liquet. Si ſecundum: poteſt eſſe Traditio vel *divina*, vel *Apoſtolica*. Quod ſi ipſorum etiam Apoſtolorum ſupponat diſceſſum, habenda eſt pro mere Eccleſiaſtica. 2.*do* habendus eſt reſpectus ad *materiam*, & videndum, an materia excedat poteſtatem Eccleſiæ vel non? ſi prius, ſicuti in materia & forma, ac ipſa inſtitutione Sacramentorum, Traditio erit *Divina* aut certe *divino Apoſtolica*, cujus Apoſtoli tantum fuere *Præcones* & non *Authores* (y) 3.*tio* reflectendum eſt ad *unanimen conſenſum* SS. PP. ſi loquamur de dogmate *ſpeculativo*, vel ſaltem *aliquorum* conjunctum tamen cum *notoria*, *univerſali*, ac *conſtanti praxi Eccleſiæ*, ſi ſermo ſit de *dogmate practico:* ad *conſenſum* inquam, & inſuper *modum loquendi* & ipſam mentem, an videlicet illud dogma, in quo conſpirant, habuerint tanquam *dogma fidei & morum*, vel *meræ diſciplinæ?* Si prius: pronuntiandum erit pro Traditione *Divina;* ſecus pro *Apoſtolica* (z) 4.*to* Attendendum eſt

(u) Quinque ex Theologo Lovanienſi recenſet Magnif. Bertholdus Vogl Sect. 3. cap. 1. §. 10. cui addit ſextam ex S. Irenæo. Quinque etiam adſtruit Petrus Annatus in Apparat. l. 3. de tradit. art. 2.

(x) Sic e. g. perpetua Virginitas B. V. numerus ſeptenarius Sacrament. dicuntur traditionis Divinæ: item obſervantia jejunii quadrageſim. mixtio aquæ cum vino in Sacrificio Miſſæ traditionis ſaltem Apoſtolicæ, quia illarum ignoratur principium.

(y) Ex quo capite dogmata etiam ſcripta potius ad Chriſtum, tanquam Authorem, quam ad Apoſtolos referimus: ſic e. g. authorem extremæ Unctionis dicimus ipſum Chriſtum, non Jacobum Apoſtolum, quem ſolummodo inſtar Præconis promulgantis inſpicimus.

(z) Sic e. g. SS. PP. quoad obſervantiam jejunii quadrageſimalis perfecte conſpirant

eſt vel maxime ad praxin non qualemcunque, ſed *uniformem*, & *conſtantem*, & ad *judicium* Eccleſiæ. Dixi 1.mo *uniformem, conſtantem*: ſi enim praxis fuerit diverſa ſive *quoad Eccleſias* (a), ex eo, quod tantum in una vel altera Eccleſia obtinuerit; ſive *quoad tempus* (b), eo quod pro varietate temporum variaverit, ſignum manifeſtum eſt, traditionem non eſſe *divinam*, ſed vel *Eccleſiaſticam*, vel ad ſummum *Apoſtolicam*: cum traditio *Divina* ſit *univerſalis*, nec loco nec tempori alligata. Dixi 2.do ad *judicium Eccleſiæ*, utpote quæ eſt principaliſſima Interterpres traditionis, cujus interpretationi omnino eſt ſtandum, ubi tamen videndum, an Eccleſia aliquod dogma in Scripturis non revelatum declaraverit ut *dogma fidei* tenendum, vel ut *merum ritum* præceperit & retineri voluerit? In priori caſu pro *Traditione Divina*, in poſteriori pro *Apoſtolica* ferenda eſt ſententia (c). Atque hæ quatuor regulæ nobis ſufficiunt.

§. IX.

Cum diverſa usque nunc fuerit Eccleſiæ diſciplina, & quam plurimas antiquas *traditiones*, *conſuetudines* & *obſervantias* fuiſſe antiquatas, abrogatas, & abolitas ex notoria Eccleſiæ praxi conſtet (d), pauciſſimis diſpiciendum, quid juris Eccleſiæ in traditiones competat? Dicendum ergo 1mo., Eccleſiam non poſſe immutare vel abrogare Traditiones *Divinas*, & *Divino-Apoſtolicas*: tum quod hæ Traditiones ſint ipſum *Verbum Divinum*, non quidem *ſcriptum*, ſed *traditum immutabile* (e): tum quod ex generali regula inferior non habeat poteſtatem abrogandi legem ſuperioris, niſi a ſuperiore ſit ſpecialiter conceſſum, de quali

Quid juris habeat Eccleſia in traditiones?

Non poteſt immutare divinas & divino-Apoſtolicas.

ſpirant, nemo tamen illud eſſe traditionis *Divinæ* dixerit; quia nec Patres ex inſtitutione divina illud derivarunt.

(a) Sicut quondam celebratio Paſchatis, jejunium Sabbathinum, item conſecratio in pane vel azymo vel fermentato &c.

(b) E. g. Collatio Baptiſmi per immerſionem &c.

(c) Sic e. g. eſto mixtio aquæ cum vino ſemper fuerit in uſu Eccleſiæ, non tamen eſt neceſſaria ex jure Divino, quia id Eccleſia nunquam inſtar dogmatis habuit.

(d) Vid. mox dicenda.

(e) *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Matth. 24 v. 35

Poteſt immutare pure Apoſtolicas. quali abrogandi licentia non conſtat. Dicendum 2do, traditiones pure *Apoſtolicas* & *Eccleſiaſticas* ab Eccleſia poſſe mutari, & abrogari, partim quod Eccleſia eandem habeat poteſtatem, quam habuere Apoſtoli, qua *Rectores*, utpote quibus in regimine ſucceſſit: partim, quod id probet continuata Eccleſiæ praxis, quæ pro varietate temporum & circumſtantiarum plures traditiones alteravit, immutavit, abrogavit (f): Et in quarumdam abrogationem tacite conſenſit (g). Hæc de regulis.

§. X.

De traditionibus piis. Supereſt, ut de *Traditionibus piis* (alii *pias credulitates* vocant) & *vulgaribus* paucis diſpiciamus. Erimus in hac materia odioſa, ampliſſima & valde delicata breves, valde cauti, ac circumſpecti, ne partem quamcunque ſive per *exceſſum* ſive per *defectum* peccantium offendamus. Per *exceſſum* illi peccant, qui omnes hiſtoriolas, credulitates, & non raro etiam fabulas ipſas loco *piæ Traditionis*, & aliquoties omnino *Eccleſiaſticæ* habent, & pene fidem adhibent ſupernaturalem. Per *defectum* illi delinquunt, qui *Traditiones pias* quaſi omnes etiam authoritate ſumma ſuffulcitas velut inanes, ridiculas, & aniles rejiciunt, aut certe in dubium vocant. Quod ſi hanc materiam pro ſua dignitate diſcutere vellemus, in immenſum excurrere, & *artem criticam* totam quantam (prô, quam immenſi laboris hoc opus foret, hoc Sæculo Critico immoderata quorumdam criſi pene ad Pyrrhoniſmum deflectente tale quid attentare!) incudi ſubjicere deberemus, quod noſtri fori non eſt.

Quid ſit traditio vulgaris & quotuplex? Paucis videamus 1mo quid ſit *Traditio pia* & quotuplex? 2do quid *Traditio vulgaris?* 3tio quantæ authoritatis? 4to quo modo ſe habeat Eccleſia erga tales Traditiones? & 5to quæ regulæ in his obſervandæ? *quantum*

(f) Tales ſunt e. g. abſtinentia a ſanguine & ſuffocato, vigiliæ nocturnæ ad ſepulchra Martyrum, Agapæ, id eſt convivia publica in Eccleſia poſt peracta divina celebrari ſolita, oſculum pacis, quo finitis precibus viri viros, fœminæ fœminas oſculabantur, pœnitentia publica quondam frequentiſſima, ac rigidiſſima.

(g) Sic Eccleſia multum remiſit de rigore pœnitentiæ publicæ, nec non jejunii quadrageſimalis, quod olim ſolvebatur ad ſeram noctem; peragebatur in ſola Xerophagia, quin de collatiunculа aliquid ſciretur.

Digitized by Google

quantum ad 1mum Nomine *Traditionis piæ* venit *opinio quædam doctrinam aliquam, librorum monumenta, quaſdam hiſtorias, facta, geſta, conſuetudines & mores resque alias concernens ab uno ad alterum traducta, & ad nos usque ope picturarum, imaginum, vel aliorum monumentorum fide dignorum perveniens.* Inde colligitur *Traditiones pias* ex ſuo objecto eſſe prorſus ampliſſimas, ac diverſiſſimas: & hinc alia *doctrinalis*, quæ concernit doctrinas tum Theologicas tum Philoſophicas *adiaphoras*, de quibus Eccleſia nunquam aliquid decidit, a longiſſimo tempore quaſi communiter in ſcholis defenſas: quo referunt ſententiam de pœna ſenſus poſt ſuam mortem a parvulis ſine baptiſmo decedentibus non ſubeunda, quæ a tempore S. Gregorii; item opinionem de authentia epiſtolarum antiquorum Pontificum usque ad Siricium Papam, quæ a tempore Nicolai I. vel ſi de materiis Philoſophicis loqui libuerit, ſententiam de accidentibus abſolutis, de motu terræ &c. quæ usque ad ultima hæc tempora in continua quaſi poſſeſſione ſteterunt. Alia *librorum* ad antiqua librorum monumenta pertinens, quæ de antiquis Scriptorum libris e. g. de epiſtola Chriſti & Abgari, de actis SS. MM. de quibusdam operibus SS. PP. e. g. de operibus S. Dionyſio Areopagitæ adſcriptis aliorumque Scriptorum e. g. de Teſtimonio Joſephi de Chriſto dato fidem faciunt. Alia iterum *factorum hiſtoricorum*, quæ nobis facta quædam communicat e. g. iter S. Jacobi in Hiſpaniam, adventum ſeptem Epiſcoporum a primo Sæculo, nec non S. Mariæ Magdalenæ & Sociorum ejus in Gallias. Alia *geſtorum*, & *hiſtoriarum*, qualis eſt, quæ nobis refert Martyrium Apoſtolorum & primorum Pontificum, immiſſionem S. Joannis Evangeliſtæ in lebetem ſerventis olei, acta S. Clementis & Theclæ, item Martyrium S. Georgii, S. Catharinæ, undecim millium Virginum Sanctæ Urſulæ. Alia iterum *morum & conſuetudinum*, ex qua ſcimus antiquos mores & conſuetudines e. g. celebrationem quorundam feſtorum pro celebrandis Myſteriis Chriſti, DEIparæ, Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque SS. e. g. feſti Paſchalis, Pentecoſtalis, Epiphaniæ, Annuntiationis B. V. &c. inſtitutam. Denique dantur traditiones *aliarum etiam rerum* quaſi innumeræ, quales ſunt, quæ nobis referunt diverſa & ſtupenda prodigia, apparitiones, viſiones, revelationes: item quæ nobis fidem faciunt de variis Reliquiis hinc inde aſſervatis e. g. de ſanguine Chriſti, de ſyndone, de corona ſpinea, de inſtrumentis Paſſionis Dominicæ; item de variis imaginibus & ſtatuis e. g. de ſtatua Chriſto poſita in urbe Paneade, de imagine Edeſſena, de facie Chriſti Veronica dicta, de iconibus a S.

Sunt diverſæ.

 Luca

Digitized by Google

Luca pictis &c. Item alia *univerſalis*, alia *particularis:* illa ab univerſa Eccleſia eſt recepta, qualis eſt de Aſſumptione B. V. in cœlum etiam quoad corpus, de Virginitate S. Joſephi, de adoratione a Magis facta ante Purificationem &c. iſta obtinet in Eccleſiis particularibus. qualis eſt Carnotenſis, quæ oſtentat induſium B. V. Ambianenſis partem capitis S. Joan. Bapt. Vindobinenſis lacrymam JESU Chriſti oſtendens &c.

Hæretici falſas finxerunt traditiones.

Inde patet reſponſio *quoad ſecundum*, quid nempe ſit *traditio vulgaris:* nempe eſt *illa quæ ex pia hominum credulitate, nullo fide digno inſtrumento fundata, ingenii humani imbecillitate, ſimplici aliquoties pietate, vel omnino ex malitia hominum miracula, aliaque geſta fingentium ortum ſuum trahit.* Jam vero conſtat antiquos jam hæreticos falſas finxiſſe traditiones; item quosdam Chriſtianos plus æquo credulos falſas hiſtorias ſcripſiſſe e. g. Presbyter ille a S. Joanne Evangeliſta teſtibus Tertulliano & Hieronymo (h) convictus, qui mendaces Apoſtolorum hiſtorias & mendacem fabellam de ſanctorum Pauli & Theclæ itineribus conſcripſit; inſuper & nimiam pietatem Chriſtianorum piis, falſis tamen credulitatibus anſam præbuiſſe. Inde factum eſt, ut Synodus Laodicena (i) anathemate ferierit Chriſtianos honorem falſis Martyribus exhibentes, & Concil. Carthag. anno 398. improbaverit altaria omnia ex quorundam viſis & ſomniis erecta, & S. Martinus Turon. everterit altare cujusdam Martyris, de cujus vita & interitu nihil conſtabat (k). De aliis *credulitatibus*, & harum abuſibus in Eccleſiam irrepentibus multa dicere ad nos non pertinet.

Etiam Chriſtiani plus æquo creduli falſas ſcripſerunt hiſtoriolas.

Quid ſint traditiones piæ?

Quantum ad *tertium*, *Traditiones piæ* quoad ſuam authoritatem mediant inter Traditiones *Divinas*, *Apoſtol.* & *Eccleſiaſt.* ex una, ac *vulgares* ex altera parte: & neque ſunt authoritatis indubitatæ & multo minus fidei ſupernaturalis ſicut priores, neque carent omni probabilitate vera, ſicut poſteriores, ſed habent probabilitatem & veritatem tantam, quantam ipſis authoritas & ratio, quibus innituntur, tribuit, & ita nunc majori, nunc minori pollent authoritate pro qualitate

(h) Tertul. lib. de Bapt. Hieronym. de Script. Eccleſ.

(i) Can. 34.

(k) Sulpitius Sev. in vita S. Mart.

te authoritatis ac rationis, a qua ſuffulciuntur. Ex quo ſequitur, nemini poſſe inuri cenſuram qualemcunque, ſuppoſito, quod Eccleſia deſuper nihil ſtatuerit, ac *Traditionem piam* in ſuo valore reliquerit, ſi ex rationibus gravioribus opinionem *piæ Traditioni* adverſantem amplectatur, præcipue noſtro ævo, ubi excuſſis accuratius antiquis monumentis haud paucis ſimilibus Traditionibus pene omnis probabilitas eſt adempta.

Quid authoritatis piis credulitatibus ſuperaddat approbatio Eccleſiæ?

Sed quid, poſſet quis quærere, ſi tales Traditiones ab ipſa Eccleſia ſint ſpecialiter approbatæ per litteras & Brevia Pontificia, quemadmodum paſſim approbatas ſcimus? ſic enim pia quædam loca, in quibus Guttulæ de SS. Sanguine Chriſti adhuc in terris exiſtentes aſſervari dicuntur, exhibent *Brevia Apoſtolica* eas ſingulariter approbantia: ſic alias paſſim Reliquias, revelationes, miracula, apparitiones, & viſiones aliaque facta a ſede Pontificia ſingulari prorſus approbatione approbari ſcimus, ita ut in quorumdam honorem ſpecialia feſta ab univerſali Eccleſia celebranda ſint inſtituta (l). Dicendum igitur, tales approbationes neutiquam ſuperaddere hiſce Traditionibus pondus certitudinis indubitatæ, ne dicam fidei, ſed id ſolum operari, quod talia facta pia fide credi, tales Reliquiæ pie coli, apparitiones & viſiones pia memoria recoli valeant, & revelationes approbatæ nil fidei aut bonis moribus contrarium contineant. Neque propterea, ſi forſitan Reliquiæ non forent *identicæ*, aut *apparitiones falſæ*, Religioni periculum eſt timendum, quoniam ad dirigendos actus virtutis Religionis, aliarumque virtutum, excepta fide, cujus actus omnimodam certitudinem excluſivam omnis formidinis de contrario exigunt, ſufficit probabile verum excluſivum falſi practice talis, ac prudentialis, quin requiratur certitudo omnimoda, quæ rariſſime in praxi haberi poteſt (m). Et demus Reliquias eſſe *ſpurias* & *falſas*, propterea cultus non profanatur; cum cultus ſit reſpectivus, & ſemper ſuum objectum ſaltem primarium & ultimatum, quod eſt DEUS, attingat. Utrum vero ſententia *piis* hiſce *traditionibus* favens magis reſpondeat Eccleſiæ *ſenſis*, *æquitati*,

(l) Sic celebramus feſtum B. V. ad Nives, SS. Scapularis &c.

(m) Sic licite adoramus hanc numero hoſtiam a Sacerdote conſecratam, eſto certitudinem ne quidem moralem de ea habeamus. Item innumeras veneramur Reliquias, de quibus authentice non conſtat.

Google

æquitati, *ac pietati*, ut vult Author Animadverſ. in regul. & uſum Criticæs, aliis diſcutiendum relinquimus (n).

Eccleſia ſemper fuit cautiſſima in approbandis piis credulitatibus.

Quoad quartum profecto Eccleſia a primæva ſua origine quam cautiſſime ac prudentiſſime in hanc usque diem egit, & providit, ne *traditiones piæ* nimium multiplicarentur, vel harum loco omnino *vulgares* obtruderentur. Cum jam ad initium Eccleſiæ eſſent, qui falſa acta conſcriberent, & Eccleſiæ ſupponerent (o), ajunt, jam a Clemente, vel quocunque alio ſeptem Notarios fuiſſe conſtitutos, qui genuina acta Martyrum annotarent, & paulo poſt a Fabiano Pontifice ſeptem delectos Subdiaconos, qui ſeptem Notariis invigilarent, & quibus incumberet cura accurate & fideliter acta Martyrum cogendi, & ſcriptis mandandi. Quidquid tamen de his ſit, quæ non ſatis ſunt certa, certiora videamus. Exſtat Canon. Concil. Illiberitani ex Sæc. 4. quo decretum eſt, poſthac nullas receptum iri Martyrum Reliquias, quæ in anteceſſum ab Epiſcopis non fuerunt approbatæ. Neminem Juris, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritum latet vigilantiſſima cura Gelaſii Pontificis Sæcul. 5. labente Synodum Romæ congregantis, in qua edidit celebre decretum, & in eo ingentem farraginem operum fabuloſorum proſcripſit, & damnavit (p). Cæteris præteritis ad ultima veniamus tempora. Synodus Trident. quoque Seſſ. 25. providit de reficiendis Breviario, Miſſali, aliisque libris Eccleſiaſticis, cujus decreto obtemperare volentes Epiſcopi Galliæ, aliique varia cogere Concilia provincialia, in quibus de repurgandis libris Eccleſiaſticis actum fuit. Quid Epiſcopi quidam Galliæ in purgando Breviario egerint, & ipſe F. M. Pontifex Benedictus XIV. meditatus fuerit, neminem ignorare ſuppono. Quem latet rigidiſſimum illud SS. Reliquiarum examen Sæc. 6. in Hiſpania a Synodo Cæſarauguſtana de anno 592. introductum, quo Reliquiæ SS. dubiæ igne probari debebant, ita ut ſi in cineres reſolverentur, pro *ſpuriis*, ſi incolumes & intactæ exirent, pro *genuinis* eſſent habendæ. Quam in rem duo notabiliſſima exempla affert Mabillonius, unum de particula lintei, quo pedes diſcipulorum Salvator exterſiſſe creditur; & alterum de corpore

(n) Honoratus a S. Maria Tom. 2. lib. 1. Diſſert. 1. art. 1.

(o) Vid. dicta ſupra de Presbytero Acta Apoſtolorum conſcribente.

(p) Decretum Gelaſii exſtat in decreto Gratiani cap. 3. diſt. 13.

Digitized by Google

pore S. Felicis (q). Quid dicam de noviſſimis Eccleſiæ decretis contra abuſus SS. Reliquiarum & earum cultum noviſſime editis, e quibus notatu dignum eſt decretum generale S. Congreg. Rituum 1691. editum, & ab Innocentio XII. approbatum, in quo varii abuſus perſtringuntur, & ſpecialiter officia divina, ſolemnitates feſtorum, niſi ſub certis conditionibus, de SS. Corporibus & Reliquiis interdicuntur. Quanta cum circumſpectione, cura, ſolicitudine, ac induſtria ferme plus quam humana procedat Eccleſia in Canonizatione Sanctorum, maxime vero in approbatione miraculorum, quæ in canonizando requiruntur, ſat dici nequit. Teſtantur Scriptores ſtylum curiæ haud ignorantes, ea tam ſevero ſubjici examini, ut ex centum non raro miraculis vix unum approbationem inveniat (r). Plures in hanc rem *Canones* Conciliorum & exempla adducit Author Animad. ſupra cit. (s) & nos adducere poſſemus, quæ tamen non ſine cauſa præterimus. Porro autem, quemadmodum Eccleſia in ſecernendis *Traditionibus piis a vulgaribus* omnem adhibuit operam, ita non raro in illis approbandis neutiquam ſe novercam exhibuit, ſed plures ſua authoritate communivit, non, quod eas velut regulam *fidei* & *morum* ab omnibus ſuſcipiendam proponere voluerit, ſed ut ſuos fideles partim ad imitandas Sanctorum virtutes heroicas, partim ad pie recolenda quædam myſteria vel etiam beneficia cœlitus conceſſa incitaret. Teſtantur id *Brevia Pontificia* paſſim edita, approbationes SS. Reliquiarum, inſtitutiones feſtorum, conceſſiones indulgentiarum eum etiam in finem ab Eccleſia factæ, ut ſuorum fidelium pietati, & devotioni magis magisque inflammandæ fomentum ſuppeditaret.

Eccleſia eſt valde circumſpecta in canonizatione Sanctorum.

Quoad *quintum* abſit, ut novo Pelago nos committamus, & ſeu pro ſecernendis ab invicem, ſeu recipiendis & rejiciendis *piis Traditionibus* regulas tradamus. Legantur deſuper Scriptores, qui de *Critica*, & obſervandis in ea regulis ſcripſerunt, ſed ita circumſpecte legantur, ut

Res delicata dare regulas pro ſecernendis piis credulitatibus.

(q) Mabillon in Præfat. I. in Sæc. Bened. 6. §. 45.

(r) Aliter antiquitus & aliter hodie fit Canonizatio SS. tria tempora juxta Mabillonium quoad Canonizationem ſunt diſtinquenda, primum usque ad Sæc. 10. alterum ab hoc tempore usque ad Alex. III. & tertium ab Alex. usque nunc. Vid. cit. Author Præf. ad Sæc. 5. 6.

(s) Art. 5.

Criſis debet eſſe moderata. ut non mox *omni Spiritui* credatur, neque eorum regulæ tanquam infallibiles promiſcue recipiantur; homines enim etiam iſti ſunt, a quibus nil humani alienum eſt, qui poſſunt fallere & falli, & non raro ita ſibi invicem in ſuis regulis contrariantur, ut quod huic certum, alteri vix videatur probabile. Cudit nempe ſibi quilibet Criticorum in officina ſui intellectus regulas pro ſuo libitu, genio & ingenio, ex quarum lectione vix alium reportabis fructum, quam intellectum mire turbatum, ſecum ipſo luctantem, an & quasnam ex his regulis juxta regulas Chriſtianæ prudentiæ adoptare poſſit, & debeat (t). Author Animadverſ. novem tradit regulas, quas ſimpliciter recenſere placuit: *Prima:* nulla eſt pia traditio recipienda, quæ argumentis rei, de qua agitur, non ſuffulciatur. *Secunda:* piæ opiniones nihil complectantur fabuloſum, ridiculum, & ſuperſtitioſum, quod fieri non potuit. *Tertia:* oportet poſſe nos juſte & rite præſumere, Eccleſiam, Epiſcopos, aliosque primos piarum opinionum receptores eas non ſine argumento & motivo, licet nobis incomperto, adoptaſſe. *Quarta:* opus eſt examinare, an de morum iſtorum, factorumque veritate ſit dubitandi locus: Si de illis ancipites eſſe poſſumus, afferantur neceſſe eſt, argumenta clara, certa & evidentia, quibus eorum falſitas poſſit demonſtrari. *Quinta:* nihil habeant Traditiones iſtæ adverſus mores & tempora, quibus illæ obtinuerunt, vel adverſus conditionem illorum, qui in Traditionibus iſtis locum habent. *Sexta:* cavendum etiam eſt, ne rerum ſumma complectatur pugnantia invicem, aut adjuncta quædam, quæ cum facto præcipuo non conſentiunt. *Septima:* intereſt etiam, traditiones, mores & facta iſta non fuiſſe directe a Scriptoribus ejusdem ævi oppugnata, vel ab aliis, quorum authoritas de illorum falſitate nos certos efficere poſſit. *Octava:* neceſſe eſt iis, quæ contra objiciuntur, commode ſatisfieri poſſe. *Nona:* ſi quando traditiones iſtæ, aut mores aliquid complecterentur, quod omnibus regulis

Novem regulas dat Author Animadverſionum, quæ recenſentur.

(t) Inter famoſiores Criticos habentur Mabillonius, Papebrochius, Tillemontius, Dupin, Fleury, Launoy, Harduinus, Baill, Dallæus, Baſnage, quorum tres ultimos melius annumerabimus Pſeudo-Criticis, quibus aliqui annumerant Dupinum, Launoyum & Harduinum, qui vix non omnia impugnare auſi ſunt. De Launoy conſtat aliunde, quod communi nomine everſor Sanctorum compellari conſueverit; de Harduino vero, quod ſcholam quamdam Archonticorum finxerit & in hac quamplurima opera excuſa ſomniaverit.

regulis iſtis accommodari usquequaque non poſſet, nefas eſſet, illas ſupprimere, aut repudiare, ſed potius expendendum, utrum ſuppreſſio hæc majori futura eſſet populis offenſioni, quam uſus ædificationi; atque an expediret magis id tolerare, quod ſine majori offenſione aut tolerare aut oppugnare non poſſumus. Huc usque cit. Author (u) ubi regulas exemplis illuſtrat. Viderit quilibet æquus rerum arbiter, an regulæ iſtæ ſint infallibiles, & ſimplicem ac prudentem conſenſum mereantur.

Unica a nobis traditur regula.

Nos unicam, abſtrahendo a particularibus, damus regulam generalem, nempe hanc, ut in recipiendis, vel rejiciendis dogmatibus ſimus cauti, circumſpecti, & nec nimis *ſcrupuloſi*, nec *exceſſive Critici*. Dixi *primo*, *nimis ſcrupuloſi;* periculum Religioni, pietati & ſaluti fidelium metuentes, ubi non eſt. Stabit immota Religio, & Chriſtiana virtus, neque animarum ſalus periclitabitur, etiamſi plures *piæ traditiones* amandentur. Fulcra Religionis, virtutis & morum ſunt *Scriptura*, & *Traditio* DEI, ac Eccleſiæ, & ex his enata *fidei*, *morum*, & *diſciplinæ* dogmata:

Traditiones piæ abſolute non ſunt neceſſariæ.

remedia vero ſalutis ſumme neceſſaria ſunt fuga peccati, exercitium virtutum, frequens & pius Sacramentorum Eccleſiæ uſus. Metuendum potius, ne nimius & nimium ſcrupuloſus zelus, & fervor in hiſce piis traditionibus defendendis aliquoties nocumento ſit & ſaluti fidelium, & Religioni: illis quidem, ſi fideles nimis ſint creduli, nimis fidant, & in iis anchoram quaſi ſalutis collocent, & interna ſalubriora, magisque neceſſaria ſalutis remedia negligant: Religioni vero, ſi hiſce traditionibus veluti fundamentis ſtructuram Eccleſiæ ſuperædificent; quoniam hoc modo Eccleſia irriſioni, & contemptui hæreticorum, & aliquoties periculo, ne latens falſitas detegatur, exponitur.

Sed nec ſimpliciter rejiciendæ.

Dixi ſecundo: nec *exceſſive Critici* omnes *pias traditiones* ex motivis quibuscunque ſpeciem veritatis præſeferentibus, & in intellectu unius alteriusve Critici excuſis ad fabulas aniles ablegantes, tunc præcipue, quando pro traditione aliqua pia ſtat authoritas non qualiscunque, ſed tanta, quæ ferme moralem certitudinem efficit, quam profecto argumenta quædam, maxime negativa & ſeveriori Criticæ innixa infringere nequeunt. Exceſſiva certe eſt illimitata eorum criſis, qui traditiones *pias* peue omnes ſibilo explodunt; quin & ipſam Eccleſiam dente canino arrodunt.

(u) Loc. cit.

rodunt, quod illis ſuam authoritatem accommodaverit, & pro ſtimulo pietatis Chriſtianæ ad pie recolenda quædam myſteria feſta inſtituerit, ſodalitia erexerit, & Indulgentias conceſſerit. Haud paucos irrepſiſſe abuſus nemo ignoraverit: tollantur ergo abuſus, & bonus uſus retineatur. Moderata ſit *criſis*, quia *exceſſiva* viam ſternit ad *Pyrrhoniſmum*, in quem quosdam magni nominis, & a ſua eruditione orbi literato notiſſimos viros incidiſſe haud ignoramus (x).

Atque his etiam huic Quæſtioni finem imponimus cum ſinceriſſimo voto

ut

In omnibus glorificetur DEUS.



(x) E. g. Bail.

QUÆSTIO

QUÆSTIO III.

DE CONCILIIS GENERALIBUS ET PARTICULARIBUS.

Poſt Scripturam & Traditionem in Eccleſia Catholica præcipuæ authoritatis ſunt Sacro-Sancta Concilia, quorum originem refundimus in ipſum jus Divinum. Eſt hæc materia valde difficilis, delicata, & ſummi momenti. Profecto ſi quæ ſint in tota Theologia ac Jurisprudentia quæſtiones, quæ ingenti animorum contentione aguntur, & non modo Heterodoxos, & Catholicos; ſed etiam hos inter ſe collidunt, illæ certæ ſunt, quæ de authoritate Conciliorum ac Pontificum diſputari conſueverunt. Quid non agunt Proteſtantes, ut hanc authoritatem ad ima detrudant, vel omnino peſſundent, firmiſſime ſibi perſuaſum habentes, hac diruta tanquam fundamento plurium Dogmatum Catholicorum molem deſuper ædificatam haud difficulter ſubruendam. Quanto fervore inter ſe digladiantur Catholici, ſuis quique præjudiciis præoccupati, quorum aliqui authoritatem Conciliorum ſupra Pontificem; alii Pontifici primas vindicare totis viribus contendunt. Quocunque te vertas, immoderatam Criſin non effugies. Cætera, quæ hic dici poſſent, in ampliorem præfationem reſervamus. Superi conatibus noſtris adſint. Tu Lector vale & fave.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De nomine natura diviſione & origine Conciliorum.

CAPUT II.

De Requiſitis Conciliorum.

CAPUT III.

De Præliminaribus, modo procedendi, Authoritate & infallibilitate Conciliorum.

CAPUT IV.

De ſtudio & recta intelligentia Conciliorum.

CAPUT V.

De Conciliis particularibus.

Digitized by Google

CAPUT I.

De nomine, natura, diviſione & origine Conciliorum.

§. I. *Quid nominis,* II. *Quid rei ſit Concilium?* III. *Quæ diviſiones illius?* IV. *Quis ſit numerus Conciliorum generalium?* V. *Quæ in ſpecie ſint Concilia generalia hactenus celebrata?* VI. *Quæ origo Conciliorum & cujus ſint juris?*

§. I.

Quidnam nominis ſit Concilium vel Synodus?

Auſpicamur a Conciliis, quorum in Eccleſia Catholica poſt S. Scripturam & Traditionem præcipua eſt authoritas eo ſaltem ſenſu, quod pleraque, eaque principaliora fidei, ac diſciplinæ capita (a) non niſi in Conciliis fuerint definita, nec aliter finiri potuerint, etſi adhuc ſub Judice lis ſit, majorne ſit authoritas Concilii, an Pontificis, de qua controverſia modeſte ſuo loco differemus. Concilium igitur apud Latinos idem eſt, ac apud Græcos *Synodus*: & hinc frequentiſſime ipſi etiam Latini potius vocabulo *Synodi*, quam *Concilii* utuntur. Concilium autem dicitur vel a *conſidendo*, vel a *con, & cilio*, vel a *concalando* id eſt *convocando*, ſeu *conciendo*, nempe a Græco καλειν, quod eſt vocare vel συγκαλειν, quod eſt *convocare, congregare:* unde Latinorum *calare & calata comitia* (b). Eſt tamen diſcrimen inter Comitia & Concilia; quod comitia conventum totius populi ferendorum ſuffragiorum cauſa inſtitutum, Concilium vero partem notabiliorem populi congregatam; haud ſecus ac apud Græcos Synodus non quemcunque ſed celebriorem conventum, ſignificet: ſic enim apud Græcos alius erat *conventus Senatorum*, quem *Synedrion*; alius *populi*

 unam

(a) E. g. Dogmata fidei contra Rebaptizantes, Arianos, Macedonianos, Neſtorianos, Eutychianos, Monothelitas in Conciliis Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi, & Conſtantinopolitano III. fuere ſtabilita. Idem dicendum de dogmatibus fidei contra Proteſtantes & Reformatos in Concil. Trident. ſtabilitis.

(b) A *conſidendo* Concilium vocat Iſidorus Hiſpalenſis: a *calando* Varro teſte Joanne Douiat lib. 2. Prænot. Canon. cap. 1.

unam civitatem inhabitantis, quem Ἐκκλησίαν, id eſt concionem; & alius, ad quem unius Regni, vel Provinciæ, vel diverſi ordinis homines confluebant: & hunc *Synodum* vocabant (c).

§. II.

Quid proprie ſit Synodus, nondum inter DD. convenit.

In hanc usque diem nondum inter Eruditos convenit, quid proprie ſit *Synodus*, vel *Concilium*, & quæ genuina & Characteriſtica illius ſit notio? Nomen iſtud diverſimode fuit antiquitus uſurpatum, & ferme omnibus conventibus congreſſibus & concionibus applicatum (d), ita quidem, ut, quemadmodum optime animadvertit celeberrimus Auctor Operis de *Synodo Diœceſana* (e) ipſa etiam loca ſtabiliter ad celebrandos conventus deſtinata dicerentur *Synodi*. Hoc in ſenſu Eccleſiæ, in quibus ad celebranda divina convenere Chriſtiani, dicebantur *Concilia*, *Synodi*, & ſpecialiter *Concilia Martyrum*: eo quod more antiquitus recepto pii fideles primitivas Eccleſias ſuper ſepulchris Martyrum erigere conſueverint, prout Idem multis illuſtrat exemplis (f).

Nomen Synodi diverſimode fuit acceptum.

Nemo profecto in explicando genuino conceptu *Synodi* ſcrupuloſior, quam Doctores Proteſtantici, qui, ut Synodum diſtinquant ab aliis conventibus, congreſſibus, quales ſunt Comitia publica Principis & Procerum ad tractanda negotia imperii convenientium, conventus Cleri alicujus provinciæ vel regni, quales non raro in Gallia & Anglia celebrantur, congreſſus Doctorum unionis conciliandæ gratia inter diverſas Religionum ſectas conſultantium, in eo differentiam eſſentialem reponunt, quod ad Synodum plures communitates ſejunctæ, ſimul tamen confœderatæ, aut potius earum Superiores poteſtate decidendi inſtructi

In explicanda notione Synodi valde ſcrupuloſi ſunt DD. Proteſtantici.

(c) Vid. Hugo Grotius de Imper. ſumma Poteſt. circa ſacra cap. 7. ubi inter alia hæc habet: *Omnes Germanicæ originis Reges atque Imperatores duplici conſilio antiquitus utebantur, altero ſtatario, qui Senatus dicitur ad res quotidianas, altero evocato, qui Concilium aut conventus ordinum ad res momenti majoris.*

(d) Vid. Entwurf einer vollſtändigen Hiſtorie der Kirchen-Verſammlungen Chriſtian Walchs pag. 4. & ſeq. Item Mosheim allgemeines Kirchen-Recht ꝛc. cap. 1. §. 4. pag. 69. Bingham Orig. Eccleſ. vol. 1. pag. 123. item du Freſne in Gloſſario.

(e) Eminent. Proſper Lambertini poſtea Eccleſiæ Pontifex Benedictus XIV.

(f) Lib. 1. cap. 1. N. 1. aliunde notum eſt, quod antiquitus Eccleſiæ ſuper ſepulchris Martyrum fuerint erectæ: inde deſcendit mos inferendi Eccleſiis, & Altaribus SS. Reliquias Martyrum, ſi conſecrentur.

Digitized by Google

inſtructi vel per ſe vel per ſuos delegatos & reſpective Repræſentantes convenire debeant (g). Atque hanc notionem eo magis neceſſariam eſſe exiſtimant, quanti pluris intereſſe dignoſcitur, ne conventus qualeſcunque cum Synodis confundantur, & hac ratione ingens rerum confuſio in hiſtoriis Eccleſiaſticis oriatur: facile enim fieri poſſet, ut a Comitiis imperii vel provinciæ, a conventibus Clericorum, vel Doctorum quibuscunque ad Synodos concludatur. Quapropter genuina notio Synodi ex hiſtoriis eſt emetienda, videndumque, quid Eccleſia vetus & nova nomine Synodi intellexerit (h). Porro autem ſive hiſtoriam antiquioris ſive novioris Eccleſiæ conſulamus, aperte conſtabit, quod ex uſu Eccleſiæ communius nomine Synodi & Concilii venerint conventus Eccleſiaſtici, ad quos confluxerunt plures vel ejusdem vel diverſarum provinciarum Epiſcopi; alii autem conventus aliud nomen fuerint ſortiti (i).

Et quare?

Hæc notio neceſſaria ad evitandam confuſionem nominum & rerum.

Synodus ex uſu ſignificat Conventum Eccleſiaſticum Præſulum.

Aliam ſubeſſe rationem, ob quam tam ſolicite in genuinam Synodi notionem inquirunt Proteſtantes, non ex vano ſuſpicor. Et quam? nempe cum ipſi originem Conciliorum in jus divinum eſſe refundendam plerumque negent, quam Catholici ex Actibus Apoſtolorum & celebri illo conventu Jeroſolymis habito Act. 15. oſtendere contendunt, argumento fortiori Catholicam doctrinam haud poſſe impugnari facile perſpiciunt, quam ſi illum conventum Jeroſolymitanum fuiſſe veram Synodum negent, eo quod plures communitates, aut earum Repræſentantes non confluxerint (k). Idcirco negant, quod ante finem ſæculi

Quare Proteſtantes tam ſint ſoliciti circa notionem Synodo propriam?

(g) Idem Walchius p. 4. In den Schulen der Proteſtantiſchen Gottes-Gelehrten ſind die Erklärungen eines Concilii von derjenigen, die wir gegeben haben, nur darinnen unterſchieden, daß wir den Begrif mehrerer Gemeinden vor weſentlich halten, welchen andere auszulaſſen pflegen. Item Mosheimius pag. 69. quem mox infra citabimus.

(h) Idem Walchius, dum dicit: Es iſt dahero deſto nöthiger einen rechten Begrif feſt zu ſetzen, damit nicht in der Kirchen eine ſchädliche Verwirrung entſtehe. pag. 5.

(i) Sic conventus Epiſcopi cum ſuo Clero dicebatur *Presbyterium;* conventus Procerum & Magnatum apud Reges Francicos *Comitia;* conventus inter diverſæ Religionis Doctores *colloquia;* & hodiedum Conventus Cleri in Gallia & Anglia vocantur *Congregationes, Convocationes* &c.

(k) Es iſt ein Streit, dicit Mosbemius pag. 69. wann dergleichen Kirchen-Verſammlungen entſprungen ſind. In dieſe Streitigkeit hat ſich ein Wortſtreit eingemiſchet,

ſæculi II. ulla fuerit Synodus celebrata, aut conventus Epiſcoporum cum ſuo Clero, quem *Synodum Diæceſanam* vocamus, in ſenſu proprio Synodus vocari queat (l).

Verum enim vero quis hos Doctores Proteſtanticos conſtituit Dictatores, ut pro ſuo libitu notionem Synodi qualemcunque nobis obtrudere valeant? An non ipſi fatentur, quod nomen *Synodi* promiſcue fuerit uſurpatum (m)? In ordine ad quæſtionem de origine Synodorum infra decidendam parum hæc notio Synodi ſtricte nimis accepta ipſis patrocinabitur, dummodo oſtendamus, quod Chriſtus normam decidendi controverſias ſeu fidei ſeu diſciplinæ, conſultandi, & tractandi de negotiis Eccleſiæ præſcripſerit, atque horum deciſionem conventui illorum ſubmiſerit, quos conſtituit *regere Eccleſiam DEI*, eſto pro illis rerum ac temporum circumſtantiis, in quibus fines Eccleſiæ fuere valde anguſti, nec omnes facile convocari potuerint, convenientes vero fuerint pauci. Procul dubio in hiſtoriis Eccleſiaſticis nomine *Synodi* veniunt conventus Eccleſiaſtici in ordine ad tractanda negotia Eccleſiaſtica congregati: ſed anne ſemper convocati fuere *conventus majores*, nempe Synodi Provinciales, Nationales, vel omnino Generales,

Quidquid nomen Synodi ſignificet,

Dummodo Chriſtus certam normam decidendi cauſas præſcripſerit,

---

ſchet, und um denſelben zu vermeiden, muß man nur merken, daß das Wort Concilium eine weite, und engere Bedeutung habe. In jenen bedeutet es eine angeſtellte Zuſammenkunſt über Kirchen-Sachen; Nach dieſer Bedeutung ſind frühzeitig, und ſelbſt zu der Apoſtel Zeiten, Kirchen-Verſammlungen gehalten worden. Dahero pfleget man die Verſammlung zu Jeruſalem Apoſtelgeſch. XV. das erſte Concilium zu nennen. Allein dieſe Verſammlung war eine Zuſammenkunſt einer einzigen Kirche. In ſeiner eigentlichen Bedeutung iſt ein Concilium eine Verſammlung verbrüderter Gemeinen, die eine Ordnung der Gemeinde machen.

(l) Und in dieſem Verſtande ſind in den erſten hundert und fanfzig Jahren nach Chriſti Geburt keine Kirchen-Verſammlungen gehalten worden. Dann in den erſteren Zeiten findet man keine äuſſerliche Verbrüderung. Idem pag. 70.

(m) *Synodos Græci interdum vocant qualescunque cætus, ut in Ignatio, & edictis Conſtantini videre eſt*, ait Hugo Grotius de Imper. Summa Poteſt. circa ſacra cap. VII. & paulo poſt: *Conventus Ordinum Regni alicujus ut latine Concilium, ita Græce Synodus recte dicitur. Quare & in Hungariæ decretis conventus Epiſcoporum & Optimatum Regni Synodus vocatur. Et Carolus Magnus Patritius Romanorum declaratur in Synodo, hoc eſt, Ordinum conventu, prout explicat Goldaſtus.* loc. cit.

les, ad quas plures Eccleſias confœderatas, aut potius illarum Rectores vocare neceſſum erat. Et demus hujusmodi *Synodos majores:* exinde non ſequitur, quod non dentur conventus Eccleſiaſtici *minores*, quos *Synodos Diœceſanas* appellamus, & paſſim Scriptores Eccleſiaſtici nomine *Synodorum* appellare conſueverunt. Timor ille confuſionis in hiſtoriis Eccleſiaſticis pertimeſcendæ eſt inanis, & imaginarius. Timent hi Doctores, ubi non eſt timor. Non eſt tantæ difficultatis res dare notionem Synodi, quæ illam a cœteris omnibus conventibus differre faciat: nam dicamus, quod *Synodi ſint Conventus Eccleſiaſtici a Superioribus Eccleſiaſticis ad negotia publica & privata Religionis Eccleſiæ vel univerſalis vel particularis legitime convocati.* Hac ſane ratione Synodus jam differt a cœteris omnibus conventibus & congreſſibus, ſpecialiter a *Conventibus Eccleſiaſticis*, in quibus celebrantur divina, a *congreſſibus Doctorum* de negotiis, cauſis, & controverſiis religionis conſulentibus; utpote qui non ſunt Rectores Eccleſiarum poteſtate decidendi inſtructi ſed meri pacificatores; a *Comitiis*, ad quæ vocabantur etiam Proceres & Magnates, ut de negotiis publicis utriusque Reipublicæ tam Politicæ quam Eccleſiaſticæ conſulerent; a *Conventibus Clericorum* Galliæ, Angliæ &c. in quibus agitur de negotiis Eccleſiaſtico-Politicis.

Proteſtantium timor eſt inanis. *Definitio Synodi.* *Differt ab omnibus aliis conventibus.*

Ex his jam facile eſt aſſignare notas characteriſticas *Synodi Eccleſiaſticæ*, quin neceſſum ſit notionem a Doctoribus Proteſtanticis excogitatam adoptare. Tres ergo ſunt tales notæ, quarum prima eſt, ut fiat convocatio a legitimo quodam Superiore Ecceſiaſtico. Tales ſunt ſoli Epiſcopi, quos ſolos Chriſtus poſuit *regere Eccleſiam DEI.* Altera ex fine & ſcopo eſt deſumenda, qui alius eſſe non debet quam bonum Religionis & Eccleſiæ. Tertia eſt, ut ſit conventus vel Epiſcoporum, vel etiam inferiorum Clericorum ad tractanda negotia Eccleſiaſtica convocatorum (n).

Notæ characteriſticæ ſunt tres.

Inde ulterius ſequitur quod etiam Conventus Epiſcopi cum ſuo Clero Diœcecеſano (o) jure dicatur *Synodus* cum addito *Diœceſana.* Quod ſiquis proterve nobiſcum contendere, & Synodum Diœceſanam e claſſe *Synodorum Ecceſiaſticarum proprie talium* expungere velit, cum ipſo ſine

Etiam Synodus Diœceſana eſt propria Synodus.

(n) Per verba: *Inferiorum Clericorum* deſignatur *Synodus Diœceſana.*

(o) Aliud enim eſt *Clerus Diœceſanus*, & aliud *Presbyterium Epiſcopi*: nomine Cleri veniunt omnes Clerici Diœceſeos; nomine *Presbyterii* ſolus Senatus Epiſcopi, qualem antiquitus omnes habuere Epiſcopi.

ſine piaculo tranſigere poſſumus; utpote quod exinde Religioni & principiis catholicis nil præjudicii ſit pertimeſcendum. Stabit immota authoritas Concilii Jeroſolymitani, etiamſi Synodi Diœceſanæ proprie talibus non annumerentur, ſicut infra explicabitur.

Definitio Synodi ex Grotio.

Quod ſi quis jam velit definire Synodum in genere prout contradiſtinctam a cœteris conventibus juxta notionem a Grotio aliisque Doctoribus Proteſtanticis explicatam, & hanc applicare aliis Conventibus non Eccleſiaſticis, dicere poſſet cum Grotio (p), quod Synodus in genere ſit *conventus quidam celebrior omnium Ordinum, vel unius Ordinis hominum e pluribus locis confluentium negotiorum majorum tractandorum gratia convocatus*. Hoc modo ex mente Grotii (q) differt Concilium ab aliis conventibus e. g. *Comitiis*, ad quæ confluit omnis populus (r). A *Senatu*, quem Viri quidam honoratiores conſtituunt, quorum conſilio Imperantes in quotidianis negotiis utuntur.

Quid Synodus?

Quoniam vero uſu invaluit, ut ſoli conventus Eccleſiaſtici dicantur Synodi vel Concilia, & de his ſolis nobis agendum ſit, aliam definitionem Synodi, quam ſupra datam, afferre ſupervacaneum ducimus: manet ergo quod Concilium Eccleſiaſticum ſit *Conventus Eccleſiæ Præſulum ad tractanda negotia Religionis legitime convocatus*. Videantur ſupra dicta.

§. III.

Diviſiones Concilii.

Diviſiones Concilii, ſi accurate differere velimus, afferri poſſunt quamplurimæ. I. Igitur dividitur Concilium in pure *Eccleſiaſticum*, & *mixtum* (s): illud ex ſolis Præſulibus, & Magnatibus Eccleſiaſticis (ſaltem principaliter) (t) ad tractanda negotia Eccleſiaſtica duntaxat; iſtud etiam ex Optimatibus Regni ad ordinandam utramque Politiam Eccleſiaſticam & Civilem eſt conflatum. Talia Concilia fuere frequentia quondam Conſtantinopoli apud Imperatores (u) & poſtea in Gallia, ubi

(p) Loco ſupra citato. (q) Ibid.

(r) Conceptus iſte Grotii, dum dicit, quod ad Comitia populus convocetur, ex toto verus non eſt; nam Comitia dicuntur frequentius illi Conventus, ad quos Proceres & Magnates convocantur.

(s) Hæc diviſio non eſt proprie talis: quia Concilia mixta potius ſunt dicenda *Comitia*.

(t) Eſto enim admittantur etiam alii e. g. Oratores Imperatoris, Regum & Principum, non tamen admittuntur cum ſuffragio, & voto deciſivo, vel conſultivo ſaltem in materia fidei.

(u) Vid. Thomaſinus part 2. lib. 3. cap. 46. ubi plura refert exempla, quod Epiſcopi

Google

ubi Reges ordinarie in omnibus negotiis majoribus non Eccleſiæ tantum ſed etiam Imperii conſilio & Epiſcoporum, & Optimatum uti conſueverunt: & hinc talia Concilia paſſim vocabantur *Regia* (x). Concilia pure *Eccleſiaſtica* dividuntur II. in *Generalia*, quæ etiam dicuntur *Oecumenica*; & *particularia*: illa ſunt, ad quæ vocantur per epiſtolam encyclicam univerſi totius orbis Epiſcopi, qui volunt & poſſunt intereſſe, etſi non omnes compareant; dummodo ſint legitime vocati: Iſta vero ſunt, ad quæ unius Nationis, Provinciæ, vel Diœceſeos Præſules vel alii Clerici convocantur: & hinc ſunt vel *Nationalia*, vel *Provincialia*, vel *Diœceſana*, de quibus agemus cap. ſeq. III. *Generalia* iterum vel ſunt *abſolute*; vel *ſecundum quid & reſpective* talia: Priora ſunt illa ipſa, quæ ſupra deſcripſimus: Poſteriora ſunt, quæ vel ex fama & uſu, vel ab authoritate convocantium, præſidentium, vel a numero convenientium ſunt valde ſpectabilia, ut propemodum univerſalibus videantur exæquanda, qualia dantur plura e. g. *Arelatenſe I.* ſub Sylveſtro Papa juſſu Conſtantini M. in cauſa Donatiſtarum congregatum, & a S. Auguſtino plenarium vocatum (y), ad quod ducenti circiter confluxere Epiſcopi. *Sardicenſe*, quod communius velut appendix Concilii Nicæni habetur (z). *Conſtantinopolitanum in Trullo*, quod vocari ſolet *Synodus quiniſexta* (a). V. Alia iterum ſunt Concilia generalia ab Eccleſia

Concilia Eccleſiaſtica ſunt quadruplicis generis.

Generalia vel abſolute vel reſpective talia.

Alia approbata alia reprobata.

Cc 2

ſcopi Conſtantinopolim fuerint vocati, ut cum Imperatore & Magnatibus de negotiis Imperii conſultarent. Unum adduxiſſe ſufficiat: ſic Juſtinus Junior jamjam animam efflaturus Pontificem, Epiſcopos omnes, Senatum & Magiſtratus convocaſſe legitur, ut ſucceſſorem deſignarent.

(x) Vid idem Author loc. cit. Petrus de Marca lib. 6. de concor. cap. 24. nunquid enim ex Hiſtoria Eccleſiaſtica notum eſt, quod antiqui Imperatores & Reges nihil, quod erat majoris momenti, agere conſueverint ſine conſilio Epiſcoporum, quos frequentes in ſuis aulis habebant, & velut comites ſecum aſſumebant, etiam dum in aciem progrediebantur.

(y) In epiſt. 215. ſed ut bene notat Natal. Alex. Hiſt. Eccleſ. ad Sæc. 3. diſſert. 24. vocavit illud non plenarium ſimpliciter, ſed totius Africæ.

(z) Cujus ratio duplex eſt, tum quod in eo confirmata fuerit fides Nicæna, tum quod huic Concilio plerique Nicænorum Patrum interfuerint. Hoc Concilium in eo eſt celebre, quod in illo Appellationes ad Sedem Pontificiam, ut docet Nat. Alex. fuerint ſtabilitæ; vel, ut vult Petrus de Marca, noviter introductæ.

(a) Dicitur in Trullo, quia habitum fuit in Secretario Palatii, quod ob concameratum

Digitized by Google

cleſia *approbata*, & alia *reprobata*, quæ communius vocantur *Conciliabula:* Priora ſunt, quæ Eccleſia ſua authoritate communivit; poſteriora, quæ velut defectuoſa ex quocunque capite nunquam in Canonem Conciliorum recepit. Talia dantur plura, e. g. *Sirmienſe* ſubſcriptione Oſii Cordubenſis, & Liberii Pontificis contra Athanaſium famoſum; *Ariminenſe*, de quo S. Hieronymus ſcribere non dubitavit, illud in cauſa fuiſſe, ut totus orbis ingemiſceret, ſeque Arianum fuiſſe miraretur (b). *Epheſinum II.* quod Catholici dixere *latrocinale*, ſeu *prædatorium* (c). VI. Quædam ſunt *approbata ex omni*, quædam *ex una tantum*

Alia ex omni, alia ex

ratum faſtigium Trulli, ſive Trullæ nomine appellebatur. Dicitur quiniſexta, quod quintæ & ſextæ Synodo generali velut appendix eo prætextu fuerit addita, quod quinta & ſexta Synodus nullos edidiſſent Canones utpote in ſolis fidei controverſiis occupatæ. Canones edidit 102. & a Græcis ſchiſmaticis plurimi æſtimatur, etſi quondam nec ab Orientalibus omnibus fuerit receptum. Eccleſia tamen Occidentalis nunquam velut œcumenicum recepit, aut approbavit, quia citra Romanæ Eccleſiæ authoritatem coivit. Hadrianus Papa nihilominus non ex integro improbaſſe videtur. Hujuſmodi Concilia quaſi generalia numerantur plura, & potiſſimum XIV. Arelatenſe I. de Anno 314. Sardicenſe An. 347. Trullanum An. 692. Francofurtenſe An. 742. juſſu Caroli M. convocatum, & ex eo potiſſimum capite celeberrimum, quod cultum imaginum exceſſivum a Græcis in Synodo Conſtantinop. (fueritne hæc Synodus quædam pſeudo- vel ipſa genuina Synodus generalis VII. adhuc diſputatur inter Eruditos) ſtabilitum reprobaverit. ſuper quo vid. Mabillonius, Sirmondus, Labbeus &c. Claremontanum An. 1095. ſub Urbano II. Pontifice, Imperatore Henrico IV. & Rege Galliarum Philippo I. a ducentis & amplius Patribus celebratum. Turonenſe III. an. 1163. Præſide ipſo Alexandro III. a 124. Epiſcopis, & Abbatibus plus quam 400. contra Victorem II. Pſeudo-Pontificem congregatum.

(b) In Dialogo contra Luciferianos: quo ſenſu id intelligendum vid. in Theologis, & in ſpeciali Diſſert. Thomaſini.

(c) Ferme innumera ſunt Conciliabula, & pſeudo-Synodi usque nunc celebrata. Ex his famoſiora ſunt, quæ in cauſa Arianorum contra Orthodoxos; & Græcorum ſchiſmaticorum, quæ contra Latinos fuere habita; & ſunt potiſſimum ſequentia: *Mediolanenſe* an. 355. a Liberio Pontifice juſſu Conſtantii Imperat. indictum a ſacris ædibus in ædes Principis translatum, ubi plerique Epiſcopi, quorum circiter 300. convenerant, coacti ad ſubſcribendum damnationi

tantum parte, & ita quoad aliqua ſaltem *reprobatâ*. In exemplum adducere ſolent communius Concilium *Conſtantienſe*, & *Baſileenſe*. Utrumque acceptant Galli tanquam legitimum, quoad ea etiam, quæ in ſeſſ. 4. & 5. Concil. Conſtant. de Superioritate Concilii ſupra Pontificem fuere aſſerta, ac in ſeſſ. 3. Concil. Baſileenſis confirmata. Econtra reprobant quoad has ſeſſiones tanquam illegitima Itali, & Germani (d). Hiſce plura alia & aliqua etiam ex magis principalioribus accenſeri poſſent e. g. Concil. *Conſtantinop. I.* quod teſte S. Gregorio M. (e) Eccleſia Romana nonniſi quoad ea, quæ contra Macedonium fuerunt definita recepit: item *Chalcedonenſe* quod Leo M. non ex toto ratihabuit, ſed unice quoad id, quod ad fidem pertinebat (f). *una tantum parte appro-bata.*

VII. Iterum alia ſunt Concilia generalia ab univerſali Eccleſia tam Occidentali, quam Orientali; alia ab una tantum ſeu Occidentali ſeu Orientali recepta. Inter priora primum locum merentur quatuor prima Eccleſiæ Concilia *Nicænum I. Conſtantinopolitanum I. Epheſinum* & *Chalce-* *Alia ab utraque Eccleſia Occidentali & Orientali, & alia ab una ſunt approbata.*

tioni Athanaſii, pauci exilio mulctati, inter quos etiam Liberius Papa, alii diriſſime fuerunt habiti. *Sirmienſe* 357. cui amplius quam 300. adfuerunt Epiſcopi potiſſimum Ariani, qui duas formulas parum Catholicas compoſuerunt, quibus celeberrimum illum Oſium jamjam centenarium ſubſcribere compulerunt. Quænam vero ſit illa formula, cui Oſius & Liberius ſubſcripſerunt, videndum in Theologis. *Ariminenſe* an. 359. invito Liberio Pontifice a 600. Epiſcopis celebratum, in quo multi Epiſcopi Catholici exilii ac tormentorum incommodis fracti formulam fidei Arianam approbarunt. *Epheſinum II.* equidem a Leone Pontifice congregatum, ſed Dioſcori Alexandrini ſtudiis mire turbatum: quippe quibus factum eſt, ut hæreſis Eutychiana confirmaretur, plures Epiſcopi ab hæreſi abſolverentur, & Flavianus Patriarcha Conſtantinop. ad mortem usque fuſtibus cæderetur. *Conſtantinopolitanum pſeudo-ſeptimum* an. 754. a Conſtantino Copronymo, invito Pontifice Stephano II. adverſus imaginum cultum indictum. *Conſtantinopolitanum* an. 861. in templo Apoſtolorum Photio Præſide habitum, in quo per vim Ignatius Patriarcha a ſua ſede fuit dejectus. *Conſtantinopolitanum pſeudo-octavum* in templo Sapientiæ an. 879. habitum, in quo Photius mortuo Alexandro reſtitutus.

(d) Vid. Natal. Alex. in Hiſt. Eccleſ. Sæc. XV. & Sæc. XVI. Diſſert. IV. & VIII.

(e) *Romana Eccleſia eosdem Canones vel geſta Synodi illius non habet, nec accepit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum.* S. Greg. M. l. 6. epiſt. 31. (f) Epiſt. 61. & 62.

Digitized by Google

Chalcedonenſe, quibus velut quatuor Evangeliis aut S. Scripturis eſſe aſſurgendum æque in Jure Canonico ac Civili pronuntiatur (g) etſi, ut ſupradictum eſt, Eccleſia Latina non omnes illorum Canones receperit. Atque horum Conciliorum authoritatem etiam ipſi Proteſtantes, licet non omnes, ſuſpiciunt, eorumque doctrinas, ſaltem in quantum eorum dogmatibus non contradicunt, recipere non dedignantur (h). Iſta ſequuntur *Conſtantinopolitanum II. & III.* ac denique *Nicænum II.* quæ æque in Occidentali quam Orientali Eccleſia inſtar Oecumenicorum magno in honore habentur ſaltem hodie: nam Synodum Nicænam II. a Germanis non mox & usque ad Sæc. 9. non receptam; quin imo in Concilio Francofurtenſi a Carolo M. coacto fuiſſe reprobatam (quomodocunque, ſive errore facti, ſive alio modo authoritati Concilii minime præjudicioſo id factum eſſe dicatur) plures aſſerunt Scriptores Catholici (i). Poſterioribus in Eccleſia Orientali accenſeri ſolet *Synodus Trullana*, quam ſaltem cum tempore (ab initio enim nec a Patriarchis Orientalibus excepto Conſtantinopolitano fuiſſe receptam aſſerunt) Græci Schiſmatici velut ſextam Oecumenicam adoptarunt

(g) *Inter cætera autem Concilia quatuor eſſe ſcimus Venerabiles Synodos, quæ totam principaliter fidem complectuntur, quaſi quatuor Evangelia, vel totidem paradyſi flumina.* Can. 1. diſtinct. 15. & : *prædictarum quatuor Synodorum dogmata, ſicut S. Scripturas accipimus.* Nov. 131. §. 1. quo in ſenſu tamen adhuc ſit major authoritas Scripturarum, quam Conciliorum, expoſuimus in Quæſt. 1. cap. 1.

(h) Vid. Boehmerus ad tit. de conſtit. §. 3. ubi probat, quod ne quidem cætera Concilia ſimpliciter rejiciant, in quantum doctrinas Scripturæ continent. Aſſurgunt igitur Conciliis non propter authoritatem Eccleſiæ, Pontificis, vel Epiſcoporum, ſed propter dogmata fidei in iis contenta. Ideo vero majorem authoritatem apud ipſos habent quatuor prima Concilia, quia, ut ajunt, in iis majori ſinceritate fuit actum, quam in cæteris, nihil abſonum & contrarium fidei definitum, & dominatus Pontificius nondum ſe tam aperte explicavit. Sed etiam in his Conciliis multa præpoſtere fuiſſe acta maxime in damnatione Neſtorii, falſo aſſerit Gundlingius ad lib. 1. tit. 1. §. X.

(i) Scribit enim Author Annal. Fuldenſ. ad ann. 794. pſeudo-Synodus Græcorum pro adorandis imaginibus habita, & falſo ſeptima vocata ab Epiſcopis damnatur. De hac Synodo vid. Theologi, ubi agunt de cultu SS. Imaginum. Item Mabillonius. Vid. Natal. Alex. ad Sæc. 7. Item Cabaſſutius in Notit. Concil. aliique.

Digitized by Google

-optarunt: Eccleſia tamen Occidentalis, quod citra authoritatem Romanæ Eccleſiæ confluxerit, nunquam approbavit. Hiſce Eccleſiæ Occidentalis Doctores (utut non omnes) annumerare ſolent *Conſtantinopolitanum IV. quinque Lateranenſia*, duo *Lugdunenſia*, *Viennenſe*, *Piſanum*, *Conſtantienſe*, *Baſileenſe*, *Florentin.* & *Tridentinum.* Iterum alia ſunt, quæ mox pacifice ſunt recepta, ſuamque in Eccleſia obtinuerunt authoritatem; alia vero non niſi ſucceſſu temporis. Tria potiſſimum numeramus, quorum authoritas aliquo modo periclitabatur, nempe Conſtantinopolitanum I. quod, quia ex ſolis Epiſcopis Orientalibus fuit conflatum, anno primum poſt a Damaſo Papa approbationem & authentiam obtinuit; dein Conſtantinopolitanum II. in cauſa trium Capitulorum invito veluti Pontifice Vigilio celebratum; quippe, qui licet Conſtantinopoli præſens foret, noluit tamen nec per ſe, nec per ſuos Legatos præſidere Concilio; illud tamen poſtea approbavit. Ac demum Nicænum II. quod ut antea dictum, a Concilio Francofurtenſi ex errore facti reprobatum & ad annum usque 900. nondum fuiſſe receptum in Germania legitur. Demum aliqua ſemper fuere *indubiæ authoritatis*, & a nemine in dubium vocata: econtra alia ſunt, quæ *nec ab omnibus*, *nec ſemper ubique* velut legitima & œcumenica ſunt adoptata. Horum in numerum veniunt præter tria ſupra allata *Concilium Conſtantinop. IV.* an. 869. ſub Adriano II. celebratum, quod nec a Patribus Græcis, nec Latinis in Synodo Florentina congregatis agnitum fuiſſe velut authenticum ſcribit Launoyus (k) jure tamen optimo a Natali Alexandro (l) emendatus, & caſtigatus, eo quod ſingulis attribuat, quod a ſolo Abrahamo Cretenſi temere factum eſt. Id negari nequit, quod Julianus Cæſarinus S. R. E. Cardinalis diſputans in Concilio Florentino contra Marcum Epheſinum de non connumeranda inter œcumenicas octava Synodo victas dederit manus. Verum etiam hic merito a Baronio, aliisque egregie vapulat (m). Item Lugdunenſe I. ſub Innocentio IV. an. 1245. quod licet ferme ab univerſa Eccleſia, etiam Gallicana Oecumenicis annumeretur, attamen non eſſe Oecumenicum idem Launoyus multis probare contendit (n). Piſanum, de cujus authentia ingens lis inter Doctores (o). Conſtantienſe, & Baſileen-

Alia indubiæ authoritatis ſemper ab omnibus & ubique recepta, alia non.

(k) In epiſtola ad Bonum data epiſt. p. VIII.

(l) In Hiſt. Eccleſ. ad Sæc. 9. & 10. Diſſertat. IV. §. XXIV.

(m) Cabaſſutius in Not. Eccleſ. ad Sæcul. 9. p. 392.

(n) Tom. 5. part. 2. pag. 522.

(o) Negat hanc Authentiam S. Antoninus, & poſt illum Bellarminus, & hodie ferme

Baſileenſe, de quibus ſupra egimus, quorum authoritatem Galli ſupra modum extollunt; Itali & Germani quoad aliquas ſaltem ſeſſiones a lima detrudunt. Florentinum, cui Epiſcopi Galliæ nec intereſſe, nec illi mox ſubſcribere voluerunt. Quin imo, ſi Cardinali de Lotharingia fides adhibenda, illud nunquam a Gallis inter legitima & œcumenica fuit relatum (p). Contrarium tamen teſtantur alii Scriptores Galli aſſerentes, illud ſaltem ſucceſſive ad inſtar Nicæni II. fuiſſe adoptatum (q). Et demum Lateranenſe V. ſub Leone X. anno 1512. celebratum, quod Gallorum multi e numero Oecumenicorum expungunt, aut ſaltem non ex omni parte approbant (r). Has multiplices diviſiones vel ideo afferre placuit, ut, quid certum & quid incertum ſit, & quantum authoritatis quælibet Conciiia habeant, non ignoremus.

§. IV.

Diverſus numerus Conciliorum tam apud Catholicos quam Proteſtantes.

Videamus de numero Conciliorum generalium, in quo adornando iterum non conveniunt Scriptores tam Acatholici, quam Catholici. Acatholici ad ſummum quatuor adſtruunt, etſi neque hæc ſine omni labe eſſe dicant (s). Cætera, ajunt, Eccleſiæ Orientalis ſapiunt errores idololatricos; reliqua vero Eccleſiæ Occidentalis inſuper Dominatum Pontificium. In eo conveniunt Doctores Catholici, quod Concilia Oecumenica Orientis numerentur VIII. (t) Diſconveniunt vero in numero Conciliorum Occidentis, quorum aliqui XIII. alii XII. alii XI. numerant. Difficultatem faciunt tria potiſſimum Concilia nempe Piſa-

ferme omnes Scriptores Itali, & Germani, & non pauci ex ipſis Gallis. Econtra illam defendit Nat. Alex. ad Sæc. XV. & XVI. Diſſert. 2. §. 14. ubi citat Gerſonium, & Cardinales Viros Doctiſſimos.

(p) Verba Cardinalis in epiſt. ad Britonem Secretarium ſcripta ſic habent: Conſtantienſe Concilium in partibus ſuis omnibus ut generale habetur: Baſileenſe in authoritatem admittitur: Florentinum nec legitimum, nec generale reputatur.

(q) Juenin in Inſtit. Theol. Diſſert. 4. Art. 18. §. 3.

(r) Sic enim teſte Launoyo in epiſt. 11. ad Claudium Amelinum Academia Pariſienſis 1517. Concilium illud appellat cœtum quemdam non in ſpiritu DEI congregatum: nec mirum; quia in hoc Concilio quædam Concilio Baſileenſi contraria ſunt ſtatuta.

(s) Vid. ſupra dicta, quæ ex Boehmero & Gundlingio attulimus.

(t) Vid. Caſpar Ziegler in Notis ad Lancellotum lib. 1. Tit. 3. ad §. 3. duo Nicæna, Conſtantinopolitana quatuor, Epheſinum, & Chalcedonenſe.

Google

Piſanum, Baſileenſe, & Lateranenſe V. duo priora in numero Conciliorum ponunt frequentius Galli; & econtra eliminant Itali, & Germani; illud tertium admittunt vice verſa Itali, & Germani; rejiciunt Galli (u).

§. V.

Brevis omnium Conciliorum Generalium exegeſis.

Nicænum I. explicatur.

Jam breviſſimam dare liceat exegeſin Conciliorum generalium omnium utriusque Eccleſiæ tam Orientalis, quam Occidentalis. Octo eſſe Concilia Orientis diximus, inter quæ primum fuit Nicænum I. ſub Sylveſtro Pontifice, & Conſtantino M. Imperatore an. 325. convenientibus 318. Epiſcopis contra Arianos, Quartodecimanos & Meletianos celebratum. Multum diſputatur de numero Canonum, quorum communius 20. numerantur (x).

Conſtantinopolitanum I.

Secundum eſt Conſtantinopolitanum I. adverſus Macedonianos Divinitatem S. Spiritus negantes an. 381. ſub Damaſo Papa & Theodoſio Sen. Imperat. in conventu 150. Epiſcoporum incerto tamen Præſide celebratum, & primum ſucceſſu temporis a Damaſo in Synodo Romana ſaltem quoad ea, quæ adverſus Macedonium ſunt definita, confirmatum (y). In hoc Concilio damnata fuit hæreſis Macedonianorum, confirmata fides Nicæna, conditum novum ſymbolum, in quo Spiritui Sancto attribuitur Divinitas, Nectarius dejecto Maximo ſuffectus

(u) Vid. ſupra dicta.

(x) Ariani negabant conſubſtantialitatem & Divinitatem Filii. Quartodecimani volebant celebrari Paſcha Luna 14. poſt Æquinoctium Vernale, in quamcunque diem incideret. Quæſtio hæc inter Polycratem & Victorem Romanum Pontificem diu fuit acerrime agitata. Vid. Hiſtorici ad Sæc. III. Meletius vero Epiſcop. in Ægypto multorum criminum convictus & a ſede ſua dejectus Eccleſiam peſſimo dilaceravit ſchiſmate. In hac Synodo conditum eſt ſymbolum fidei, & aſſerta vox *conſubſtantialis*. Quæſtiones ſuper hoc Concilio partim dogmaticæ, partim hiſtoricæ moveri conſuetæ ſunt potiſſimum ſequentes: 1. Quis convocaverit, num Pontifex, vel Imperator? 2. Num omnes Epiſcopi etiam Ariani ſubſcripſerint? 3. Quot editi fuerint Canones? 4. Quomodo intelligendus ſit Can. 6. num loquatur de Jure Metropolitico, vel Patriarchali?

(y) In hac Synodo alterum ſymbolum fidei eſt editum Spiritui S. Divinitatem attribuens, quo Eccleſia utitur in ſuis liturgiis. Dubitatur de convocatione, Præſidentia, & acceptatione hujus Concilii.

ctus Epiſcopus Sedis Conſtantinop. & diverſi ſunt conditi Canones, quorum ſeptem numerant Græci Codices, pauciores Latini.

Epheſinum I. Sequitur tertium Epheſinum I. an. 431. Cœleſtino I. Pont. Theodoſio Jun. ac Valentiniano Imperat. adverſus Neſtorium Præſide Cyrillo Alexand. confluentibus plus quam 200. Epiſcopis congregatum, cujus 6. recenſentur Canones (z).

Chalcedonenſe. Quartum locum occupat Concilium Chalcedonenſe, quod anno 451. Leone I. Pontifice, & Marciano Imp. Præſidibus Paſchaſio, & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Presbyteris a Leone delegatis contra Eutychianos fuit habitum, cui 630. Epiſcopos interfuiſſe ſcribunt (a). Codices Græcorum numerant 30. Latinorum 27. tantum Canones; tres enim poſteriores utpote poſt diſceſſum Legatorum Pontificis ab Anatolio Epiſcopo Conſtantinop. & cæteris Epiſcopis Orientalibus ſubdole conditos, in quorum primo, ſeu 28. Epiſcopo Conſtantinop. ſecundus inter Patriarchas locus, aliaque Romano Pontifici ſoli propria adſcribuntur privilegia, Leo I. ut acceptaret, perſuaderi non potuit (b).

Conſtantinopolitanum II. Quinto loco venit Concil. *Conſtantinop. II.* quod an. 553. Vigilio Pontifice & Juſtiniano Imperat. convenientibus 165. duntaxat Epiſcopis contra Neſtorianos, Eutychianos, Origeniſtas, & *famoſa tria capitula* id eſt libros Theodori Mopſueſteni, commentarium Theodoreti Epiſc. Cyrenſis, & epiſtolam Ibæ Præſulis Edeſſeni ad Marim Perſam ſcriptam fuit celebratum. In hoc Concilio plura memoratu digna occurrunt: I. quod eidem Vigilius intereſſe, & ſive per ſe, ſive per alios præeſſe noluerit (c). II. quod in eo nulli fuerint conditi Canones

(z) Aſſeruit Neſtorius duas in Chriſto perſonas, & MARIAM Δεοτοκον ſeu Matrem DEI eſſe negavit. Quæſtiones controverſæ ſunt de convocatione, & præſidentia hujus Concilii; de juſta vel injuſta damnatione Neſtorii; de anathematiſmis Cyrilli Alex.

(a) In alium directe oppoſitum errorem lapſus fuit Eutyches unam adſtruens naturam in Chriſto. Dubia ſuper hoc Concilio moveri conſueta aſſeremus §. ult. hujus capitis e. g. de convocatione, de Can. 28. a Leone I. non acceptato.

(b) Specialiter Leo non acceptavit Can. 28. ab Anatolio & cæteris Orientalibus Epiſcopis poſt diſceſſum Latinorum conditum, quo Epiſcopo Conſtantinop. inſignes attributæ leguntur præeminentiæ.

(c) Noluit Pontifex intereſſe Concilio, quod Synodus contra pactas conditiones fuerit

nes, ſed meri Anathematiſmi, numero 14. præter Anathematum in Origeniſtarum errores capita. III. quod in hac Synodo prima vice libri & errores Origenis & Origeniſtarum fuerint damnati: poſtquam, licet varia ſubierint fata, impune tamen per tria circiter Sæcula in Eccleſia fuere tolerati (d). IV. quod ſimile fatum experta ſint tria capitula, etſi in Concil. Chalced. anathema non tulerint (e). V. quod demum ipſe Vigilius, & poſt ipſum Pelagius, Gregor. M. & Nicolaus I. hanc Synodum approbaverit: quamquam adhuc an. 590. receptionem illius motus quosdam in Eccleſia Occidentali feciſſe legatur (f).

Dd 2 Sextum

fuerit coacta, quas inter etiam hæc erat, ut in dijudicanda cauſa trium capitulorum tot eſſent Epiſcopi Latini, quot Græci. Vid. Graveſon ad Sæc. VI. pag. 63.

(d) Sic Origenem Epiſcopi Palæſtinæ nunquam a ſua communione ſepararunt. Item variæ pro Origene ſcriptæ ſunt Apologiæ, quas inter duæ ſunt celebriores, una Euſebii Cæſarienſis, altera Rufini Presbyteri Aquileienſis. Imo negat Halloixius Origenem ab Eccleſia fuiſſe damnatum, qui tamen a Natal. Alex. egregie vapulat. An vero mox in principio vel ſub finem Synodi fuerit damnatus, diſputant eruditi, de quo vid. Petrus de Marca in Diſſert. de 5. Syn. Cardinal. Noriſius, Pagius ad annum DCIII.

(e) Quantum Eccleſiam exagitaverit cauſa trium capitulorum, paucis non poteſt dici. Occaſionem præbuit damnatio Origenis; fautores enim Origenis Juſtiniano perſuaſerunt, omnes Acephalos Concilio Chalcedonenſi ſubſcripturos, ſi modo tria hæc capitula damnarentur. Placuit conſilium Imperatori, qui mox edictum contra illa promulgavit. Renuit Vigilius Pontifex huic edicto ſubſcribere, metuens, ne authoritas Concilii Chalced. pateretur. Quare convocata Synodus, ad quam ipſe etiam Pontifex perrexit, eique ab initio præfuit, ſed mox interrupit lata prius ſententia contra tria capitula cum clauſula tamen: *ſalva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonenſis.* Hæc res mirum in modum commovit totum Occidentem, ubi credebatur, actum eſſe de authoritate Concilii Chalcedonenſis. Poſt multas altercationes Synodus generalis Conſtantinop. convocata, quam ut accederet Vigilius, perſuaderi non potuit. In ea igitur iterum damnata ſunt tria capitula. Jam inde gravis oritur difficultas, qua ratione duo Concilia, nempe Chalcedonenſe, quod Theodorum & Ibam in communionem recepit, & Conſtantinop. in quo illorum ſcripta anathemate ſunt poſtrata, conciliari poſſint, & debeant.

(f) Notabile hujus rei exemplum affert Author Princip. J. E. Nobis videtur, quod Gregorius pia œconomia utendum eſſe arbitratus fuerit.

Google

Conſtantinopolitanum III. Sextum locum tenet Concil. *Conſtantinop. III.* an. 681. ſub Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato præſidentibus Legatis Pontificiis, & convenientibus 170. Epiſcopis contra Monothelitas unius in Chriſto voluntatis aſſertores in *Trullo*, id eſt in Secretario Palatii ab arcuato opere ſic dicto celebratum, in quo Act. 13. in ipſum etiam Honorium Pontificem anathema dictum fuit (g). Cum hac Synodo neutiquam confundi debet Pſeudoſynodus *Trullana*, quam vocare ſolent *quini ſextam*; quod ſupplere videatur anteriora duo Concilia, quippe in quibus nulli fuere conditi Canones. Græci Schiſmatici hanc Synodum maximi habent; Latini eam nunquam receperunt, neque apud eos aliam authoritatem habet, quam quatenus convenit cum aliis Canonibus Eccleſiæ Latinæ.

Nicænum II. Subſequitur Concilium generale ſeptimum *Nicænum II.* an. 787. ad clavum Eccleſiæ ſedente Adriano I. regnantibus Conſtantino IV. Imp. adhuc puero, & matre Irene; præſidentibus nomine Pontificis Petro Archipresbytero, & Petro Abbate; congregatis 350. Epiſcopis adverſus Iconoclaſtas celebratum, in quo habitæ ſunt Actiones octo, & in harum ultima editi Canones 22. In eo præcipue famoſa eſt hæc Synodus, quod in Concil. Francofurtenſi ſub Carolo M. ex errore facti, ut ſcribunt, damnata, & usque ad Sæc. 9. in Germania univerſaliter ſaltem non fuerit recepta (h).

Agmen

(g) Negabant Monothelitæ duas in Chriſto voluntates, & operationes, quibus ipſe Honorius Pontifex faviſſe videtur, quem proin hæc Synodus damnavit. Num vero qua hæreticum, vel qua fautorem Monothelitarum, acerrime inter Doctores diſputatur. Profecto ſi quod in Hiſtoria Eccleſiaſtica occurrit exemplum, quo infallibilitas Pontificis valide impugnari poteſt, illud profecto eſt exemplum Honorii: quippe quod Doctoribus noſtris Catholicis ad varias confugiendi reſponſiones neceſſitatem facit. Vid. Thomaſinus Diſſertat. XX. In Synodo Monothelitis etiam faviſſe videntur Imperatores per ſua edicta; Heraclius per ſuam *Ecteſin*, qua edixit duarum voluntatum vocem multos ſcandalizare; Conſtans per *Typum*, quo putavit ab utraque operatione eſſe abſtinendum.

(h) Bellum nempe indixerant SS. Imaginibus Imperatores Leo Iſauricus, Conſtantinus Copronymus, & Leo IV. quorum edictis factum eſt, ut ſacrarum Imaginum cultus ex toto fere Patriarchatu Conſtantinop. exularet: eum tamen tres alii Patriarchatus Alexand. Antiochenus, & Hieroſolym. retinerent; quare ad reſtituendum cultum imaginum celebrata eſt hæc

Digitized by Google

Agmen Conciliorum Generalium in Oriente celebratorum claudit Concil. *Conſtantinop. IV.* numero octavum an. 869. Adriano II. Pontifice Romæ ſedente, & Baſilio Imperante ſub Præſidio Donati Oſtienſis Epiſcopi, Marini Eccleſiæ Romanæ Diaconi, & Stephani Meſepini Epiſcopi, congregatis in unum 102. præter alios Presbyteros, Epiſcopis contra Photium Sedis Conſtantinopolitanæ invaſorem, & ſchiſmatis Orientalis authorem præcipuum congregatum, in quo exauthorato Photio Ignatius legitimus Patriarcha Conſtantinop. ſuæ ſedi fuit reſtitutus. Conſtat hæc Synodus Actionibus 10. Canonibus vero potiſſimum ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantibus ex verſione Anaſtaſii 27. etſi in Græcorum manuſcriptis ſolummodo 14. legantur. Schiſmaticos Græcos non tantum hanc Synodum non habere pro Oecumenica, ſed quosdam etiam ex Scriptoribus Latinis perperam id ipſum aſſerere ſupra monuimus (i) *Conſtantinopolitanum IV.*

Progrediamur ad Concilia Eccleſiæ Occidentalis, quorum primum, ordine vero nonum generale fuit *Lateranenſe I.* an. 1122. vel, ut alii volunt 1123. Romæ in Eccleſia S. Joannis in Laterano ſub Calliſto II. & Henrico IV. Imperat. confluentibus teſte Suggerio Epiſcopis plus quam 300. Abbatibus vero plus quam 600. pro abrogandis inveſtituris per annulum & baculum ab Imperatoribus non ſine multis abuſibus conferri conſuetis; promovenda expeditione contra Saracenos, & recuperanda Terra ſancta; ac demum extirpanda ſimonia ac tollendo concubinatu mirum in modum per univerſam Eccleſiam graſſantibus congregatum. Editi ſunt in hoc Concilio Canones 22. ad diſciplinam Eccleſiaſticam præcipue ſpectantes (k). *Sequuntur Concilia Eccleſiæ Occidentalis. Lateranenſe I.*

Dd 3 Seque-

hæc Synodus, cujus definitionem contrario edicto eliſerant Patres Synodi Francofurtenſis juſſu Caroli M. celebratæ, errore facti, ut communius ajunt, decepti, quod putarent imaginibus eſſe decretum cultum latriæ. vid. Mabillonius præfat. 1. ad Sæc. Benedict. IV. hanc Synodum an. 999. nondum fuiſſe receptam in Germania ſcribit Author Annalium Fuldenſ.

(i) Græci oppoſuerunt paulo poſt aliud Concilium an. 879. celebratum, in quo Photius ſuæ ſedi fuit reſtitutus.

(k) Tria in hoc Concilio memoratu digna veniunt. Primum attinet inveſtituras per annulum & baculum. Quos & quantos motus in Eccleſia hæ inveſtituræ excitaverint, incredibile dictu eſt, donec poſt graviſſimas altercationes inter Pontifices Gregorium VII. Victorem III. Paſchalem II. Calliſtum II. & Imperatores Henricum IV. & V. per ſolemnem conventionem inter

Lateranenſe II. Sequebatur paulo poſt an. 1139. Concil. *Lateran. II.* ordine decimum ſub Innocent. II. & Lothario Imperat. Epiſcoporum, aut quod verius eſt, Prælatorum circiter 1000. pro extirpando ſchiſmate Petri Leonis ſub nomine Anacleti; damnandis erroribus Petri de Bruis, & Arnaldi de Brixia; ac reformanda collapſa diſciplina Eccleſiæ convocatum. Exſtant 30. circiter Canones hujus Concilii præcipue contra Simoniacos, & Concubinarios conditi, quos inter eminet famoſus Canon *Si quis ſuadente* cap. 29. C. 17. q. 4. (l).

Lateranenſe III. Eodem adhuc Sæculo 1179. Alexand. III. regnante Imperatore Friderico I. confluentibus 310. Epiſcopis convocavit Concilium *Lateranenſe*

ter Calliſtum II. & Henricum V. in hac Synodo confirmatam inveſtituræ per annulum & baculum fuerint abrogatæ, & his inveſtitura per ſceptrum, ac denique per enſem fuerit ſubſtituta. Conventio hæc legitur in editione Concil. Labbeana; item in corpore Juris publici Jacobi Schmaus. Alterum concernit expeditiones ſacras pro Terra ſancta recuperanda, quæ inceperunt ſub Urbano II. ſub finem Sæcul. X. an. 1095. cum felici ſucceſſu, ſed peſſimo exitu fuere finitæ: Has ut promoverent Pontifices nihil intentatum reliquerunt, & pro iis promovendis cruce ſignatis concelſerunt varia privilegia, quæ inter erant Indulgentiæ plenariæ illis conceſſæ, quibus pœnitentia publica defungendum fuerat, quam redimere poſſent, ſi modo militiæ ſacræ nomen darent. Scribunt Doctores etiam Catholici hoc modo invaluiſſe novum genus indulgentiarum, & per eas antiquam pœnitentiam multum relaxatam. Tertium ſpectat crimen ſimoniæ, & concubinatus. Utrumque eo tempore graſſabatur mirum in modum in Eccleſia. Sed pudet de his plura dicere.

(l) Continetur in hoc Canone privilegium Clericorum, quod ſolent vocare *Canonis*, quo excommunicatio lata eſt in omnes, qui Clerico violentas manus injecerint, de quo vid. ad Tit. de vita & honeſt. Cleric. De erroribus Petrobruſianorum & Arnaldiſtarum vid. Theologi. Canones hujus Concilii ad diſciplinam ſpectantes vel maxime commendari merentur, in quibus præcipue actum contra uſurarios, & ſimoniacos; contra invaſores bonorum Clericalium poſt obitum Clericorum. Clericis & Monachis interdictum fuit ſtudium Juris Civilis & Medicinæ; & definitum tempus Treugarum, hoc eſt induciæ a privatis bellis eo tempore, quo jus manuarium vigebat, frequentiſſimis. Nempe abſtinendum erat a feria 4. usque ad ſecundam, ab Adventu usque ad Epiphaniam Domini, a quinquageſima usque ad octavam Paſchæ.

Google

nenſe III. ordine inter generalia undecimum in ordine ad conſulendum Schiſmati quandocunque exorituro; præcavendas pſeudo-Electiones Pontificias; damnandos errores Albigenſium & Waldenſium, ac depravatos mores corrigendos, emendandos, in quem finem editi ſunt Canones 27. (m)

Subſequebatur Sæculo mox ſequenti an. 1215. ſub Innocent. III. & Friderico II. Concilium *Lateranenſe IV.* ordine inter generalia duodecimum. Convenere in eo Epiſcopi 412, Abbates, Priores, ac Decani 800. præſentibus etiam ſaltem per Legatos quatuor Patriarchis. Cauſæ illud convocandi erant plures, quas ipſe Innocentius in litteris convocatoriis enumerat (n). Nempe eliminandæ hæreſes jam jam damnatæ e. g. Albigenſium; ſtabiliendum dogma de tranſubſtantiatione; concordia inter Eccleſiam Latinam & Græcam tum recuperanda, tam ſtabilienda; contraveniendum erroribus Abbatis Joachimi & Almarici; procurandum fœdus pro ſuſcipienda expeditione contra Saracenos; vindicanda Terra ſancta. Habemus 70. Canones hujus Synodi, quorum plerique in corpus Juris ſunt relati (o). In his ergo fides Catholica novo eoque fuſiori ſymbolo ſtabilita (p) damnati errores Joachimi Abbatis, & Almarici (q) verbum *Tranſubſtantiatio* ad explicandum Myſterium Euchariſtiæ aſſumptum (r) præceptum annuæ confeſſionis, & S. Euchariſtiæ ſaltem tempore Paſchali ſuſcipiendæ declaratum (s), multæ contra hæreticos pœnæ ſtatutæ (t) ampliſſimæ indul-

Lateranenſe IV.

(m) Nempe ut fiat electio Pontificis per duas tertias. vid. c. 6. de elect.

(n) Literas has legendas exhibet Juenin loc. cit. art. 12. §. 1.

(o) Compendioſam explicationem horum Canonum vide in Cabaſſutio in Not. Eccleſ. ad ſæc. 12. & Juenino diſſert. 4. de loc. Theolog. art. 11. §. 2.

(p) Symbolum iſtud refertur in cap. 1. de Summa Trinit.

(q) Etiam errores iſti recenſentur in cap. 2. cit. tit. ipſe tamen Joachimus non fuit damnatus, qui ſe Eccleſiæ judicio ſubmiſit.

(r) Vocem hanc *tranſubſtantiatio* eſſe antiquiorem paſſim Noſtrates demonſtrant. Nihilominus Synodus iſta prima fuit, quæ ad explicandum myſterium Euchariſtiæ hac voce fuit uſa.

(s) Præceptum iſtud refertur in famoſo capit. *omnis utriusque* de pœnit. & remiſſ. quomodo hoc præceptum obliget; quis nomine *Sacerdotis proprii* veniat, diſcendum ex Theologis. Vid. integram diſſert in Nat. Alex. ad ſæc. XIII. de ſenſu hujus Canonis.

(t) Inter has pœnas iſta eſt præcipua, quod jubeantur hæretici poteſtati ſæcular tradi;

indulgentiæ militantibus contra Saracenos conceſſæ, & quamplurima alia ad ſimoniam extirpandam, diſpenſationem Sacramentorum, collationem beneficiorum, & diſciplinam Eccleſiaſticam reformandam pertinentia ſaluberrime ſunt decreta (u).

Eodem Sæculo an. 1245. ſub Innocentio IV. & Friderico II. Imperat. in præſentia Balduini Græcorum Imperatoris, Patriarchæ Conſtantinop. & Antiocheni, ac 140. Epiſcoporum celebratum fuit Concilium

Lugdunenſe I. *Lugdunenſe I.* Quinque cauſas illud convocandi ipſe Innocentius IV. in ſua ad Patres habita oratione recitavit; exceſſus Prælatorum, ac aliorum Clericorum; ſubſidium militantibus contra Saracenos imminente ferme extrema ruina toti Eccleſiæ pertimeſcenda ferendum; invaſiones Tartarorum per Hungariam, Poloniam &c. graſſantium comprimendas; ſchisma Græcorum in dies creſcens ſupprimendum; audaciam Friderici II. Imperat. compeſcendam (x). Tribus actionibus abſolvebatur Synodus, in quarum prima diſcuſſi ſunt exceſſus Prælatorum; in ſecunda vero delicta Friderici: in tertia demum ſententia excommunicationis ac depoſitionis in Fridericum fuit pronuntiata (y).

Lugdunenſe II. Aliud adhuc Concilium *Lugdunenſe* nempe *II.* inter generalia vero numero 14. eodem Sæculo an. 1274. a Gregorio X. ſub Rudolpho I. convocatum legimus, ad quod ultra 700. confluxere Epiſcopi. Agebatur

tradi, ut puniantur. Innocentium III. ſevere proceſſiſſe contra hæreticos inde etiam patet, quod ipſe ſit author Officii Inquiſitionis, quod adhuc ſevere exercetur in Hiſpania, & Italia.

(u) Profecto ſi quod eſt Concilium, quod efficit notabiliſſimam partem Juris Canonici, hoc ipſum eſt Concilium, aliaque Concilia particularia ab Innocentio III. celebrata. Sic Innocentio debemus novâm formam in electionibus & poſtulationibus obſervandam in cap. 40. & 41. de elect. multa ad judiciorum Eccleſiaſticorum formam ſpectantia: hinc non pauci putant, Alexandro III. & Innocentio III. in acceptis eſſe referendum, quod proceſſus judiciarius cum ſtrepitu forenſi in foro Eccleſiaſtico fuerit introductus. Vid. plura capitula Innocentii ad Tit. de Reſcript. & ad Tit. de Poteſtat. Judic. deleg.

(x) Imperatorem multorum criminum reum, & convictum juſte fuiſſe excommunicatum, & privatum Regno Siciliæ; quippe quod beneficiario jure a Romana Eccleſia poſſidebat, nequidem ipſi Authores Galli negant. Id ſolum vitio vertunt Pontifici, quod ipſum etiam Imperio Germaniæ privaverit; utpote quod Romanæ Eccleſiæ non ita erat obnoxium.

(y) Septendecim editi ſunt Canones. Duodecim priores judiciorum Eccleſiaſticorum formæ conſulunt: unde poſtea in corpus Juris Canonici ſunt relati.

Digitized by Google

batur in hoc Concilio rurſus de expeditione in Terram ſanctam, ſuppeditandisque auxiliis ad res Chriſtianorum ferme collapſas ſuſtentandas, de unione Græcorum cum Latinis reſtauranda, reformandis Chriſtianorum moribus, & excogitando remedio facilitandi, ac promovendi electionem Pontificiam non ſine gravi præjudicio Eccleſiæ ſæpe ſæpius longius, quam par erat, protelatam. Habebantur ſeſſiones 6. & in his condebantur capita 29. ferme omnia in lib. 6. Decret. relata, in quibus decretæ fuerunt ſuppetiæ pro recuperanda Terra ſancta ex decimis, quas Cardinales & Epiſcopi promiſerunt: unio Græcorum cum Latinis per Legatos a Michaele Palæologo ſubmiſſos reſtaurata: modus eligendi Pontificem præſcriptus: & ſententia excommunicationis lata in omnes, qui jus *Regaliæ* contra jus uſurpare attentarent (z).

Viennenſe in Gallia. Sæculo ſubſequente an. 1311. Viennæ in Gallia a Clemente V. ſub Imperio Henrici VII. in conventu amplius quam 300. Epiſcoporum celebratum fuit Concilium generale XV. in quo diſcuſſa fuit cauſa Templariorum Eccleſiam ſuis ſcandalis mirum in modum fœdantium, illorumque extinctio decreta: damnatæ hæreſes Beguardorum, ac Beguinarum, Fraticellorum, & Dulciniſtarum: ac novum ſubſidium pro Terra ſancta conferendum fuit imperatum. Conſtitutiones hujus Concilii pleræquæ leguntur in Clementinis (a).

Sequi-

(z) Tres potiſſimum Canones hujus Concilii ſunt majoris momenti: primo quidem Canon, in quo definita eſt proceſſio Spiritus S. a Patre & Filio, ter recitato prius in ſolemni Miſſa Symbolo cum additione: *Filioque:* de qua particula multa lis inter DD. an juſte, & quando inſerta fuerit ſymbolo. Alter eſt *Canon* de elect. Pontificis relatus in lib. 6. decret. in cap. 3. de elect. qui tamen hodie a Cardinalibus amplius non obſervatur. Tertius eſt Can. 12. in quo excommunicatio ipſo facto incurrenda ſtatuta eſt in illos, qui jus *Regaliæ* de novo uſurpare auſi fuerint. De hoc jure, illius origine, uſu & abuſu, extenſione innumera forent dicenda. Jus Regaliæ adhuc viget in Gallia, & ſæc. elapſo graves excitavit motus, de quo vid. Thomaſinus, Petrus de Marca, Nat. Alex. Van Eſpen, & Author libri, cujus titulus *Tractatus generalis de Regalia;* liber hodie rarus.

(a) Plures fuere errores Beguardorum, quos in compendio refert Cabaſſutius ad ſæc. XV. pag. 545. ordo autem Templariorum ſeu militum templi ſæc. XII. fuit inſtitutus, quibus cum certum domicilium non eſſet, Balduinus II. conceſſit locum in palatio ſecus templum Domini: unde dicti ſunt Templarii. Multorum

Piſanum, quod a multis reprobatur.

Sequitur juxta multos DD. Gallos Concilium Piſanum an. 1409. Piſis in Tuſcia a Cardinalibus ad abolendum ſchisma, quo ex electione Benedicti XIII. & Gregorii XII. de Papatu contendentium Eccleſia concutiebatur, convocatum, quod inter generalia, ſi tamen fuit legitimum, ordine eſt XVI. Comparuere Epiſcopi plus quam 300. exauthoratis Benedicto XIII. & Gregorio XII. In Pontificem electus fuit Alexander V. qui uno tantum anno tenuit ſedem Pontificiam. Doctores plures Italiæ, & Germaniæ poſt S. Antoninum iſtud Concilium velut legitimum, & Oecumenicum non agnoſcunt; quippe quod nec a Pontifice fuit convocatum, nec ſchisma ſuſtulit, ſed auxit, effecitque, ut Eccleſia electo novo Pontifice Alexandro V. ex bicipite fieret triceps. Econtra inter Oecuminica poſt Gerſonium, Ægidium Cardinalem Viterbienſem communius recenſetur a Gallis: fuit enim (ut ajunt) legitime convocatum a Cardinalibus, penes quos agnoſcenda eſt legitima facultas convocandi Concilium tempore ſchismatis: ſecus DEUS ſuæ Eccleſiæ non ſatis providiſſe videri poſſet. Fuit etiam ab Alexandro V. neo-electo Pontifice in ſuis negotiis directum, & confirmatum: etſi per accidens optatus eventus non ſublato ſchismate non evenerit. Nunquid enim & alia Concilia contra hæreticos, & ſchismaticos celebrata ſuo caruerunt effectu? num propterea e numero Oecumenicorum expungi merentur (b)?

Concilium Conſtantienſe.

Quoniam ſchisma Eccleſiæ ſtudio Concilii Piſani extinqui non poterat, opus erat novo Concilio, maxime, quod etiam aliæ cauſæ prægnantiſſimæ, præcipue vero hæreſes noviter exortæ Wicleffiſtarum, & Huſſitarum illud convocari imperaverint: iſtud ergo eſt Concilium Conſtantienſe, quod inter generalia numero XVI. vel XVII. a Joanne XXII. vel, ut aliis placet XXIII. an. 1414. ſub Sigismundo Imperatore congregatum, & ad annum usque 1418. protractum: & a Gregorio XII. & poſtea etiam a Martino V. quoad decreta fidei conciliariter facta habitis 45. ſeſſionibus approbatum fuit. Eſt hoc Concilium ex mente

torum criminum rei agebantur, & ideo extincti. Juſte, an injuſte illorum ordo fuerit extinctus, diſputant Eruditi.

(b) E. g. Concilia Nicænum I. Epheſinum, & Chalcedonenſe contra Arianos, Neſtorianos, & Eutychianos; item Conſtantinop. III. aliaque contra Græcos ſchismaticos celebrata. vid. Natal. Alex. ad ſæc. XV. diſſert. 2. de Concilio Piſano Oecumenico. Sed nec omnes DD. Galli habent pro Oecumenico. Certe Jueninus diſſert. 4. de loc. Theolog. ubi omnia Concilia in particulari recenſet, illius nullam facit mentionem.

Google

mente Gallorum quaſi continuatio Piſani, & ad illud confluxere Epiſcopi CCL. Fuit hoc Concilium congregatum ad extinquendum ſchiſma, quo jam dudum vexabatur Eccleſia, dum tres, videlicet Joannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII. ſeſe Pontifices jactitabant (c), ad ſtabiliendam fidem contra errores Wicleſſi, Joannis Huſs, & Hieronymi a Praga (d), ac demum reformandam diſciplinam Eccleſiæ ut plurimum corruptam. In hoc ergo Concilio luctuoſum ſchiſma fuit ſublatum, dum exauthoratis Joanne & Benedicto, Gregorio ſua ſponte Papatum reſignante electus fuit in Pontificem Martinus V. Similiter damnati ſunt 45. articuli Joannis Wicleſſi & 30. Joannis Huſs; ac demum Joannes Huſs una cum Hieronymo de Praga ſæculari poteſtati fuere extraditi, rogo impoſiti, ac combuſti (e). In hoc Concilio quamplurima conſtituta ſunt, quæ tum ad fidem, tum ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent: & tam in Theologia quam in Jurisprudentia Canonica plurimum faciunt difficultatis, atque longe accuratiſſimam exquirunt operam Theologorum æque ac Juriſperitorum. Sic e. g. examinis Theologici ſunt ea, quæ de communione ſub utraque ſpecie (f), de accidentibus poſt conſecrationem remanentibus

Concilium iſtud magnas facit difficultates in Theologia & Juriſprudentia.

(c) Occaſionem, & cauſam ſchiſmatis breviter exponit Juenin loc. cit. art. 16. Incepit nempe a tempore. quo Greg. XI. poſtquam Sedem Pontificiam Avenione iterum Romam tranſtulit, e vivis exceſſit. Nam elegerunt Cardinales in Pontificem Urbanum VI. & paulo poſt Clementem VII. illi iterum ſucceſſit Bonifacius IX. huic Benedictus XIII. Bonifacio Innocentius VII. & Innocentio Greg. XII. poſtea Gregorius & Benedictus in Concil. Piſano in jus vocabantur, & utroque exauthorato Pontifex fuit renuntiatus Alexander V. huic vero mortuo ſuffectus Joannes XXIII. quo non obſtante adhuc Gregorius & Benedictus ſe Pontifices jactitabant: & ita tres erant Pontifices.

(d) Errores horum Sectariorum nec non totam rei ſeriem breviter exponit Caballutius ad ſæc. 15.

(e) De geſtis, tumultibus, & erroribus horum hæreticorum agere longum nimis foret. Non ſine horrore legi poteſt modus ſupplicii, quo affecti ſunt. Ajunt, Joannem Huſs prophetaſſe, quod ex ſuis cineribus anſeris loco (*Huſs* enim Bohemis *anſer* eſt) Cygnus ſit proditurus, eoque nomine Lutherum indigitaverit.

(f) Cum ſæc. 14. non pauci Sectarii communionem ſub utraque ſpecie Jure Divino eſſe neceſſariam contenderent, quorum agmen ducebat Joannes Huſs, Eccleſia in hoc Concilio congregata prima vice dogma huic errori contrarium declaravit, ac una conſuetudinem in Eccleſia introductam porrigendi S. Euchariſtiam ſub una ſpecie ad inſtar legis obſervandam ſtatuit ſeſſ. 13.

bus(g), de ſuperioritate Conciliorum ſupra Pontificem ſunt ſtatuta (h). Disquiſitionis vero Juridicæ ſunt ea omnia, quæ de reſervationibus Sedis Apoſtolicæ, Annatis, confirmationibus electionum, appellationibus ad Curiam Romanam, exemptionibus, commendis, diſpenſationibus, decimis, indulgentiis, extirpatione ſimoniæ fuerunt decreta. Quare bene monent Authores, ut in pervolvendis hujus Concilii decretis multum operæ collocent, qui ad ſublimiorem ſcientiæ Canonicæ ſanioris gradum aſpirant. Abſit, ut nos certamini Gallorum, Italorum ac Germanorum de Authentia hujus Concilii quoad 4. & 5. ſeſſ. altercantium immiſceamus (i). Paulo poſt Martinus V. ut ea, quæ in Concilio Conſtantienſi ſaluberrime ſunt ſtatuta, executioni mandarentur, convocavit Concilium Baſileenſe, quod ejus ſucceſſor Eugenius IV. convenientibus quamplurimis Eccleſiæ Latinæ Epiſcopis ſub Imperatore Sigismundo an. 1431. inchoavit, & per ſeſſiones 24. continuavit. Multum de hujus quoque Concilii Authentia diſputatur Gallos inter & Italos: Illi habent pro Oecumenico ad ſeſſ. usque 25. qua peracta, & orto inter ipſos Patres diſſidio juſſisque diſcedere Legatis ſuis Pontifex illud Ferrariam tranſtulit: iſti vero e numero Oecumenicorum eliminant. Galli ajunt, illud eſſe legitime convocatum, continuatum, & ab Eugenio IV. & Nicolao V. ad 25. usque ſeſſionem approbatum, ut quid ergo inter Oecumenica non habeatur? reponunt Itali, & cum his ferme omnes Germani, Concilium iſtud fuiſſe tumultarium, partium ſtudiis turbatum, invito Pontifice continuatum, a Leone X. in Concil. Lateranenſi V. reprobatum: eo enim ventum erat, ut cum Præſules in hac Synodo congregati multa authoritati Pontificiæ præjudicioſa, contranitente necquidquam Pontifice, decernere, ac ipſum Pontificem primitus ſuſpendere; poſtmodum autem deponere attentarent:. concurrentibus aliis. cauſis, præſertim fervente tunc in omni vicinia gravi bello Burgundum inter, & Auſtriacum Duces, Eugenius Syno-

De illus ſeſſ. IV. & V. diſputatur.

Item de Authentia Baſileenſis.

(g) Damnavit nempe Synodus inter alias propoſitiones Wicleffi etiam hanc: *Accidentia panis non remanent ſine ſubjecto.* Inde jam Ariſtotelici volunt depromere argumentum ferme infallibile pro ſuis accidentibus abſolutis, quibus tamen jure contradicunt hodierni Philoſophi integram qualitatum farraginem e ſua Philoſophia eliminantes.

(h) Superioritas iſta Conciliorum ſtatuta eſt in ſeſſ. 4. & 5. Utramque velut legitimam acceptant Galli, reſpuunt Itali. De hac ſuperioritate alibi dicemus.

(i) De his omnibus, ſpeciatim de reſervationibus Sedis Apoſtolicæ; & Annatis mox plura dicemus ad Concil. Baſileenſe.

Synodum Ferrariam transferre fuerit coactus (k). Cauſæ ergo convocandi Synodum iterum fuere tres: unio Bohemorum cum Eccleſia Catholica redinteganda, pax inter Chriſtianos inter Principes reſtituenda, & reformatio Cleri, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtituenda. Acta hujus Concilii continentur 45. ſeſſionibus, in quibus confirmata ſunt ea, quæ in anteriori Concilio de ſuperioritate Conciliorum ſupra Pontificem, de communione ſub utraque ſpecie, electionibus Epiſcoporum, reſervationibus Sedis Apoſtolicæ, Annatis &c. fuere diſcuſſa (l). Quibus addendum decretum ſeſſionis XXVI. in quo *doctrina*, qua B. V. immunis ab omni macula etiam originali aſſeritur, tanquam pia & conſona cultui Eccleſiaſtico, fidei Catho- *Decretum ſeſſ. XXVI. notari meretur.*

E e 3

(k) Vid. Cabaſſutius ad ſæc. XV. pag. 586.

(l) Jam in Synodo Conſtantienſi actum fuerat de abolendis gratiis exſpectativis, abrogandis reſervationibus, ac tollendis annatis, quibus libertas electionum, collationum beneficiorum mirum in modum premebatur. Liberæ erant collationes beneficiorum usque ad ſæc. 12. quo gratiæ exſpectativæ, ſeu mandata Apoſtolica de providendo incipiebant. Primus, qui ſupplicavit, ut poſſet beneficia conferre, fuit Adrianus IV. Hujus veſtigia ſecuti ſunt Alexander III. Innocentius III. & Honorius III. & quidem ab initio agebant Pontifices precibus; poſtea monitis; & demum præceptis: inde veniunt literæ *monitoriæ*, *præceptoriæ*, & *executoriæ*, quarum frequens occurrit mentio in Decretalibus. Succeſſive in immenſum excreverunt gratiæ exſpectativæ: & ideo de his abolendis actum fuit in hoc Concilio, donec per Concil. Trident. ſeſſ. 29. cap. 19. ex integro fuerint abolitæ. Similiter ignorabantur in Eccleſia reſervationes Apoſtolicæ. Primus qui ſibi reſervavit beneficia in Curia vacantia, fuit Clemens IV. vid. cap. 2. de præbend. in 6. Secuti ſunt alii Pontifices, potiſſimum Joannes XXII. & Benedict. XII. in extravag. *execrabilis*: & *ad regimen* de præb. & dignit. ubi innumera ſibi reſervaſſe leguntur beneficia. Annatarum origo per quam eſt obſcura, de qua dicemus alibi. Undecunque ſuam primævam ducant originem, præcipui illarum Authores ſunt Joannes XXII. & Bonifacius IX. quorum ille ſibi fructus omnes omnium præbendarum reſervavit ad triennium: iſte ad annum. Contra has etiam fiebant graviſſimæ querelæ tam in Concil. Conſtant. quam Baſileenſi. Contra pugnabant Galli: defendebant eas Itali. Paratus erat Pontifex eas amplius non petere, ſi Cardinalibus de alio fonte proſpiceretur. Scribit Petrus de Marca, eas in hoc Concilio fuiſſe ſublatas. Sed fallit, & fallitur Vir celeberrimus, hoc ipſo, quod Pontifici non fuerit proſpectum de alio fundo. Regulatæ ſunt poſtea Annatæ per Concordata Germaniæ: de quibus ſuo loco.

Google

Galli illius decreta receperunt; non Germani.

Catholicæ, rectæ rationi, & S. Scripturæ, fuit declarata (m). Decreta hujus Concilii ambabus manibus amplexati ſunt Galli, illaque mox in ſuo conventu Bituricenſi utpote juribus Epiſcoporum, Metropolitarum, ac libertatibus electionum ac collationum ſummopere faventia ſub Carolo VII. an. 1438. in ſuam famoſam ſanctionem pragmaticam retulerunt. Mitius egerunt Germani cum Pontifice, qui pro ſua avita in Sedem Pontificiam religione, reverentia & pietate ſpecialia fecerunt concordata; de quibus ſuo loco: etſi longe favorabilius ipſis fuiſſet, ſi more Gallorum decreta Baſilcenſia ſanctione pragmatica conſolidaſſent (n).

Concilium Florentinum.

Supra dictum fuit, quod Concilium Baſileenſe jubente Pontifice & conſentiente ſaniori parte Epiſcoporum Ferrariam fuerit translatum, quatenus & Pontifici & Græcis commodius foret illi intereſſe. Inde venit, quod a multis acta Concilii Ferrarienſis ad inſtar appendicis ad Baſileenſe Concilium pertinentis habeantur. Sed non multo poſt propter graſſantem peſtem Ferraria Florentiam facta fuit translatio Concilii. Cœptum igitur fuit hoc Concilium an. 1438. Ferrariæ, & Florentiæ finitum ſub Eugenio IV. & Friderico III. eique interfuerunt 141. Epiſcopi. Ferme unica, aut certe cauſa princeps illud celebrandi fuit unio Orientalis Eccleſiæ cum Eccleſia Occidentali (o). Olim in Gallia iſtud Concilium non audiiſſe Oecumenicum ſupra diximus, cujus non una, ſed duplex dari ſolet ratio: tum quod nemo Gallorum Præſulum acceſſum prohibente ipſo Rege interfuerit: tum quod crediderint per ea, quæ in hoc Concilio de poteſtate Romani Pontificis divinitus tradita aſſerta ſunt, labem inferri iis, quæ in ſeſſ. 4. & 5. Concilii Conſtantienſis de Conciliorum generalium authoritate decreta leguntur. Rebus tamen melius diſcuſſis judicarunt ambo Concilia facile

Galli illud non receperunt.

(m) Seſſ. 35. De hoc decreto vid. Natal. Alex. ad ſæc. 15. diſſertat. 6. Item Launojus Tom. 1. Part. 1. Præſcript. de concept.

(n) Major favor Concilii Baſileenſis, quam Concordatorum Germaniæ vel exinde liquet, quod in eo reſervationes omnes tam generales, quam particulares ſive in Extravag. *Execrabilis*, & *ad Regimen*; ſive in regulis Cancellariæ factæ, retenta ſola illa, quam vocamus *in corpore Juris clauſam* in cap. 2. de præbend. in 6. fuerint reſciſſæ: cum econtra reſervationes illæ in Concordatis iterum Pontifici fuerint ſtabilitæ. Qua arte Germani ad facienda hæc Concordata fuerint permoti, non attinet hic dicere.

(o) Hanc enim cauſam allegat Eugenius IV. in ſua Bulla, quæ incipit: *Doctoris Gentium*.

Digitized by Google

le poſſe conciliari, & ad unum omnes nullo contradicente Græcorum unioni in eo ſancitæ, & articulis ad fidem ſpectantibus ſubſcripſerunt. Acta hujus Concilii continent varias collationes, & diſputationes inter Græcos & Latinos habitas, ac plures definitiones fidem concernentes (p), quarum diſcuſſionem Theologis relinquimus.

Unum eſt, quod præterire non poſſumus, idque non aliud, quam *Decretum unionis* pro Armenis, Jacobitis, Æthiopibus, Syris & Maronitis, quod in materia Sacramentorum, præcipue quando de illorum materiis & formis agitur, frequentiſſime allegari conſuevit. Circa quod id unum animadvertimus, illud ex communiori ſententia non eſſe regulam fidei conciliarem; neque ea, quæ de materiis & formis in eo aſſeruntur, eſſe de fide: quia fuit promulgatum poſt ſolutam Synodum, & 4. menſibus poſt diſceſſum Græcorum, quo tempore Concilium jam non amplius erat Oecumenicum: non enim ſoli Patres Occidentales univerſalem repræſentabant Eccleſiam (q). *Decretum unionis notari meretur.*

Inter Concilia generalia decimum octavum, dempto Concilio Piſano, & Baſileenſi, numeratur Concilium Lateranenſe V. an. 1512. ſub Julio II. inchoatum; ſub Leone X. & Maximiliano I. an. 1517. abſolutum. Cauſa illud convocandi præcipua fuit Conciliabulum Piſanum a quibuſdam Cardinalibus & Epiſcopis, dum fervebant diſſidia inter Julium Pontificem, & Ludovicum XII. Regem Galliæ, invito Pontifice convocatum. In hoc Concilio habitæ ſunt ſeſſiones 12. quinque priores ſub Julio II. ſeptem reliquæ ſub Leone X. celebratæ ſunt. Præcipua illius geſta ſunt caſſatio pſeudo-Synodi Piſanæ, abrogatio *Concilium Lateranenſe V.* *Præcipua illius capita.*

(p) Electi ſunt 12. ex Latinis, & totidem ex Græcis, qui de iis, in quibus Latini a Græcis diſſiderent, diſputarent. Actum fuit potiſſimum de Proceſſione Spiritus Sancti, de additione particulæ: *Filioque*, de conſecratione in pane azymo & fermentato, de purgatorio, de viſione DEI Beatorum ante diem ultimum Judicii, de pœnis damnatorum mox poſt mortem ſubeundis, de Primatu Romani Pontificis &c.

(q) Decretum iſtud varia continet, & in eo Eugenius Græcis pro regula tradidit Symbolum Conſtantinop. cum clauſula: *Filioque*; Definitiones quartæ, quintæ, & ſextæ Synodi univerſalis de unitate perſonæ, & duabus naturis & voluntatibus Chriſti; Praxin Eccleſiæ Romanæ circa ſeptem Sacramenta; Symbolum *Quicunque vult ſalvus eſſe*; Uſum circa certas feſtivitates e. g. Annuntiationis B. V., Nativitatis S. Joan. Bapt.

Digitized by Google

rogatio Sanctionis pragmaticæ, ac ſubſtitutio Concordati Gallici inter Leonem X. & Franciſcum I. Regem Galliarum initi (r).

Concilium Tridentinum. Delabimur tandem ad Concilium generale numero 19. & ordine ultimum, quod eſt Tridentinum, an. 1545. ſub Paulo III. inchoatum, ſub Julio III. continuatum, & tandem ſub Pio IV. Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando I. abſolutum, ac an. 1563. confirmatum. Anguſtiæ pagellarum prohibent fuſius de hoc Concilio agere. *Cauſæ convocandi.* Cauſæ illud cogendi aliunde ſunt notiſſimæ. Obviandum nempe erat tum erroneis dogmatibus Lutheri, Zwinglii & Calvini per totam ferme Germaniam, & alias huic vicinas Provincias mirum in modum diſſeminatis: tum ſuccurrendum diſciplinæ Eccleſiaſticæ diverſis bellorum, & varii generis ſectarum, vel dicere liceat, (ne delicatiores aures offendamus, & criminis læſæ Pacis Weſtphalicæ rei agamur) novarum religionum fatis plurimum labefactatæ. *Quinam interfuerint.* Interfuere Synodo Prælati circiter 270. & præter hos Oratores Regum & Principum, Legati alii, Theologi, Juriſperiti, ac Viri doctiſſimi quamplurimi. Habitæ ſunt ſeſſiones 25. priores x. ſub Paulo III. ſex ſub Julio III. reliquæ ſub Pio IV. Conſtant ſingulæ ferme ſeſſiones Canonibus, & Capitulis. Canones continent dogmata fidei, & anathemata aliter ſentientibus inflicta. Capita vero complectuntur decreta morum, regulas diſciplinæ, explicationes doctrinæ Chriſtianæ, variarumque quæſtionum Theologicarum, quas Patres Concilii ſapientiſſima Oeconomia utentes decidere, ac definire noluerunt (s). Nemo unquam Catholicorum de Authen-

(r) Fuit hoc Concordatum poſt multas altercationes initum Bononiæ an. 1515. & in eo Regi vindicata liberrima facultas nominandi ad vacantes Epiſcopatus, Abbatias, aliaque Beneficia, exemptis quibusdam, ſub certis tamen conditionibus e. g. ut non niſi Doctorem vel Licentiatum in Theologia, vel Jure, & quidem intra 6. menſes nominet &c. Item reſervationes, exſpectativæ ſunt extinctæ &c. hiſce Concordatis ipſi etiam Galli ſe vehementer oppoſuerunt, de quo vid. Alexander Natal. Petrus de Marca, Thomaſinus, Graveſon &c.

(s) Teſtatur Card. Pallavicinus, quod Synodus Trident. utpote unice contra hæreſes noviter exortas, & reformandam diſciplinam Eccleſiaſticam convocata quæſtiones inter Scholaſticos diſputatas ſapientiſſime declinare, & nullo modo definire voluerit: etſi Patres hinc inde ſuam mentem, in quam partem magis inclinaverint, non obſcure manifeſtent. Quare Theologi toties in ſuis quæſtionibus ſcholaſticis ad Concil. Trident. provocantes aliud inde argumentum deducere nequeunt, niſi probabile. Caute igitur diſtinguendum inter *Canones*, & *Decreta*: illis tanquam regulis fidei omnino aſſurgendum; non vero iſtis.

Digitized by Google

Authentia hujus Concilii dubitavit, illudque nationes Catholicæ omnes ſaltem quoad *Canones, & dogmata ſidei*, licet non *quoad regulas morum, & diſciplinæ* (t) acceptarunt. Ut tamen illud acceptarent Proteſtantes, nunquam perſuaderi potuerunt, qui, licet ipſi ad Concilium Oecumenicum continuo provocaverint, intereſſe tamen Concilio non ſunt dignati, neſcio quæ ad excuſandas excuſationes contra illud obmoventes (u). Pro diſſolvendis dubiis deſuper orituris Romæ erecta eſt Congregatio Cardinalium S. C. Trident. Interpretum, quibus facultas reſpondendi de *Jure, conſulto tamen Pontiſice*, & quidem tantum in rebus mores & diſciplinam concernentibus eſt conceſſa (x). Sunt plures, qui Hiſtorias Concilii Tridentini, ſed parum ſinceras nobis ſcriptas reliquerunt: quales fuere Paulus Sarpi, Sleidanus &c. Primas inter cæteras refert Hiſtoria Cardinal. Pallavicini: quamvis non deſint, qui neque hanc omnibus numeris eſſe abſolutam dicant, id potiſſimum cauſantes, quod genuina acta hujus Concilii in Archivio Romano aſſervata ſtudioſiſſime occultentur. Quod an revera ita ſe habeat, noſtrum non eſt inquirere. Brevem exegeſin præcipuarum Seſſionum lège ſis in Cabaſſutio, & Juenino.

Eſt infallibile quoad Canones, non quoad regulas morum & diſciplinæ.

Congregatio Cardinalium deſuper erecta.

Scriptores hujus Concilii.

§. VI.

Inquirendum jam in originem Conciliorum: & cujus Juris ſint, Divini, an Eccleſiaſtici, diſpiciendum. Juris Divini ea, ſi non omnia, certe aliqua eſſe, eorumque originem tam ex antiqua, quam nova lege, potiſſimum a Concilio Apoſtolorum Act. XV. habito (y) eſſe derivandam.

Inquiritur origo Conciliorum; Item an ſint juris divini vel humani.

(t) Sic quoad aliqua capita diſciplinæ non eſt receptum in Gallia, Polonia, Hungaria &c.

(u) Præcipue vero contra Præſidium Papæ proteſtabantur; volentes præterea, ut cauſæ ex ſolo *verbo DEI ſcripto* deciderentur &c.

(x) Erexere hanc congregationem Pontifices Pius IV. & V. & Sixtus V. tantum pro dubiis diſciplinam & mores concernentibus. De hac congregatione, declarationibus, obligatione, & receptione, earum maxime in Germania, alibi fuſius dicemus.

(y) Septem Apoſtolorum Concilia recenſet Petrus Annatus in ſuo Apparat. lib. 5. de Concil. ſect. 2. Primum pro eligendo Mathia in locum Judæ Act. 1. Secundum pro eligendis 7. Diaconis Act. 6. Tertium pro definienda Petri & Joannis ad Samaritas miſſione Act. 8. Quartum pro edendo fidei ſymbolo. Sed NB. hoc Concilium ipſo fatente Annato non habet fundamentum in Scriptura,

vandam, ſuppoſita etiam infallibilitate Pontificis, ferme communis eſt DD. Catholicorum ſententia. Longe alia mens & opinio inſidet Doctoribus Proteſtantibus & Reformatis, quos inter ſe ipſos colliſos comperio. Sunt inter ipſos, qui prima Conciliorum incunabula ad jus Divinum referre videntur, quos inter venit Scherzerus (z), quem inepte prorſus erroris arguit Walchius (a). Ab hac ſententia parum abeſt Moshemius mox infra laudandus. Alii originem illorum juri Apoſtolico adſcribunt, ſicut Caſparus Ziegler haud obſcuri nominis Vir, qui primum Concilium ab ipſis Apoſtolis Act. 15. fuiſſe habitum contendit (b). Alii vero eandem ſoli juri Eccleſiaſtico in acceptis referunt, atque ab exortis hinc inde in Eccleſia controverſiis eſſe derivandam exiſtimant (c). Nam ubi controverſia aliqua decidenda & ſententia erat ferenda, conveniebant primitus Presbyteri unius Eccleſiæ cum ſuo Epiſcopo. Quoniam vero controverſia non raro unam, ſed plures contingebat Eccleſias, in partes vocabantur aliarum Eccleſiarum Epiſcopi, ut in locum, ubi viſum fuerat, convenirent, ac cauſas dijudicarent. Atque hos conventus dicebant Synodos provinciales. Succeſſive cauſam communem faciebant plurium provinciarum Epiſcopi: & inde ortum ſuum trahunt Concilia Nationalia, usque dum denique ventum fuerit ad Concilia generalia (d). Boehmerus Conciliorum originem ex *conſociatione* illa, quæ primos inter Chriſtianos viguit, eſſe repetendam

Proteſtantes quoad originem Synodi, an ſit juris Divini vel humani, non conveniunt.

Undenam origo Synodi?

Opinio Boehmeri de conſociatione.

Quintum pro definienda Antiochiæ ſuborta quæſtione de circumciſione, legalibusque ſervandis. Act. 15. Sextum pro hortandis Eccleſiæ Epheſinæ Senioribus ad Eccleſiam ſumma cum vigilantia regendam Act. 20. Septimum pro tollenda Gentiliſmi ſuſpicione de Paulo a Judæis concepta Act. 21. Alii cum Cabaſſutio tria enumerant. Sed veremur omnes hos conventus inſtar Synodorum habere, cum non omnis conventus ſit Synodus. Quidquid de hoc ſit, nos ſolum illum conventum Jeroſolymis in cauſa legalium celebratum, qui ex communi DD. opinione fuit celeberrimus, & veram ſpeciem Synodi præfefert, examini ſubjiciemus. Tota rei ſeries legatur in ipſa Script. Act. 15.

(z) In Syſtem. Theologico p. 672.

(a) Dicit enim, id provenire ex defectu notitiæ legum fundamentalium Eccleſiæ loc. ſupra cit. pag. 7.

(b) In Commentario ad Inſtit. Lancelloti ad Tit. 3. lib. 1.

(c) Hugo Grotius de Imp. ſum. Poteſt. circa ſacra §. 2. Matthæus Pfaffius in Jur. Eccleſ. cap. IV. de Concil. §. 3. Gundlingius im allgemeinen geiſtlichen Recht, ad lib. 1. Tit. 1. §. 10.

(d) Vid. Pfaffius loc. cit.

Digitized by Google

dam arbitratur (e): quo cum ſentire videtur Walchius aliquoties citatus (f). Mediam quamdam ſententiam amplectitur Vir ſummi nominis & a nobis plurimi æſtimatus Laurent. Moshemius (g). *Opinio Moshemii.* Author hic in variis ſuis operibus, quæ nobis ad manus ſunt, de hac quæſtione perquam erudite tractat (h). Juvat illius opinionem non nihil operoſius deducere. Exiſtimat Moshemius in hac quæſtione latere etiam quæſtionem de nomine, quid nomine Concilii intelligatur; & ideo eſſe diſtinquendum inter Conventus prout tempore Apoſtolorum a tota multitudine ad controverſias dirimendas fuere celebrati; *Diſtinquit duplicis generis Synodos.* & inter Conventus ſucceſſive circa medium aut finem Sæculi II. introductos, ad quos ſoli Epiſcopi vel unius provinciæ, vel plurium provinciarum in negotiis Religionis confluxere. Priores illos conventus juris eſſe Divini aſſerere neutiquam formidat: poſteriores ad medium vel finem Sæculi II. refert (i). Idem Author poſtea Boehmerum, qui Synodorum ſicuti dictum, originem in *confœderatam Diſciplinam* reſundit, modeſte & refellit, & excuſat eatenus, quatenus Boehmerus loqui videtur potius de Conciliis *provincialibus*, ad quæ confluxere Epiſcopi provinciarum, quam conventibus unius Eccleſiæ vel paucarum finitimarum, *Refutat Boehmerum.* quibus

(e) Diſſert. III. de Confœd. diſcip. §. 71. & ſeq.

(f) Loc. cit. pag. 7. ubi ſic ait: Es iſt nicht erweißlich, daß der Urſprung der Kirchen-Verſammlungen von einer unmittelbaren göttlichen Anordnung herzuleiten ſeye. Dahero iſt diejenige Meynung höchſt wahrſcheinlich, daß die genaue Vereinigung, welche aus mancherley Urſachen unter den benachbarten Gemeinden entſtanden, und ebenfalls aus mancherley Urſachen ſorgfältig erhalten wurde, dazu die nächſte Gelegenheit gegeben.

(g) Inſtit. Hiſt. Chriſt. Sæc. I. part. II. §. 19. & ſeq.

(h) Loc. mox cit. Item de Rebus Chriſtian. ad Sæc. II. §. XXII. & allgemeines Kirchen-Recht, cap. 1. pag. 71.

(i) *Si Concilium nihil aliud eſt quam conventus Chriſtianorum ad controverſiam quamdam ex præſcripto veritatis dirimendam, aut alia toti cætui ſalutaria decernenda coactus, equidem nil affirmare vereor, ab ipſis rerum Chriſtianarum initiis Concilia habita & divino jure introducta fuiſſe. Verum aliter pronuntiandum eſt, ſi Concilium dicatur conventus eſſe Epiſcoporum ad leges de re ſacra ferendas. Ejusmodi enim Congregationes his temporibus recentiores eſſe, nec ab Apoſtolis præceptas, lubentes confitemur. Effecit, niſi me mea fallit opinio, hæc ambiguitas vocabuli Concilium, ut doctiſſimi quidam Viri vehementius.*

quibus non Doctores duntaxat, ſed integer fidelium cœtus interfuere: Priores ex mente Moshemii rectiſſime in *Conſociationem*, & nullo modo in jus Apoſtolicum refundi poſſunt: poſteriores vero vel lege quadam vel exemplo Apoſtolorum nituntur (k).

Syſtema Moshemii exponitur.

Jam quomodo Moshemius originem Synodorum tam provincialium Nationalium & Generalium ex Sæculo II., quam *antiquiorum* ex ipſo Concilio Jeroſolymitano, & hoc ipſo ex jure Apoſtolico & Divino elucidet, videamus. Juvat totum illius Syſtema exponere: quia inde fortiſſimum argumentum depromemus ad doctrinam noſtram Catholicam, qua originem Conciliorum juri Divino adſcribimus, fortius confirmandam ſtabiliendamque. Sed nec doctrinas erroneas diſſimulabimus, quas Moshemius hinc inde eum in finem immiſcet, ut Syſtema Catholicum de regimine Eccleſiæ velut Reipublicæ labefactet, ſuum econtra ſuorumque Aſſeclarum de Societate æquali ſuſtentet (l).

Videamus primitus de origine Synodorum provincialium aliarumque inde ortum ſuum trahentium. Ex ſupra dictis conſtat, quod juxta opinionem Moshemii huic quæſtioni immixta ſit quæſtio de nomine: Quapropter ante omnia dilucidandum, quid nomine Concilii intelligatur.

Duplicem ſtatuit ſignificationem hujus nominis SYNODUS.

Levi brachio celeberrimus hic Author eam diſſolvit, dum duplicem illius ſignificationem adſtruit *latiorem* & *ſtrictiorem*. In priori Synodus

mentius, quam neceſſe erat, contra antiquitatem & æquitatem Conciliorum diſputarent. In Inſtit. Hiſt. Chriſt. §. XIX.

(k) Loc. cit. ubi ſic habet: *Diſcedere ab hac ſententia videtur Vir Illuſtris Juſt. Henn. Boehmerus. Sed facile forte hæc ejus opinio cum illa, quam hic profeſſus ſum, conjungetur. Primum Vir egregius non tam de Conciliis omnibus, quam de Provincialibus tantum loquitur, ſeu de conventibus Antiſtitum totius cujusdam provinciæ ad lites quasdam dirimendas aut negotia majoris momenti expedienda: Nos vero de concionibus unius Eccleſiæ aut paucarum finitimarum, nec Doctorum tantum, ſed totius multitudinis Chriſto deditæ. Intereſt igitur multum inter illa Concilia, quæ nos ex Apoſtolorum præſcripto duximus celebrata eſſe; & ea, quibus ipſe conſociationem omnium totius provinciæ cujusdam cœtuum occaſionem præbuiſſe arbitratur. Fatebimur haud inviti, provinciales conventus Antiſtitum non lege quadam aut exemplo Apoſtolorum niti; verum paulatim amplificatis Chriſtianorum rebus ex ipſa Eccleſiæ veteris forma & conſtitutione ortum ſuum traxiſſe.*

(l) Atque hæc eſt ratio, cur Moshemius, dum definit Concilium, in ſua ampliori ſignificatione conſideratum, ſemper ipſius multitudinis, vel cœtus Chriſtianorum mentionem ingerat.

Digitized by Google

modus idem eſt, ac conventus quiscunque in negotiis Religionis & Eccleſiæ convocatus, coacto præter Doctores ipſo cœtu fidelium, quo in ſenſu jam tempore Apoſtolorum coactæ fuere Synodi, ad quas convenere Apoſtoli, Seniores & ipſe cœtus fidelium: In poſteriori ſignificat Synodus conventum conſociatarum communitatum non quidem per ſe, ſed per ſuos *Repræſentantes* (alludit Moshemius ad conſociationem Boehmerianam) nempe per Epiſcopos confluentium, quarum certa epocha ſtatui non poteſt (m). Atque de his jam agendum, inquirendumque, undenam illarum origo derivanda.

Synodi in ſenſu latiori tempore Apoſtolorum celebratæ.

Ad Sæculum II. Synodos *Provinciales*, ad Sæculum III., & IV cæteras inde exortas, quales ſunt *Nationales* & *Generales*, eſſe referendas, tum ex Tertulliano tum aliis Scriptoribus & rationibus Moshemius commonſtrat: nam I. ait, in primo Eccleſiæ ſæculo ad dimidium usque ſæculi II nec umbra alicujus Synodi Provincialis; multo minus illius conſociationis a Boehmero tantopere jactatæ reperitur. II. Primus, qui Conciliorum mentionem facit, fuit Tertullianus aſſerens, quod per Græcias fuerint celebrata Concilia. Verba Tertulliani hæc ſunt: *Aguntur præterea per Græcias certis in locis Concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur* (n). Ex his verbis conſtat, Concilia nondum in Africa, in qua vivebat Tertullianus, nondum in Eccleſia latina, nondum in Oriente, nondum in Ægypto; ſed in ſola Græcia, ſeu, ut Afer hic ait, per *Græcias*, id eſt apud omnes in Aſia & Europa populos, qui Græci vocabantur, exe-

Origo ad II. vel III. Sæc. refundenda.

Tertullianus primus facit mentionem Synodi.

 unte

(m) Es iſt ein Streit, wann die Kirchen-Verſammlungen entſprungen ſind. In dieſe Streitigkeit hat ſich ein Wort-Streit eingemiſchet, und um denſelben zu vermeyden, muß man nur merken, daß das Wort Concilium eine weite und engere Bedeutung habe. In jener bedeutet es eine angeſtellte Zuſammenkunft über Kirchen-Sachen, nach dieſer Bedeutung ſeynd frühzeitig und ſelbſt zu der Apoſtel Zeiten Kirchen-Verſammlungen gehalten worden. Daher pfleget man die Verſammlung zu Jeruſalem Apoſtel-Geſchicht XV. das erſte Concilium zu nennen. Allein dieſe Verſammlung war ein Zuſammenkunft einer einzigen Kirche, die aus den Apoſteln, den Aelteſten und dem Volke beſtand, und davon reden wir nicht. In ſeiner eigentlichen Bedeutung iſt ein Concilium eine Verſammlung verbrüderter Gemeinen, die eine Ordnung der Gemeinde machen. In welchem Jahre aber eigentlich die Verſammlungen entſtanden ſind, läſſet ſich wegen der Dunkelheit der Alterthümer nicht ausmachen.

(n) Lib. de Jejuniis cap. XIII.

In ſola Græcia Synodi celebratæ, & quare?

eunte ſæculo II. fuiſſe celebrata. Et undenam hunc morem celebrandi Concilia in Græcia fluxiſſe exiſtimamus? Erat nempe, prout diſcurrit Moshemius (o), Græcia ad gignendam Conciliorum conſuetudinem prorſus aptiſſima. Erat Græcia in multas minores Civitates & Reſpublicas diſtributa. Hæ omnes fœdere erant conjunctæ. Ut autem hunc nexum inter ſe conſervarent, frequentius per ſuos Legatos convenire, & de bono Reipublicæ conſulere conſueverunt. Itaque hunc morem æmulari atque id, quod Reipublicæ cauſa conſtitutum erat, ad Religionem trahere eo utilius & magis neceſſarium eſſe exiſtimabant Epiſcopi, quo plures lites & controverſiæ inter varias Eccleſias oriebantur, ad quas componendas & dirimendas conſociatio quædam inter Eccleſias ſponte inita, & celebratio Synodorum videbatur prorſus eſſe aptiſſima: eo etiam potiſſimum ex capite, quod Imperantes per Græciam nullam prorſus rei Chriſtianæ curam haberent (p). III. Ex Græcia mos iſte celebrandi plurium Eccleſiarum conventus in Palæſtinam & Syriam occidente ſæculo II, & demum in alias Eccleſias transibat (q). Ex quo factum eſt, ut ſucceſſive integrarum Nationum Epiſcopi coirent in Synodos; & inde Concilia Nationalia; & demum ſæculo IV, poſtquam Conſtantinus Magnus ſuum nomen Chriſtianis ſacris dedit, Concilia generalia ſuam traherent originem. Ex his ulterius deducit IV. Synodos illas a Tertulliano laudatas ea ætate pro humanis tantum, non pro Apoſtolorum aut ipſius JESU Chriſti inſtitutis; neque illarum Placita inſtar oraculorum Spiritus ſancti, ſed humanarum regularum fuiſſe habita: nam in eo erat Tertullianus, ut Chriſtianis jejunium Montaniſtarum, quorum inſtitutum amplexatus fuerat, perſuaderet. Id ut commonſtraret, argumento ad hominem utebatur, aſſerendo, quod ipſi etiam Chriſtiani, eorumque Epiſcopi jejunium in Conciliis a ſe celebratis imperarent: id quod ſigno manifeſto eſt, Tertullianum cum cœtu chriſtiano ea ætate ſibi perſuaſum habuiſſe, quod tales Synodi non divinæ ſed humanæ potius inſtitutionis ſint. (r). Deducit V. illam opinionem, qua creditur, quod Epiſcopi in Conciliis congregati vice Chriſti fungantur, agant, & judicent, ea ætate nondum invaluiſſe; ſed potius creditum fuiſſe, quod ipſam plebem & cœtum, cujus erant Epiſcopi, repræſentent: ait enim Tertullianus: *Ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur.*

Mos celebrandi Synodos tranſiit ad alias Eccleſias.

Tertullianus an crediderit, Synodos eſſe humani juris?

(o) In Inſtitut. §. XXII. pag. 268. & allgemeines Kirchen-Recht, cap. 1. pag. 70.
(p) Loc. cit. (q) Ibid. pag. 267.
(r) Locis antea citatis.

lebratur. Atque hæc ſunt argumenta, quibus Moſhemius originem Synodorum ad Sæculum II referendam, easque humani potius quam divini juris eſſe commonſtret.

Origo Synodi latius acceptæ pertinet ad jus divinum.

Ad alterum dogma Moſhemii examinandum progredimur aſſerentis, quod origo Synodi latius in ſenſu ſupra explicato conſideratæ in jus Apoſtolicum vel omnino divinum ſit refundenda. Provocat hic Author ad ipſum Concilium Jeroſolymitanum in cauſa de obſervantia legalium apud Antiochenos agitata celebratum. Lubet jam eorum omnium, quæ Moſhemius hic examinat, brevem dare Exegeſin. Aſſerit hic 1mo, ab ipſis *rerum Chriſtianarum initiis Concilia habita, & jure divino introducta fuiſſe*, ſi modo nomen Concilii in ſenſu latiori ſumatur Aſſerit 2do, Apoſtolos eſſe Authores horum Conciliorum, eorumque inſtitutionem illis adſcribendam: *Authoritas Apoſtolorum summa.* Tantæ enim authoritatis apud primos Chriſtianorum cœtus erant Apoſtoli, ut quidquid his ſeu voce ſeu ſcriptis & literis pro ſua, qua a Domino inſtructi erant, authoritate in rebus dubiis ſtatuere placuit (s), id omne ratum fixumque habuerint. Quoniam vero Apoſtoli in ſuo munere Apoſtolico occupati & per varias mundi plagas diffuſi nec ſe ſolis, nec in conventibus a ſe inſtitutis res dubias componere poterant, alio modo conſulendum erat Eccleſiæ neceſſitatibus. *Convenere Præpoſiti Chriſtianorum cum cætu in Synodos.* Idcirco procul dubio ex inſtituto Apoſtolorum vice Chriſti fungentium, convenere cœtuum Chriſtianorum Præfecti una cum populo, idque tum ratum fuit habitum ab omnibus, quod ab univerſa plebe, & præcipue ab his cœtuum Præfectis doctrinæ & diſciplinæ Apoſtolicæ conſentaneum eſſe judicatum fuerat. Quamvis ergo lex aliqua ſcripta Apoſtolica coeundi in Conventus Eccleſiaſticos non exſtet, *Exemplum Apoſtolorum inſtar legis habendum.* legis tamen inſtar Apoſtolicæ habendum erat tum Apoſtolorum exemplum Jeroſolymis in quamdam Synodum confluentium, tum *ratio Status*, aut *forma Chriſtianæ Civitatis* ab Apoſtolis introducta

(s) In Inſtit. Sæc. I. Part. II. Cap. III. §. XIX. ubi inter alia ſic habet: *non licebit alio modo hac ætate obortas forte controverſias componere, ſperoque faciles me omnes habituros, qui antiquitatem & naturam hujus moris rite expenderint, ſi dixero, ipſos Apoſtolos ejus Authores fuiſſe.* Illud animadvertendum eſſe duximus, quod Author hic in verbis illis, quibus Authoritatem Apoſtolorum adeo extollit, tacite provocet ad ſuam doctrinam, qua docet Apoſtolos fuiſſe præditos poteſtate legislatoria contra plures Proteſtantes; non vero Epiſcopos ſimili poteſtate pollere. Vid. Kirchen-Recht, pag. 41. 215. 220.

Digitized by Google

troducta; ex qua non potuit non ſequi inſtitutio Conciliorum pro dirimendis litibus & controverſiis ſane neceſſaria (t). Ulterius progreditur Moshemius & docet 3tio, Concilium illud Jeroſolymitanum revera primum fuiſſe Concilium: unde omnium conſequentium Conciliorum origines ſunt repetendæ.

A Synodo Hieroſolymitana origo Concil. petenda.

Refutat deinde ſententiam illorum, qui hanc ſuam doctrinam inter errores populares referunt, unaque Boehmerum ducem doctrinæ contrariæ modeſte corrigit & refutat. Id ſolum quaſi gratis concedit doctrinæ adverſæ & Boehmero, quod ſequentium temporum, & hodierna Concilia multis in rebus conferri non poſſint cum illo Concilio Jeroſolymitano; neque ab Apoſtolis per hunc conventum imperata eſſe, defendi valeat (u). Interim pergit, & docet 4to, Apoſtolos ſuo exemplo & inſtituo docuiſſe methodum dirimendi controverſias quocunque tempore excitandas, atque exinde cœteras omnes Synodos ſuam originem duxiſſe, cum hoc ſolo diſcrimine, quod ad Concilium illud Jeroſolymitanum, & alia antiquiora integra multitudo plebis convenerit; ad Concilia poſteriora ſoli Epiſcopi excluſa plebe convenire ſoleant (x).

Quomodo ſucceſſive diverſæ Synodi enatæ?

Poſtea pulcherrime explicat, qua ratione & arte inde enata ſint Concilia generaliora Provincialia Nationalia, & Oecumenica, dicens: *Cum omnes Provinciæ cœtus convenire commode non poſſent, ſufficere rati ſunt, ſi delecti quidam verbis & nomine populi, a quo miſſi erant, conſicerent, quæ expedienda erant* (y). Cœterum

Refutatur Boehmerus quoddam compromiſſum fingens.

(t) Quare *ſi quis vel maxime contendere velit*, ait Author pag. 263. *nihil de conventibus ejusmodi ſancitum eſſe: haud tamen reſiſtet, ne id pro inſtituto eorum habeatur, quod ex ipſa Civitatis forma, quam illi præſcripſerunt, non potuit non conſequi.*

(u) *Rectiſſime judicat Vir illuſtris, intellige Boehmerus, hoc cum conventu Hieroſolymitano conferri multis in rebus haud poſſe Comitia illa Antiſtitum, quæ ſequenti ætate Concilia ſunt appellata.* loc. cit. pag. 364.

(x) *Certum eſt, leges Servatoris noſtri hoc Hieroſolymitano Conventu, tanquam exemplo quodam, docere voluiſſe, lites inter diſcipulos Chriſti naſcentes communi quaſi voce totius multitudinis terminandas. Hoc illi præceptum ſine controverſia ſecuti ſunt, qui poſtea ampliora Concilia congreganda eſſe in rebus dubiis ſtatuerunt. Quamvis igitur multum inter hæc Concilia, & illum Apoſtolorum conventum interſit, certo tamen modo adſeverare licet, ab hoc illa nata & derivata eſſe* &c. loc. cit. pag. 365.

(y) Docet nempe Boehmer, Antiochenos per modum *Compromiſſi* Apoſtolos ſibi judices

Digitized by Google

rerum author ego ſim, ut quæ Moſhemius ulterius habet, & quomodo illum conventum Jeroſolymitanum explicet, Boehmeri ſententiam *compromiſſum* quoddam fingentis refellat, & authoritatem Apoſtolorum mirum in modum exaltet, eosque ſimul *Judices*, & *Magiſtros* conſtituat, diligenter legantur, & accuratius expendantur (z).

En! ſyſtema Moſhemii non nihil fuſius deductum: ex quo ego colligo, Authorem hunc quoad ſubſtantiam in hac quæſtione nobiſcum Catholicis convenire, hoc ipſo, quod originem Conciliorum juri divino & Apoſtolico adſcribere non vereatur (a). In eo ſolum a nobis differt, quod inprimis in quæſtione nominis hæreat nutet & vacillet (b): quod duplicis generis Synodos antiquiores ad dimidium usque ſæculi II, & noviores a ſæculo II. usque nunc celebratas, hasque in eo potiſſimum a ſe invicem differre ſtatuat, quod ad priores integra multitudo plebis vel per ſe vel per ſuos Legatos; ad poſteriores ſoli Epiſcopi excluſa plebe confluxerint: cœterum etiam has ex jure Apoſtolico diffluxiſſe negare non audeat (c). Nullus ego dubito, Moſhemium doctrinæ

In quo differat doctrina Moſhemii a noſtra.

judices & arbitros adſciviſſe: cui opponit Moſhemius, non in libertate Antiochenorum fuiſſe, quid facere vellent, ſed jus ipſum divinum flagitaſſe, ut id, quod feciſſe leguntur, facerent. Erant enim Apoſtoli ab ipſo Chriſto conſtituti judices omnium controverſiarum, Spiritus Sancti donis ad id muneris obeundum inſtructi Quapropter oportebat Antiochenos eos adire & decernere ſeſe id ratum habituros, quod ab his divinæ voluntatis interpretibus judicatum eſſet. Et ex ipſo, quod Hieroſolymis conditum eſt, decreto evidens eſt, illud pro *Laudo*, quod proprie Jureconſulti vocant, nullo modo haberi poſſe. Nam præcipiunt & decernunt authoritate Spiritus Sancti, quomodo ſentiendum eſſet, non ſuadent, aut conſilium impertiunt. pag. 365.

(z) Docet Moſhemius, quod Apoſtoli ſuam authoritatem ſummam in hac Synodo oſtenderint; equidem multitudinem convocaverint, ſed non curaverint, quid multitudini viſum eſſet, non ſuffragia numeraverint, ſed Petrus aſſurgens tanquam Legatus JEſu Chriſti decreverit &c. pag. 366.

(a) Jam ſupra monuimus huic quæſtioni ex mente Moſhemii immixtam eſſe quæſtionem de nomine.

(b) *Quamvis igitur multum inter hæc Concilia & illum Apoſtolorum conventum interſit, certo tamen modo adſeverare licet, ab hoc illa nata & derivata eſſe.* pag. 365.

(c) Vid. Diſſertatio ſub titulo: Das ein Catholiſcher Landsherr ꝛc. & noſtra Diſſert. de ſtatu Eccleſ. pag. 58.

Moshemius parum a nobis differt. ctrinæ Catholicæ acceſſurum,. ſi modo ſyſtema ſuum, quod commune habet cum cœteris Proteſtantibus de Societate æquali & juribus Collegialibus, non foret ſuſtentandum. Porro autem id non indigne feret *Plebs potuit ſua jura transferre in Epiſcopos.* Vir celeberrimus, ſi dicamus, quod utique plebs Chriſtiana ſua jura ſi tamen habuit, potuerit transferre in Epiſcopos: quemadmodum ex mente Proteſtantium illa in Pace Weſtphalica tranſtulit in Principes, & eo ipſo Epiſcopi tanquam eorum Repræſentantes in Conciliis egerint. Si dicat, quod Epiſcopi jus celebrandi Concilia excluſa plebe uſurpaverint, id negamus: Ubinam enim plebs contradixit? Sane libere fatetur Pertſchius Vir inter Proteſtantes haud ignobilis, quod Eccleſia a Chriſto inſtituta a primæva ſua origine notabiliſſimam partem ſuorum jurium in Pontifices & Epiſcopos transfuderit. Et an non Epiſcopi eodem jure plebem a ſuis conventibus excludere potuerunt, quo jure id feciſſe Apoſtolos in Concilio Hieroſolymitano ipſe Moshemius perhibet? Haud ignoramus, telum iſtud Moshemium graviter non ferire, utpote qui ſucceſſionem Apoſtolicam in Epiſcopis non admittit. Verum præterquam quod hæc doctrina ſit erronea, & ex ea *Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum.* neſcio quæ ſequelæ dimanent peſſimæ, & hac ratione Chriſtus ſuæ Eccleſiæ peſſime conſuluiſſet, ſi illam ſine legitimis Paſtoribus, interpretibus, & judicibus reliquiſſet, id ſaltem vix negare poterit, quod Epiſcopi inſtar Delegatorum & Repræſentantium haberi poſſint. An ergo illa norma a Chriſto præſcripta decidendi controverſias in Conventibus unice ſpectavit tempora Apoſtolorum, & ſic poſteriorem Eccleſiam ſine norma in decidendis litibus obſervanda relinquere voluit? Quæſo quæ rerum monſtra inde ſequentur? hiſce interea Moshemium *Synodi provinciales ſunt antiquiſſimæ.* miſſum facimus. Id duntaxat addere placuit, quod authores, qui originem in jus Eccleſiaſticum ad ſæculum II. & in conſociationem Chriſtianarum communitatum refundunt, doceant, Synodos Provinciales eſſe antiquiſſimas, & ex his deinde amplificatis Eccleſiæ finibus, & introductis variis Epiſcoporum, Metropolitarum, & Patriarcharum gradibus Synodos Nationales, & demum ſæculo IV. generales dimanaſſe (d).

Jam ad id, unde digreſſi ſumus, revertamur, & cujus juris ſint *Proteſtantes negant Synodos eſſe juris divini.* Concilia, diſpiciamus. Juvat hac in re audire Doctores varios; præprimis magnum illum Virum Hugonem Grotium, qui conventus Synodorum in numero earum rerum ponit, quæ jure naturæ permiſſæ, legibus humanis præcipi, permitti aut prohiberi poſſunt, atque in id præci-

(d) Walchius loc. ſupra cit. pag. 7. & ſeq.

Digitized by Google

præcipue innititur, ut oſtendat, quod Synodi nulli legi divinæ nitantur (e). Illius argumenta hæc ſunt. Nam, ait, præceptum habendæ Synodi in lege divina reperitur nullum: ubinam enim tale reperire eſt? illa autem exempla ſcripturæ antiquæ & novæ legis nec habent vim præcepti, nec ſpeciem Synodi. Legem antiquam ſi luſtremus, occurrunt quidem exempla *Synedrii;* ſed non *Synodi*, quæ duo ſunt diverſa (f). Convocati quidem interdum fuerunt diverſis ex partibus Levitæ, aut ſoli cum cœtera plebe: ſed ut audirent imperata, non ut ſententiam promerent (g). Quod ſi ad Conventum Apoſtolorum (h), provocetur: profecto conſeſſus iſte minus recte vocatur *Synodus* hac ſaltem notione, quæ nunc hujus vocis eſt propria (i). Num enim ad illum convenere Epiſcopi & Presbyteri ex omni Aſia, Syria, Cilicia, & Judæa? Minime gentium: ſed quorumdam Apoſtolorum & *Presbyterii* Hieroſolymitani *Collegium* erat, non *Synodus*; *Presbyterium* unius civitatis, non *Synodus* vocari poteſt. Comparemus non nihil Concilium Hieroſolymitanum cum Conciliis ſequentium temporum, nonne toto cœlo differunt? Requirunt Catholici ut Concilium convocetur a Pontifice, ut vocentur Epiſcopi totius orbis Chriſtiani, ut ſoli interſint Epiſcopi ſaltem ex jure divino. Illud Concilium non convocavit Petrus tanquam Primas & Caput Eccleſiæ, neque alius quiscunque Apoſtolus. Potius Antiocheni miſerunt legatos, & deciſionem quæſtionis controverſæ rogarunt (k). Non ad illud Apoſtoli per varias diſperſi provincias vocati ſunt. Huic Concilio non interfuere ſoli Epiſcopi, ſed etiam Seniores nomine plebis & populi. En! diverſitatem ſubſtantialem certe inter hanc & noviores Synodos. Aliud adhuc argumentum ex Gundlingio (l). Audiamus, ait ille: Utique in hoc conſeſſu non agebatur de controverſiis fidei decidendis, ſed de re adiaphora diſciplinam concernente, de legis Moſaicæ vi & efficacia: intererant non ſoli Doctores ſed etiam Auditores. Omnia communi conſilio & ſuffragio decidebantur: decreta fratribus Antiochiæ agentibus non violenter obtrudebantur, ſed ab ipſis ſponte recipiebantur. En! argu-

Eorum argumenta.

(e) De Imp. Sum. Poteſt. circa Sacra §. II.

(f) Synodus enim ex noviori notione ſignificat *conventum* diverſarum Nationum.

(g) Loc. cit. (h) Act. XV. (i) Vid. mox dicta.

(k) *Statuerunt, ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apoſtolos & Presbyteros in Jeruſalem ſuper hac quæſtione.* Act. XV. v. 2.

(l) Allgemein geiſtliches Recht. ad lib. I. Tit. I. §. X.

argumenta præcipua, quibus Grotius aliique originem Conciliorum ingenti inpetu a ſua antiquitate & inſtitutione divina depellere nituntur.

Argumenta Catholicorum.

Audiamus jam DD. noſtros Catholicos ingenti argumentorum apparatu incedentes, queis originem, & inſtitutionem divinam Conciliorum ab ipſis Apoſtolorum temporibus derivandam jure ſibi vendicant. Inprimis miramur, quod Hugo Grotius Vir ſummi ingenii aliique ſuæ Religionis aſſeclæ utantur argumento ex lege antiqua deprompto ita arguentes: *Synodi non fuere in lege antiqua: ergo neque in nova:* quippe quibus nihil eſt antiquius, quam quod Catholicis exprobrent, quod toties a lege antiqua argumentum ducant ad novam (ll). Dein demus in lege veteri Synodos (de hoc adhuc ſub judice lis eſt) non fuiſſe celebratas, anne ergo neque in lege nova eas Chriſtus inſtituit, & inſtituere noluit? fallere hanc argumentandi rationem ipſi AA. fateantur, neceſſe eſt. Ipſam notionem Characteriſticam Synodi a Grotio explicatam inſpiciamus, quæ ex mente illius in eo conſiſtit, ut ſit Conventus multorum non unius ſed diverſæ Nationis, vel plurium Ordinum ejusdem Civitatis ad tractanda negotia majoris momenti convocatus. Nunquid autem hæc notio propria eſt conventui Apoſtolorum Hieroſolymis confluenti? Convenere in eo Apoſtoli & Seniores Hieroſolymis commorantes, advenere Paulus & Barnabas cum aliis ab Antiochia venientes, homines utique non ejusdem ſed diverſi Ordinis & Civitatis, & tales quidem, quorum ſingulariter intererat deciſio quæſtionis dubiæ & controverſæ. Perſcrutemur non nihil accuratius illud Concilium Hieroſolymitanum, & qua ratione in ſubſtantialibus cum noſtris Synodis conveniat, videamus.

Ex ipſa notione Synodi demonſtratur, quod Synodus ſit juris divini.

Synodus Hieroſolymitana convenit cum Synodis noſtris.

Ad Petrum & Apoſtolos Hieroſolymis commorantes Antiochenis placuit mittere Paulum & Barnabam (m). Sed quare ad Petrum, & Eccleſiam Hieroſolymitanam? Nempe in Petro Primatum & quamdam plenitudinem poteſtatis, ipſam vero Eccleſiam Hieroſolymitanam tanquam Matrem omnium Eccleſiarum, ſi originem ſpectemus, utpote ex qua Religio Chriſtiana in omnes diffluxit Eccleſias, ſuſpexerunt, ac Spiritu Sancto afflati, & a Chriſto edocti ſimiles controverſias non niſi in communi Conventu & communibus ſuffragiis eſſe decidendas haud ignorabant (n). Huic Synodo præfuit Petrus: ipſe controverſiam propoſuit, decidit, judicavit, ſententiam ultimato ſuo & Concilii nomine

(ll) Vid. Quæſtio II. cap. 2. de Auth. Script. §. 9.

(m) Act. 15. v. 2. *Statuerunt, ut aſcenderent Paulus & Barnabas.*

(n) Vid. quæ ſupra ex Moshemio retulimus circa præceptum divinum.

Digitized by Google

mine dixit (o). Ad hanc Synodum conſluxerunt Apoſtoli & Seniores ſine dubio a Petro convocati. Sed qua authoritate hos omnes interſuiſſe exiſtimamus? prorſus diverſa. Conquiſierunt omnes (p): Sed ſoli Apoſtoli locuti ſunt, Petrus: *Viri Fratres vos ſcitis &c.* (q); Paulus & Barnabas: *audierunt Barnabam & Paulum* (r); Jacobus: *reſpondit Jacobus dicens: Viri Fratres &c.* (s): Seniores vero ſimpliciter audierunt, obmutuerunt, ſuoque ſilentio ſignificarunt, *non licere*, verba ſunt Moshemii, *Apoſtolis ſtatuentibus Chriſtianos dubitare, & diſputare, hosque ſolos, ſi voluiſſent, pro arbitrio difficultatem Antiochiæ natam tollere potuiſſe.* Inſuper huic Synodo interſuere diverſarum Eccleſiarum Apoſtoli, Petrus & Jacobus aliunde præſentes, Paulus & Barnabas Antiochia adventantes. Quid ergo deſuit, quo minus Synodus iſta dici poſſit norma Synodorum poſtea celebratarum, aut quid rei eſt, propter quam ſubſequentes Synodi ab illa deflexiſſe videri poſſint? Nempe, inquiunt, Petrus hanc Synodum authoritate propria non convocavit, ſed rogatus, conventus, & interpellatus hoc fecit: Neque omnes convocavit Apoſtolos. De cœtero etiam ſeniores populi vocavit, id quod ſequentes Pontifices & Epiſcopi non fecerunt: ſed ſibi ſolis excluſa plebe jus celebrandi Synodos, conſultandi, judicandi & decidendi vindicarunt. Verum enim vero, num dubitare licet, quod Petrus illam Synodum convocaverit? Verum eſt, quod non niſi rogotus, requiſitus, & conventus convocaverit. Sed utique convocare non potuit, priusquam controverſia ad Eccleſiam Hieroſolymitanam fuit devoluta. Iterum verum eſt, quod non omnes Apoſtolos fortaſſis per omnes orbis univerſi plagas diviſos, & in ſuo munere Apoſtolico occupatos vocaverit: Sed utique convocare non potuit. Periculum erat in mora: Decidenda erat quæſtio, quæ remoram non patiebatur. Fecerunt itaque Apoſtoli, quod in ſimili caſu fieri debet. Infra, ubi de authoritate Synodorum particularium agemus, dicemus, nonnunquam etiam Synodos particulares habere vim Synodi generalis, & ſuo modo eſſe generales, caſu quo ex rerum circumſtantiis convocatio omnium Epiſcoporum eſt impoſſibilis (t). Itaque Petrus cœterique Apoſtoli in Concilio Jeroſolymitano congregati univerſam repræſentarunt Eccleſiam, & nomine ſuo & Eccleſiæ finalem pronuntiarunt

Eſt norma ſubſequentium Synodorum.

Gg 3

(o) Ibidem v. 7. (p) *Cum autem magna conquiſitio fieret* v. 7.

(q) Loc. cit. (r) v. 12. (s) v. 13.

(t) E. g. ſi Pontifex fiat hæreticus, ſchismaticus, periculum in mora, ne hæreſis ulterius graſſetur. vid. infra dicenda ad cap. de Conciliis Particularibus.

Digitized by Google

runt ſententiam (u). Illam neceſſitatem convocandi plebem hactenus nondum demonſtrarunt Proteſtantes. An non ipſe Moshemius fatetur, quod multitudo plebis in hac ipſa Synodo ſine voto ſine ſuffragio ſine authoritate adfuerit; ſolum audierit, obmutuerit, & ſe finali Apoſtolorum judicio ſimpliciter ſubmiſerit (x)? En! quomodo Synodi poſtea in Eccleſia celebratæ cum Synodo illa Hieroſolymitana ferme quoad omnia conſpirent, & ad ſummum in quibusdam accidentalibus differant, ut adeo inaniter laborare videantur Adverſarii, dum tam ſolicite in notionem characteriſticam Synodi inquirunt, quæſtionem de nomine immiſcent, & neſcio quas differentias excogitare laborant.

Ex hac Synodo eruitur lex Divina celebrandi Synodos.

Jam in id nobis etiam inquirendum eſt, utrum ex hac Synodo norma ab ipſo Chriſto pro decidendis quæſtionibus fidei erui valeat, ſicque Synodos ſaltem generales juris divini eſſe probari valeat? Id indubitanter aſſerimus. Argumento inprimis nobis ſunt ea omnia, quæ ſupra ex Moshemio fideliter retulimus. Hiſce plura alia ſuperaddimus, quæ, etſi fortaſſis contra Proteſtantes abſolute non ſint demonſtrativa, ſaltem Catholicos de veritate hujus doctrinæ convincere debent. Profecto regulæ inſtar apud Catholicos habendum eſt, quod in dubio, utrum hoc vel illud ſit juris Divini, non ad verba tantum imperativa Chriſti præcipientis, ſed ipſa etiam exempla & facta Chriſti & Apoſtolorum attendendum erit, quæ non raro, & tunc potiſſimum præcepti inſtar habenda eſſe exiſtimamus, quando Eccleſia exemplo Apoſtolorum immobiliter adhæſit, atque id ipſum perpetua ac continua praxi obſervavit, quod Chriſtum & Apoſtolos feciſſe non ignoravit: numquid autem Eccleſia hoc Apoſtolorum factum usque nunc fuit æmulata? quanquam enim in tribus primis Sæculis (non enim eo tempore aut neceſſarium aut poſſibile erat convocare Synodum generalem) nullum celebraverit Concilium Generale, celebravit tamen plura particularia, & mox, ubi per Imperatores Chriſtianos licuit, coëgit Concilia Generalia, atque in præſens usque tempus in Conciliis a ſe convocatis principaliora fidei dogmata declaravit, hæreſes præcipuas confixit, mores Chriſtianorum & diſciplinam ſuam aut inſtruxit, aut reformavit. Dein eſto, non fuerit Synodus illa Apoſtolorum generalis, & talis, quales ſunt hodie (neque enim talis eſſe poterat, cum nondum Eccleſia in omnem, qua late patet, orbem fuerit diffuſa: neque etiam talem celebrari neceſſum erat, quod controverſia non omnes æqualiter

(u) *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.*

(x) Loc. cit.

ter, ſed principaliter Eccleſiam Antiochenam concerneret) fuit certe particularis non unius ſed plurium Eccleſiarum, Hieroſolymitanæ, quæ tunc erat ferme præcipua utpote prima ſedes Chriſtianorum, ac Antiochenæ, a qua miſſi ſunt Paulus & Barnabas cum aliis (y). Ad hæc: inſpiciamus ipſum ſyſtema Eccleſiæ; quod Ariſtocratia temperatum eſſe exiſtimamus: quem vero latet, quòd in ſtatu Ariſtocratico, demus non eſſe perfecte talem, negotia majoris momenti communi conſilio, voto & ſuffragio curari, ac decidi ſoleant? Inſuper vix nobis perſuadebitur, ut credamus, Chriſtum ſuæ Eccleſiæ ſatis conſulturum fuiſſe, niſi inſtituiſſet Synodos: cum enim Eccleſia ſit corpus immenſæ magnitudinis per omnem orbem Chriſtianum diffuſum, qua ratione conſervare poterit unitas doctrinæ, integritas diſciplinæ, vinculum charitatis, niſi omnia fiant cum conſilio & ſuffragio Præſulum Eccleſiæ? Demum ipſa experientia neceſſitatem Conciliorum commonſtravit. Conquaſſarunt usque nunc Eccleſiam diverſæ hæreſes, diviſerunt illam plura ſchiſmata, turbarunt controverſiæ plures ingenti animorum fervore agitatæ, ſeu fidem, ſeu diſciplinam concernentes: ſed vix alia arte hæreſes configi, veritas reſtitui, controverſiæ finali ſententia decidi poterant, quam decretis Conciliorum. Quidquid egerant Stephanus & Victor in cauſa rebaptizantium & quartodecimanorum, controverſia finiri non potuit; ſola Synodus finivit, ac finire potuit: habuit Origenes defenſores & fautores etiam Catholicos, donec illius errores Synodo Generali V. fuerint confixi. Adhuc hodiedum in quibusdam regnis & provinciis graſſantur errores dudum fulmine Vaticano confixi vix ſupprimendi, niſi authoritate Concilii opprimantur. His rationibus credimus eſſe ſatisfactum alterius opinionis argumentis.

Ex Moshemio noſtra doctrina Catholica illuſtratur.

Adhuc ſemel ad Moshemium nobis revertendum eſt. Aſſumamus nos Catholici quasdam doctrinas hujus celeberrimi Viri, & rebus noſtris Catholicis applicemus. Aſſumamus inprimis doctrinam, qua docet, quod Apoſtoli nomine Chriſti, cujus erant legati, normam decidendi lites & controverſias in Eccleſia ortas præſcripſerint, & inſtar normæ Synodum Hieroſolymitanam aſſumpſerint. Nunquid jam nobis Catholicis concedendum erit, quod Eccleſia Catholica hactenus ſecundum

(y) Orta erat controverſia de obſervatione legalium, pro qua dirimenda miſſi erant Paulus & Barnabas Antiochiam. Hinc putant magni Nominis Authores, quod decreta Antiochiæ condita alias Eccleſias non obligaverint. Vid. Act. 15.

Google

cundum normam ab Apoſtolis præſcriptam egerit, illorum inſtitutioni firmiſſime inhæſerit, dum pro decidendis controverſiis Synodos convocavit, easque judicio finali decidit, & terminavit? Si dicant, quod Catholici ab hac norma deflexerint, quando integram populi multitudinem, aut illorum Repræſentantes excluſerunt, petunt principium, & movent quæſtionem hûc non pertinentem, quæ ab alia quæſtione præjudiciali, illa nempe, utrum Chriſtus Societatem æqualem vel inæqualem in ſua Eccleſia inſtituerit, dependet. Et ſi tanta eſt authoritas plebis in conventibus Eccleſiaſticis, & neceſſitas illam vocandi, quare Seniores illi ad Concilium Hieroſolymitanum vocati tacuerunt, obmutuerunt, & ſimplices fuēres Auditores, non Doctores legis, aut Judices cauſæ controverſæ? Aſſumamus aliam Moshemii doctrinam docentis, etiam noviores Synodos Sæculo II. celebratas aliquo modo diffluxiſſe ex antiquioribus. Iterum dicendum erit, quod Eccleſia morem Apoſtolorum fuerit æmulata, & pro diverſis rerum circumſtantiis aliqua ad ſubſtantiam neutiquam pertinentia immutaverit: id quod tanto majori jure facere potuit, quanto certius eſt etiam in principiis Moshemii, quod Chriſtus ſtabilem regiminis Eccleſiaſtici formam non inſtituerit, illiusque immutandi poteſtatem penes Eccleſiam reliquerit. Aſſumamus iterum aliam Ejusdem doctrinam, illam nempe, qua contra plures ſuæ Eccleſiæ aſſeclas aſſerit, quod Apoſtoli fuerint Legati Chriſti, veramque poteſtatem legislatoriam habuerint, & exercuerint: An non idem dicendum erit de Epiſcopis tanquam illorum ſucceſſoribus? Sed quoniam id a Moshemio negari non ignoramus, ſicut ſupra monuimus, huic argumento longius non immorabimur.

Seniores ad Synodum Hieroſolymitanam vocati non magnæ fuere authoritatis.

Sed neque Gundlingium moramur: nam quæſtionem in Synodo Hieroſolymitana agitatam ſpectaſſe fidem, non ſolam diſciplinam nobis certum eſt: quippe quod eo tempore poſt promulgatum jamjam ſufficienter Evangelium lex antiqua non tantum jam mortua, ſed etiam quoad aliqua præcepta fuerit mortifera. Hiſce ergo credimus eſſe ſatisfactum alterius opinionis argumentis.

Gundlingius refutatur.

CAPUT

CAPUT II.
De Requiſitis Conciliorum.

§. I. *Quænam ſint Requiſita eſſentialia Concilii Generalis in genere?* II. *Ad quem pertineat poteſtas illud convocandi?* III. *Illi præſidendi?* IV. *Illud confirmandi?* V. *Quæ cauſæ convocandi?* VI. *Quinam vocandi, aut convocari ſoleant; & habeant votum, & quale?*

§. I.

Requiſita Concilii Oecumenici in genere videamus. Ex Scriptura & traditione exiſtimamus ea eſſe mutuanda. Scriptura normæ loco nobis præbet Synodum Apoſtolicam Act. 15. celebratam; traditio vero ipſam praxin ab Eccleſia in celebratione Conciliorum obſervatam. Tria communius noſtrates ponunt requiſita Concilii: *legitimam convocationem*, *celebrationem*, & *approbationem* ſeu *confirmationem*. Porro exinde conſurgunt quamplurimæ, eæque ſummi momenti quæſtiones: quoad *convocationem* quidem, penes quem ſit poteſtas convocandi, & qui ſint vocandi, & quomodo vocari debeant? Quoad *celebrationem*, penes quem ſit jus præſidendi, quis ferre ſuffragium poſſit, qua ratione in decidendis quæſtionibus fidei ſit procedendum? Quoad *confirmationem*, quisnam illud approbare & confirmare debeat, & an Eccleſiæ requiratur acceptatio? Age, & iſta ſecundum ordinem videamus, & quantum fieri poteſt, tam ex Scriptura, quam traditione commonſtremus.

Tria ſunt requiſita Concilii Oecumenici.

§. II.

In quæſtione penes quem ſit poteſtas convocandi Concilium, Acatholicos & Catholicos, & hos ipſos inter ſe colliſos comperio: Acatholici indiſtincte illam Imperatoribus; Catholici vero quamplurimi Pontifici Romano vindicant. Doctores Galli mediatores agunt, quorum aliqui cum Launoyo (a) jus convocandi Concilia inter adiaphora ponunt, illudque nunc ad Imperatores, nunc ad Pontifices pro varietate circumſtantiarum, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ aliunde viciſſitudinibus obnoxiæ pertinere poſſe, atque ad propriam Synodi notionem parum

Ad quem pertineat poteſtas convocandi Concilia.

(a) In Epiſt. XI. ad Ludovicum Cuſinum, Tom. V. part. 2. pag. 301.

parum vel nihil facere exiſtimant, quisquis illud convocaverit. Alii vero (b) non ſolius Pontificis, ſed Eccleſiæ prout animarum Paſtores complectentis convocationem Synodorum eſſe autumant. Conferamus primo manus cum Acatholicis, eorumque argumenta expendamus. I. Quidem ad facta, ad praxin, obſervantiam & traditionem Eccleſiæ provocant, ex qua conſtat, fatentibus ipſis Doctoribus noſtris Catholicis (c), quod Imperatores octo priora Concilia Generalia convocaverint, Nicænum I Conſtantinus M. (d) Conſtantinop. I. Theodoſius Senior (e), Epheſinum Theodoſius Junior (f), Chalcedonenſe Valentinianus, & Marcianus Imperatores (g), Conſtantinop. II. Juſtinianus (h), Conſtantinop. III. Conſtantinus Pogonatus, Nicænum II. Conſtantinus, & Irene Mater (i), Conſtantinopolit. IV. Baſilius (k) Concilia in Galliis celebrata, quorum aliqua Conciliis generalibus ferme ſunt coæqualia, Reges Galliæ (l): quidquid ſequentes

Acatholici illud adſcribunt Imperatori.

Eorum argumenta refutantur.

(b) Juenin Inſtit. Proleg. diſſert. 4. quæſt. 3. art. 1. ubi ait: *Stricto jure ſolius eſt Eccleſiæ, prout animarum Paſtores complectitur, Synodos convocare.* Ubi tamen in concluſ. 6. hanc prærogativam Romano Pontifici adſcribit.

(c) Juenin loc. cit. Petrus de Marca, DD. Galli omnes, & alii etiam.

(d) Euſeb. lib. 3. de vita Conſtantini c. 6.

(e) Teſtatur id Socrates lib. 5. hiſt. cap. 8. *Imperator*, inquit, *nulla mora interpoſita Concilium Epiſcoporum ipſius fidem amplectentium convocat, quo fides Concilii Nicæni corroboraretur.*

(f) Evagrius lib. 6. Hiſt. cap. 3. *Neſtorius neque Cyrillo, neque Cæleſtini antiquæ Romæ Epiſcopi conſiliis obſecundavit, poſtulavitque, ut authoritate, ac juſſu Theodoſii junioris primum Concilium Epheſi congregaretur.*

(g) Act. 1. Concil. Chalced. ſic habetur: *In Nomine Domini in Chalcedonenſi civitate facta eſt Synodus ex decreto piiſſimorum & fideliſſimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani.*

(h) Legere id eſt in Epiſtola Juſtiniani ad Epiſcopos Conſtantinopoli conſidentes data.

(i) Hujus fidem facit Epiſtola eorundem Auguſtiſſimorum ad Hadrianum data, quam lege ſis in Juenino diſſert. 4. q. 3. a. 1.

(k) Act. 1. hujus Synodi ſic legitur: *Obſequentes Divinæ voluntati ac decreto Baſilii, DEI amiciſſimi Imperatoris noſtri, qui univerſalem Synodum congregavit.*

(l) Vid. Petrus de Marca de Concord. Sacer. lib. 6. cap. 19.

tes Pontifices a Nicolao I. uſque nunc attentaverint, qui antiquiſſimam eamque perpetuam traditionem eo minus ſubvertere potuerunt, quo major ſtat præſumptio & authoritas pro praxi, obſervantia, & conſuetudine Eccleſiæ perantiqua. II. Nituntur in vulgato illo *Jure in ſacra*, quod velut appendicem ex ipſa rerum natura, ac ſapientiſſima ſuperni Imperiorum Conditoris ordinatione ſupremæ poteſtati cohærentem venditant, inde ſibi jus pleniſſimum vindicantes dirigendi omnia ſacra & prophana, in quantum ſalus Reipublicæ, quæ *ſuprema lex eſto*, exigit, iis duntaxat exceptis, quæ Scriptura, & ſana ratio cuivis credenda (ſalva enim debet eſſe libertas conſcientiarum) proponit. Fundant ſe III. in *Jure Advocatiæ* a Chriſto & Eccleſia quam liberaliſſime in Imperantes transfuſo. IV. conantur evertere commune illud, quod nulla poteſtas poſſit excedere limites ſuæ Jurisdictionis: demus enim, quod convocatio Conciliorum ſit actus Jurisdictionis ſpiritualis: anne Eccleſiæ Præſulibus ita eſt proprius, ut in illius participium venire nequeant illi, qui ſuis humeris ſupportant molem Reipublicæ? Sane, ſi principium illud preſſe nimis ſumamus, ipſum jus ſupremæ Advocatiæ aliaque jura imperantium in dubium vocemus, vel omnino illis adimamus, neceſſe eſt: & V. quis proficiſcentibus ad Concilium præbebit ſalvum conductum, quis convenientibus dabit locum tutum? Quis refractarios in ſuo continebit officio, quis inſurgentes compeſcet motus? En! argumenta, quibus non modo jus vocandi Concilia, verum etiam alia jura Eccleſiæ Præſulibus propria evertere, eaque ſuis Principibus vindicare contendunt. Valent nempe hodie, quod dolendum, etiam apud Catholicos: *Salus Reipublicæ ſuprema lex eſto:* item illud: *Illius eſt religio, cujus eſt regio* (m).

Nititur Jure in Sacra

Jure Advocatiæ.

Et communi illo: Illius eſt Religio, cujus eſt Regio.

Sed jam proferamus argumenta Catholicorum jus convocandi Concilia Eccleſiæ & Pontifici præcipue vindicantium: inprimis quidem Pontifici patrocinatur Jus Divinum, a quo habet Primatum *honoris, authoritatis*, & *jurisdictionis*. Cui autem alteri jus iſtud, de quo diſceptamus, fortiori jure adſcribimus, quam Supremo Paſtori, cui DEUS tradidit præcipuam curam ſui ovilis? II. favent exempla Apoſtolorum, qui nemine incitante & compellente ſe ſolis ſuos habuerunt conventus

Argumenta Catholicorum.

Hh 2 (demus

(m) **Invexerunt hoc alterum axioma: *Cujus eſt regio, illius eſt religio* Proteſtantes, quando jus reformandi Principibus ſæcularibus perperam adſcripſerunt.**

(demus non fuiſſe Synodos, quia par eſt ratio horum Conventuum ac Synodorum) & in his ſuſtulerunt legalia, elegerunt Diaconos, ſuffecerunt in locum Judæ Mathiam. III. Suſtentat cauſam Pontificis poſſeſſio juris, quæ per tria prima Sæcula ſtetit inconcuſſa, & perduravit ad Sæc. usque IV. quo tempore non modo Synodi quam plurimæ particulares, ſed etiam *quaſi generales* ſunt habitæ, quales erant Carthagine de Baptiſmo Hæreticorum, Antiochiæ adverſus Novatum, & Paulum Samoſatenum, aliæque plures, ad quas invitabantur majores gentium Epiſcopi Alexandrinus, Cæſarienſis, Hieroſolymitanus. Hæc Concilia, etſi proprie œcumenica dici nequeant, quia Primum ex communi ſententia habetur Nicænum, inſtar tamen generalium ſunt habenda: eo quod teſte Euſebio totius orbis conſenſu fuerint roborata. Qua ratione jam Conſtantinus M. hanc poſſeſſionem interturbare, aut interrumpere, & jus alienum a tertio per tria Sæcula poſſeſſum ſibi vindicare potuit? num deſierunt Pontifices, & Epiſcopi eſſe Succeſſores Apoſtolorum, aut fors bipartitam fuiſſe illorum poteſtatem ac femiſſem illius velut hæreditariam portionem in Conſtantinum transfuſam dicemus?

Quo jure Imperatores Concilia convocaverint?

Equidem non nos latet, quid ad hæc reſponderi poſſet, nempe eo tempore nondum Eccleſiam fuiſſe partem Reipublicæ, qualis ex poſt evaſit. Sed hoc ipſum eſt, quod nunquam capere potuimus, quod aliquando Eccleſia & quidem per tria Sæcula non fuerit pars innexa Reipublicæ, ſed per ſe ſteterit, poſtea vero ancilla Reipublicæ ſubordinata eſſe cœperit. Profecto ſi Chriſtus ſuam Eccleſiam Reipublicæ ſubordinare, ac velut partem intexere voluiſſet, id feciſſet mox ab inſtitutione ſuæ Eccleſiæ, atque *jus* illud ſupremum in *ſacra* clarius in ſcripturis expreſſiſſet. IV. Facile damus parti adverſæ (aliter quam multi DD. Catholici, qui ſe mirum in modum torquent, ut facta luce meridiana clariora in dubium vocent, actum eſſe putantes de poteſtate Pontificis, ſi hæc facta fuiſſe vera dicamus) facile, inquam, damus parti adverſæ, quod Imperatores convocaverint Concilia: verum ſeparanda ſunt *jura* a *factis*. Factum id eſſe non negamus, imo & jure id eſſe factum connivente ac indulgente Eccleſia ex œconomia prudenti largimur, ſed non tali jure, quod juri Pontificis quæſito, ab ipſo Chriſto Domino fundato, ab Apoſtolis corroborato, & continua obſervantia ſtabilito eſſe poteſt præjudicioſum. Sane ratio ſtatus, ac Oeconomiæ Eccleſiaſticæ tunc temporis exigebat, ut Imperatores, Conſtantinus Magnus præcipue, qui Eccleſiam tot diriſſimis perſecutionibus jactatam in tuto collocavit, illiusque in omnem orbem propagandæ,

Quare illis jus convocandi permiſſum?

dæ, & idololatriæ profligandæ ſpem fecit certiſſimam, in participium Juriſdictionis Eccleſiaſticæ admitterentur. Ad hæc: Concilia haberi vix poterant niſi in urbe quadam principe, fiebant cenſibus publicis, ne gravarentur Eccleſiæ aliunde bonorum inopes, urgendi aliquoties erant Epiſcopi, ut tractanda tractarent ſerio: quod ut fieret, validior erat Imperatoris, quam Pontificis authoritas utpote inermis, & nulla cogendi vi obarmata: ſuſtentanda erat authoritas Epiſcoporum & præcipue ipſius Pontificis nondum ea authoritate pollentis, qua pollet hodie, contra machinationes hæreticorum frequentius ad ipſos Imperatores provocantium. Quid quod demonſtratu non foret difficile, ipſos Imperatores non niſi ſuaſu, conſilio, & aſſenſu Pontificum convocaſſe Concilia. V. Eſto antiquiſſima poſſeſſio factis contrariis fuerit interrupta, eam tamen poſtliminio recuperarunt Pontifices Sæc. 9. (n) a quo usque nunc nunquam interrupta ſerie convocaverunt omnia Concilia, eſto aliquoties deſuper facti fuerint motus graviſſimi (o). Et quomodo conſultum foret Eccleſiæ, ſi hanc poteſtatem penes Imperatores reſidere dicamus? quotusquisque ex Imperatoribus, hodie potiſſimum, ſuam Imperatoriam Majeſtatem in omnes mundi extendit partes, in quas diffunditur Eccleſia? quid ſi nullus aliquando exiſteret Imperator, ac *Interregnum*, quemadmodum olim, in plures protenderetur annos? quid ſi Imperator ab avita Religione Catholica aliquando deficiat, aut in plures partes ſcindatur Imperium? VI. Ipſe infelix Synodorum ab Imperatoribus convocatarum exitus, natæ in iis turbæ, lites, & diſſidia manifeſto ſunt argumento, quod Imperatores

Suum jus vindicarunt Pontifices.

Concilia ab Imperatoribus convocata infelices habuerunt ſucceſſus.

(n) Vid. cit. de Marca lib. 5. cap. 45. ubi oſtendit, Nicolaum I. fuiſſe, qui convocationem Synodorum generalium, Gallicanarum præcipue ad ſe attraxit.

(o) Jus convocandi Concilia equidem non impugnavit: attamen ſibi competere aſſeruit Fridericus I. Imp. in epiſt. ad Conciliabulum Papienſe data: *Quamvis noverim, ait, officio, ac dignitate Imperii penes nos eſſe poteſtatem congregandorum Conciliorum; hoc enim & Conſtantinus, & Theodoſius, nec non Juſtinianus, ſeu recentioris memoriæ Carolus M. & Otto Imperat. feciſſe memorantur &c.* De hoc Jure etiam fuit altercatum in Concil. Florent. inter Latinos, & Græcos. Similiter hoc jus ſibi vindicaſſe videtur Carolus V. uti colligere licet ex præfat. Synodi Auguſtanæ anno 1548. habitæ: ſic & Proteſtantes ad Concil. Trident. venire noluerunt ſub prætextu, quod ab Imperatore non fuerit convocatum. Vid. Thomaſ. Diſſert. III. in Synod. Nicænam.

plus facti attentaverint, aut fortaſſis ipſa Eccleſia indulſerit, quam juris ipſi ſibi arrogare potuerunt.

Anteqnam Imperatores Synodis ſive convocandis, ſive celebrandis ſeſe immiſcuere, pacata, ſancta, & decora erant omnia, nunquam jurgati Epiſcopi, nunquam authorizatæ manifeſtæ hæreſes, aut innocentes damnati: *an unquam antea* (loquimur cum eruditiſſimo Thomaſino) *celebratæ ſunt Synodi Mediolanenſi, Ariminenſi, aut Epheſinæ II. ſimiles? an tunc carceres aut vincula crepuere? num Cyrillus quisquam incarceratus, interemptus Flavianus? at poſtquam Conſtantinus occupavit, & in poſteros transfudit poteſtatem cogendi Synodos, turbata ſunt omnia, ſecutæ Epiſcoporum proſcriptiones, exilia, depoſitiones &c. Quis enim*, pergit Thomaſinus, *ortas inde Eccleſiæ clades mente aut calamo valeat exprimere? quis Hieroſolymitanæ, quis Tyriæ ſub ipſo Synodi labes? quis ſub Conſtantio Mediolanenſe, Syrmienſe, Ariminenſe flagitium? quis fidei formulas toties & tam perfidioſe fixas, & refixas? ubi ita Synodis illuſum, & de Synodis illuſum fidei, & Majeſtati Eccleſiæ ante Conſtantinum?* Plura vid. in laudato Authore. VII. illud Heterodoxorum, & plurium Politicorum immenſæ magnitudinis Idolum, cui etiam non pauci Catholici, neſcio qua invidia, aut adulandi, placendique ſtudio faſcinati, ſub alio licet nomine *Juris Majeſtatici*, vel *Juris Regalium* thus adolere conſueverunt, alia occaſione e ſuo altari deturbare conabimur, niſi antea altiori poteſtate ad inſtar Dagonis dejici contingat. De *Jure Advocatiæ* quid dicamus? neceſſaria Eccleſiæ defenſio, & executio magis eſt, quam actus Eccleſiaſticæ poteſtatis (p). Cum enim Chriſtus Dominus ſuam Eccleſiam inermem, nullaque armorum potentia ſuſſultam inſtituerit, eidem providere debuit de poteſtate armata, quæ ad conterendos hoſtes, reprimendas invaſiones, ac defendenda bona & Jura Eccleſiaſtica ſufficienti polleret authoritate.

Hactenus jus convocandi Concilii e Laicorum manibus extorſimus, quod cuinam alteri vindicabimus quam Romano Pontifici? tum quod ipſe habeat primatum in Eccleſia: tum quod hoc jus per mille & ultra annos conſtanter exercuerit. Et quis convocavit Synodos Nationales, & provinciales niſi Primates, & Metropolitæ, cur non generales convocet Primas univerſalis Eccleſiæ?

Penes quem ſit hæc poteſtas in caſu extraordinario?

Sed novus ſuboritur ſcrupulus, penes quem enim, edic, erit poteſtas convocandi Concilia, ſi Eccleſia ſciſſa ſit ſchiſmate e. g. ſi duo de Papatu contendant, & neuter eorum ſit in poſſeſſione, vel ſi Pontifex

(p) Quamvis etiam aliquid juris activi importet.

tiſex notorius ſit Apoſtata, vel hæreticus, aut Synodum convocare pertinaciter recuſet? ajunt, quod in his caſibus Sedes Pontificia vacare cenſeri debeat, illiusque viduitati ac neceſſitatibus Eccleſiæ conſulendum ſit per Cardinales, Primates &c. ac penes hos reſideat poteſtas convocandi Concilii. Num vero decreta in tali Synodo facta ſint infallibilis authoritatis, diſputant Authores. Illi, qui confirmationem Pontificis inter eſſentialia Concilii reponunt, tali Synodo authentiam quaſi interimiſticam adſcribunt, usque dum confirmatio Pontificis ſuperveniat. Alii, qui vim authenticam ab ipſo Concilio prout Eccleſiam univerſalem repræſentante proficiſci autumant, eidem robur infallibile ac perpetuum attribuunt. Nobis opiniones DD. inſinuaſſe, ac materiam cogitandi ſubminiſtraſſe ſufficit. Super hac materia legi merentur Thomaſinus, & Natalis Alexander (q).

§. III.

Ex dictis ſponte ſuapte fluit, multo minus Jus Conciliis præſidendi Imperatoribus, ſed Pontifici eſſe vindicandum. Notant vero Doctores præſidentiam tribus potiſſimum modis poſſe accipi, vel *quoad directionem &* ſuffragium, hoc eſt, quoad poteſtatem præſcribendi rerum pertractandarum methodum, aut ferendi ſuffragium, vel *quoad firmandum in Concilio ordinem, & conciliandam in eo pacem*, vel *quoad locum materialem*, hoc eſt, quoad honoratiorem locum Baſilicæ, in qua celebrari Concilia quondam moris erat, & conſuetudinis. In hac quæſtione ipſi etiam DD. Galli, licet alias tanto infringendæ poteſtatis Pontificiæ ſtudioſiores ſint, quanto rigidiores Jurium Majeſtaticorum vindices eſſe conſueverunt, mitius agunt cum Pontifice, eique Præſidentiam in Conciliis haud inviti concedunt. Rem totam tribus abſolvimus: inquirendo I. an Pontifices hactenus Conciliis præſederint, & jure præſideant? II. qui potiſſimum hujus Præſidentiæ ſint effectus? III. qua ratione præfuerint, & præeſſe debeant Imperatores? Hiſce quæſtionibus illuſtrandis præter alios inſignem navarunt operam Petrus de Marca (r) & Ludovicus Thomaſius (s), quorum uterque invictis argumentis evincunt, Pontifices ſeu per ſe, ſeu per ſuos Legatos præfuiſſe omnibus Conciliis. Rem dubiam faciunt Synodus Nicæna I. Conſtantinop. I. Epheſina, Chalcedonenſis, & Conſtantinop. II: cæteris enim præfediſſe

Jus præſidendi eſt penes Pontificem.

Præſidentia eſt triplex.

Etiam Galli hoc jus adſcribunt Pontifici.

Pontifex vel per ſe vel per Legatos præfuit Conciliis.

(q) Diſſert. III. in Synod. Nicænam: alter Tom. 4. pag. 212.

(r) De Concord. Imp. lib. V. cap. 3. & ſeq.

(s) Diſſert. 10. in Synod. Epheſ.

diſſe Pontifices (juſte an injuſte hic examinare non vacat) vix ullus negaverit. Verum etiam his præſuiſſe Pontifices nemo non, niſi talpa ſit, videat, neceſſe eſt. Et quidem Synodo Nicænæ præſediſſe Oſium Cordubæ Epiſcopum qua Legatum Pontificium poſt S. Athanaſium docent omnes, qui eum Ducem & Anteſignanum Synodorum appellant, & ab ipſis Arianis Præſidem Synodorum fuiſſe compellatum teſtantur (t): idem evincit teſtimonium Socratis (u), qui Epiſcoporum magis inſignium in hac Synodo præſentium nomina recenſens ab Oſio auſpicatur. Accedit, quod Oſius cum Vitone, & Vincentio Eccleſiæ Romanæ Presbyteris primus Concilio ſubſcripſerit. Jam vero Oſium jure legationis ſibi a Pontifice impoſitæ præfuiſſe nemo ſanus negaverit: qui enim alias fieri potuiſſet, ut Oſius primum occuparet locum, & primus ſubſcriberet? num exiſtimamus præſentes Patriarchas, Alexandrinum præcipue Epiſcopo Cordubenſi primam ſedem ceſſuros fuiſſe (x)?

De Synodo Conſtantinop. I. non eſt, quod multum diſceptemus: ſponte enim fatemur eidem, ſi ſolitarie conſideretur, Nectarium, non Pontificem præfuiſſe. Verum tunc non erat Oecumenica. Si vero ſumatur prout facit Synodum moraliter unam cum Synodo Romana, & per hanc facta eſt Oecumenica, nemo utique dubitaverit, quod ei præfuerit Damaſus Pontifex. In Concilio Epheſino Cyrillum Alexandrinum primatum nomine Cœleſtini Pontificis tenuiſſe ex ipſis Actis Concilii, confeſſione Apocriſariorum Eccleſiæ Alexandrinæ, Cœleſtini, & Cyrilli epiſtolis, & Scriptoribus Eccleſiaſticis luce meridiana clarius elucet (y). De præſidentia Leonis in Concilio Chalcedonenſi per ſuos Legatos Paſchaſinum & Lucentium Epiſcopos, Bonifacium & Baſilium Presbyteros quis dubitet? vel ſola Synodi epiſtola ad Pontificem data ſufficiat (z). Quæ id tam luculenter evincit, ut ipſi etiam Novatores cum *factum* negare nequeant, *Jus* vocent in dubium, fingentes, a Marciano Leoni fuiſſe collatum præſidium. Sed quo jure id aſſeritur, eodem imo fortiori jure negatur. Contrarium elucet ex cit. epiſt. in qua Leo reſcriptum Martiani non de jure noviter collato, ſed confer-

(t) Cit. Thomaſ. N. 13.
(u) Cit. de Marca loc. cit. N. IV.
(x) Negant id quidam D. D. Proteſtantici.
(y) Thomaſ. loc. cit. N. 1.
(z) In Relat. Synod. ad S. Leonem.

conſervato interpretatur. Synodo Conſtantinop. Vigilium nec per ſe nec per Legatos præfuiſſe ſponte fatemur. Sed quæ hujus cauſa? profecto non alia, quam quod præeſſe noluerit. Fuit Vigilius Conſtantinopoli præſens, fuit invitatus, potuiſſet intereſſe, & præeſſe: Sed noluit. Voluit ergo potius Synodum ſuo Conſtituto quam ſua confirmare præſentia (a).

Longe majoris difficultatis quæſtio eſt, quinam ſint effectus hujus præſidentiæ. Difficultatem pandit Petrus de Marca, cujus verba hic admetiri libuit: *Si ſummam, ait, in cenſendo, & definiendo poteſtatem illi tribuamus, perit libertas ſuffragiorum: At vero conceſſa ſuffragiorum libertate, æqualitas quædam hac in parte induci videtur inter Romanum Pontificem, & cæteros Epiſcopos. Itaque aut unius libertas, aut alterius dignitas periclitatur, & quemadmodum in diſputatione de auxiliis gratiæ, vel hinc humani arbitrii libertas lædi, vel illinc gratiæ vis & efficacia minui rerum inexpertis videtur.* Hactenus de Marca (b). Poſt hæc ſuam mentem fuſius declarat, ac finaliter ad id delabitur, ut dicat, prærogativam *Juris Præſidendi* eſſe collocandam in *Jure relationis cum prærogativa ſuffragii.* Utrumque deducit ex Hiſtoria Juris Romani, ex qua conſtat, quod olim Jus Relationis non minimam Conſularis poteſtatis partem conſtituerit: poſthac vero mutato ſtatu Regiminis in Imperatores translatum, & ab his cum novo authoritatis incremento fuerit exercitum. Erat autem hæc Relatio non ſimplex, non ſterilis, ſed cum prærogativa ſuffragii, quod ſæpe fiebat per orationem, conjuncta. Tanta vero erat authoritas hujus Relationis, ac ſuffragii, ut Senatusconſulta, quæ inde ſequebantur, *Authore Principe* fieri dicerentur. Iſta tamen Relatio non debebat eſſe ſimplex, ſed ſtabilita argumentorum, ac rationum vi & pondere. Quod ſi ergo Relationi Imperatoriæ, ac ſuffragio acceſſerit conſenſus Senatus, fiebat Senatusconſultum. Tale, inquit de Marca, eſt Jus Præſidentiæ Pontificiæ. Pertinet ad Pontificem Jus Relationis cum ſuffragio: nempe debet eſſe author rerum gerendarum, & ſanciendarum, & poſtea ſuam dicere ſententiam, atque ſuffragium, illudque ad inſtar Imperatorum ſtabilire rationibus ex Scriptura, & Traditione (hi enim ſunt ſoli genuini fontes dogmatum) depromptis. Quod ſi jam acceſſerit conſenſus cæterorum Patrum, inde conſurget *Statutum Conciliare.*

Quisnam ſit effectus Præſidentiæ?

Liceat

(a) Cur Vigilius noluerit intereſſe huic Synodo, dictum eſt ſuperius.

(b) Loc. cit. cap. 7. N. 2.

Liceat jam noſtram deſuper edicere ſententiam. Videtur ergo nobis celeberrimus hic Author Pontifici ex vi Juris præſidendi nihil aliud concedere, quam vim dirigendi, proponendi, conſultandi, præſcribendi rerum tractandarum ordinem, ac dandi ſuffragium quaſi informativum: quod ſi fuerit approbatum, conſurgit in vim legis, & definitionis. Atque hæc ſententia nobis omnino videtur certiſſima, ac Juribus Pontificiis minime præjudicioſa: Non enim videre eſt, quid ultra Pontifici ex vi ſolius juris præſidendi (ſalva libertate dandi ſuffragium, & quidem deciſivum, non mere conſultivum Epiſcoporum) concedi poſſit. Interim Pontifici nihil decedit: utpote cui ſalvum & reliquum manet *Jus confirmandi.*

Imperatori non competit jus præſidendi.

De Imperatoribus videamus. Paucis dicimus, quod ipſis neque ullo jure competat jus præſidendi directivum negotiorum tractandorum cum ſuffragio informatorio conjunctum, neque tale jus hactenus exercuerint. Undenam enim hæc authoritas: cum neque legatur ipſis a Chriſto tradita, neque ratio ſtatus ſui illam exigat? Ad quid enim DEUS quosdam conſtituit Rectores Eccleſiarum? ad quid regnum ſpirituale ſeparavit a temporali? Id niſi dicamus, neceſſe eſt, ut poteſtatem Eccleſiaſticam confundamus cum Politica, id quod faciunt Proteſtantes ſuis Principibus jus incircumſcriptum vindicantes. Equidem legimus, pientiſſimos Imperatores interfuiſſe Conciliis: Sed qua ratione interfuerint, audiamus. Num enim ipſi proponenda propoſuerunt? num primi ſuam dixerunt ſententiam, ſuumque dederunt ſuffragium? num ſuo ſuffragio alios in ſuam traxerunt ſententiam? num Patres illorum ſubſcripſerunt ſuffragio? vel unicum AA. afferant exemplum authenticum. Qua ergo ratione interfuerunt, & præfuerunt? nempe præfuerunt ut Defenſores Conciliorum, & Advocati Eccleſiæ, non ut Judices: adfuerunt, non ut definirent, ſed ut ſplendore Majeſtatis armarent: præſidebant materialiter (fas ſit verbo) non formaliter, hoc eſt, occuparunt honoratiorem locum, ut ſua authoritate ordinem pacemque Synodo adſererent, tumultuantes in officio continerent, tumultus quoscunque præverterent. Adfuit Concilio Nicæno Conſtantinus: Quo autem conſilio & ſchemate refert Euſebius (c) *poſita ante eum humili ſella ex auro fabrefacta non prius aſſedit, quam Epiſcopi ei innuiſſent.* Præfuit Concilio Chalcedonenſi Leo Pontifex, præfuit & Marcianus Imperator, ille ut Epiſcopus interior, fidei Princeps, Apoſtolicæ

Qua ratione Imperatores Conciliis præfuiſſe dici poſſint.

(c) Lib. 3. de Vita Conſtant. c. 10.

ſtolicæ Cathedræ hæres, & Petri Succeſſor; iſte velut Epiſcopus exterior, Synodi Deienſor, pacis & ordinis vindex. Præſediſſe ſextæ Synodo legitur Conſtantinus Pogonatus: Qua vero ratione docet Gregorius M. in Epiſt. 1. in qua Imperatorem ſic loquentem inducit: *Neque cum illis tanquam Imperator ſedebo, aut imperioſe loquar, ſed tanquam unus ex illis, & prout voluerint Pontifices, ego exequar &c.* Legitur octavæ Synodo præſediſſe Baſilius (d), quo vero animo, elucet ex verbis ipſius Baſilii (e), quando dicit, *quod ad exemplum ſuorum Prædeceſſorum ultimus velit ſubſcribere.* Ab eo tempore Imperatores nulli amplius præfuiſſe Concilio, res eſt indubitata. Solum Sigismundum Seſſ. 14. Concilii Conſtantienſis præfuiſſe legimus, ſed extraordinaria prorſus, & inuſitatiſſima de cauſa, & quaſi ad momentum temporis. Idem fuiſſe obſervatum a Regibus Galliæ, Britanniæ, aliisque Regibus, qui ſingulas Imperii Romani diſcerpſerunt plagas, fuſe docet cit. Thomaſſinus (f).

Neque AA. patrocinatur exemplum Donatiſtarum ab Epiſcopali judicio ad Imperatorem provocantium: Quis enim ignorat, quod teſte S. Auguſtino Donatiſtæ male appellaverint, & Imperator male appellantes male audiverit. Neque juvat AA. quod Reges in Conciliis a ſe convocatis judiciorum, ac rerum gerendarum ordinem præſcripſerint, atque in hunc finem præcipuos Magiſtratus delegaverint, quatenus ſua authoritate non modo vim publicam omnesque tumultus præverterent, verum etiam præſcriptum rerum tractandarum ordinem ſuſtentarent. Ita Conſtantinus ad Synodum Tyriam delegavit Dionyſium Comitem, ut eſſet *animadverſor & cuſtos æqualitatis, & ordinis.* Quid non egit Theodoſius in Synodo Epheſina I.? nunquid omnia illius acta reſcidit, quod, ut dicebat, Synodus non integra, & ordo debitus non fuerit obſervatus (g)? Sed quis non prima fronte perſpicit, quod ordo ille ab Imperatoribus præſcriptus neutiquam dogmata fidei, præce-

 pta

(d) Act. 7.

(e) Verba ita habent: *Tranquilliſſimum imperium noſtrum præcedentes, & juſtiſſimos Imperatores Conſtantinum videlicet Magnum, & Theodoſium & Marcianum ac cæteros &c. vult ſubſcribere poſt ſubſcriptionem omnium ſanctiſſimorum Vicariorum.*

(f) Loc. cit. num. 16.

(g) Eo potiſſimum ex capite Imperator illa acta reſcidit, quod Patres non exſpectaverint adventum Joannis Antiocheni ſtudioſe moras nectentis. vid. de Marca lib. 4. cap. 3. num. 5.

Digitized by Google

pta morum, & regulas diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtatuendas, ſed potius proceſſum judiciarium, modumque, quo contra Hæreticos, Schismaticos, aliosque turbatores pacis publicæ procedendum foret, pro ſcopo finali habuerit?

§. IV.

Ad quem pertineat jus confirmandi?

Progredimur ad jus confirmandi Synodos, quod Doctores Proteſtantici Imperatoribus, Doctores Gallicani ipſi Eccleſiæ, vel potius Concilio univerſalem Eccleſiam repræſentanti (h), cæteri Catholici plerique Summo Pontifici vindicant. Proteſtantes paucis expediamus. Cum DD. Galliæ hic altercari nolumus: eo quod deciſio controverſiæ potiſſimum ab eo dependeat, num Papa ſupra Concilium, vel econtra Concilium ſit ſupra Papam. Acatholici iterum provocant ad antiquam praxin, obſervantiam, & traditionem. Luſtremus Synodos Generales omnes in Oriente celebratas: quis enim confirmavit Synodum Nicænam I. niſi Conſtantinus M. (i)? Synodo Conſtantinop. I. nequidem interfuit Pontifex, nec per ſe, nec per ſuos legatos (k): An non Theodoſius acta, geſtaque Synodi Epheſinæ reſcidit, irritavit, caſſavit (l)? Marcianum ſuo edicto Synodo Chalcedonenſi ultimum dediſſe robur, ipſa Synodi acta loquuntur (m). Juſtinianum in Concilio Conſtantinop. II. abſente Vigilio Pontifice ſummam exercuiſſe authoritatem res aliunde eſt notiſſima (n). Ipſe Leo II. Pontifex fatetur, quod Pogonatus ſua ſubſcriptione Synodo Conſtantinop. II. ultimam præbuerit firmitatem (o). Teſtantur indubia Hiſtoriæ monumenta, quod PP. Synodi Septimæ a Conſtantino & Irene Matre poſtulaverint, ut ſua ſubſcriptione

Non ad Imperatores.

(h) Hos inter eminet Launoius notiſſimus Pontificiæ poteſtatis malleus, qui plerisque ſuis Epiſtolis hanc quæſtionem immiſcet.

(i) Id expreſſe teſtatur Euſebius in lib. 3. vitæ Conſtantini cap. 17.

(k) Vid. dicta ſupra §. 3.

(l) Vid dicta §. præced. ubi & rationem factæ reſciſſionis dedimus. Item Thomaſſinus diſſert. 10. num. 27.

(m) *Sacro ſerenitatis noſtræ edicto venerandam Synodum confirmantes*, ait Marcianus in ſuo edicto, *admonuimus univerſos, ut de religione diſputare deſinerent.*

(n) Vid. dicta §. 3. ubi pariter rationes expoſuimus, cur Pontifex Concilio intereſſe noluerit.

(o) Nam Epiſt. 2. ad Pogonatum ſic habet: *Synodali igitur ſententia, & imperialis Edicti cenſura tanquam duplici ſpiritus gladio error extinctus eſt.*

ptione Decreta Concilii communirent (p). Demum Baſilium Imp. ſua ſubſcriptione & Decreto firmaſſe Synodum Octavam, ipſa Concilii Acta fidem faciunt indubiam (q). Imperatorum veſtigia preſſo pede fuiſſe ſecutos Reges Catholicos Galliæ & Hiſpaniæ pluribus exemplis commonſtrat ſæpe laudatus Thomaſſinus (r).

Qua ratione præfuerint?

Sed qua ratione, quo conſilio id fecerint diſpiciamus. Fecere id non ut Conditores & Authores Canonum, & Decretorum, ſed ut executores, & defenſores eorum, non ut illis firmitatem Eccleſiaſticam & principalem, ſed Imperatoriam quaſi adjutricem, ac miniſterialem præberent: quatenus ex concentratione atque juncta vi Pontificiæ ac Imperatoriæ dignitatis tantum roboris acciperent, quantum ad ſupprimendam hæreticorum pertinaciam, humiliandam rebellium ſuperbiam, ac ſtabiliendam pacem inter Sacerdotium ac Imperium foret neceſſarium.

Jus confirmandi non pertinet ad univerſam Eccleſiam.

Argumenta Gallorum afferuntur.

Sed & Authores Gallicanos jus confirmandi Synodos univerſali Eccleſiæ in Concilio congregatæ, vel poſtea decreta pacifice acceptanti adſcribentes audire lubeat. Profecto Petrus in Concilio Hieroſolymitano, quod inſtar normæ recipiendum eſſe ſupra diximus, non ſibi ſoli, ſed toti Concilio authoritatem decidendi attribuit, dicens: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis* (s). Ipſe etiam Chriſtus Dominus non uni tantum, ſed omnibus in unum congregatis promittit ſuam aſſiſtentiam, dum dicit: *Ubi duo vel tres erunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio ipſorum* (t). An non antiquiores hæreſes ferme omnes, præcipue trium primorum Sæculorum ex conſenſu potius univerſalis Eccleſiæ, quam ſola confirmatione Pontificis fuerunt proſcriptæ, hoc nempe modo, quod Synodis particularibus, in quibus configebantur, acceſſerint aliæ Eccleſiæ viciniores, ac demum ipſa Eccleſia univerſalis (u)? Ex quo factum eſt, ut Synodi particulares ex ſolius Ec-

 cleſiæ

(p) Vid. Thomaſſinus loc. cit. num. 31. (q) Idem ibidem.
(r) Cit. Diſſert. num. 33. (s) Act. 15. (t) Matth. 18. v. 20.
(u) Petrum Aurelium audire lubeat: *Id hæreſibus non paucis contigit, ut nimirum ab unius provinciæ, aut regni Epiſcopis damnatæ ſint, cæteris conſenſu ſolum tacito ſuffragantibus. Sic Euſtathianos, quos Synodus Gangrenſis damnaverat, non legimus ab aliarum provinciarum Conciliis aperte dein damnatos: idem Arianis, Collyridianis contigit, quos præter locorum, ubi exorti ſunt, Epiſcopos non conſtat ab aliarum regionum Synodis eſſe rejectos, ſed univerſali Eccleſiæ conſenſione, quæ ſenſim ſine ſenſu inolevit, exauthoratos: quemadmodum ſingulorum poſtmodum Patrum ſcriptis declaratum eſt.*

cleſiæ conſenſu in authoritatem Synodi univerſalis, etſi non in ejusdem nominis gloriam conſurrexerint. Vel ſolam hæreſin Pelagianam, unam ex celebrioribus, in exemplum adducere liceat, quæ primitus in Synodis particularibus damnata, & poſtea ſuperveniente Eccleſiæ univerſalis conſenſu e toto orbe Chriſtiano fuit exterminata (x). Patres antiquiores & Scriptores ſerme omnes authoritatem Conciliorum conſenſui non ſolius Pontificis, ſed totius Eccleſiæ adſcribunt: id quod ſigno manifeſto eſt, ſolam concentrationem Præſulum Eccleſiæ in Concilio congregatorum Synodis ſuam impertiri authoritatem, cujus rei teſtes ſunt S. Chryſoſtomus (y), Auguſtinus (z), Facundus Hermian. Liberatus (a).

Pontifici vindicatur. Quod ſi jam pro authoritate Pontificis perorare, eique ſoli jus confirmandi Synodos univerſales adſcribere libeat, ingentem argumentorum copiam ex obviis Authoribus depromere licebit. Primatus ille Pontificius Petro, illiusque Succeſſoribus ex Jure Divino conceſſus, ipſe etiam uſus & exercitium hujus ſupremæ Juriſdictionis, ſi in re alia, profecto in celebratione, ac confirmatione Conciliorum Generalium hactenus & ita quidem eminuit, ut eorum aliqua ad authoritatem Synodi generalis eluctari nequiverint, usque dum a Pontifice ſuam accepere authoritatem: quædam vero in hanc usque diem ex ſolo defectu præſidii & confirmationis Pontificiæ vim authenticam in univerſo orbe Chriſtiano obtinere nequeant. Certe Synodis Conſtantinopolitanæ I. & II. vix aut ne vix quidem œcumenicæ pondus authoritatis adfuit, antequam a Sede Apoſtolica, illa quidem a Damaſo, iſta a Vigilio reciperentur (b). Eccur eadem Synodus Conſtantin. I. quoad ea, quæ diſciplinam ſpectant; Chalcedonenſis quoad Canones 28. 29. & 30. in vim authenticam non aſſurgunt, niſi quod illis Damaſus, his Leo I. ſuam apponere authoritatem recuſaverit? Quare Itali & Germani Synodos Piſanam, Baſileenſem, Conſtantienſem quoad Seſſ. 4. & 5. inter

(x) Pelagiani in nulla Synodo generali fuere damnati, ſed in Synodis particularibus Carthaginenſi, Milevitana &c.

(y) At tu, inquit S. Chryſoſtomus hom. 52. non illos tantum condemnas Nicænos Patres, ſed & orbem terrarum univerſum, qui illorum ſententiam comprobavit.

(z) Vid integra Epiſtola Joannis Launoii de mente S. Auguſtini ſcripta, quæ exſtat Tom. 5. part. II. pag. 1.

(a) Vid. Thomaſ. differt. 6. num. 4. & 5.

(b) De utraque diximus §. V.

ter œcumenicas non recenſent? Certe non ex alio, vel certe ex eo potiſſimum capite, quod ſufficienti authoritate Pontificia non videantur eſſe ſuffultæ? Undenam factum eſſe exiſtimamus, quod Synodi quædam particulares, quales ſunt Carthaginenſis prior; Milevitana, & Carthaginenſis poſterior adverſus Pelagianos celebratæ, invictæ authoritatis robur obtinuerint, ac in vim Synodorum œcumenicarum aſſurrexerint, niſi quod ab Innocentio, & Zoſymo fuerint confirmatæ, atque in authoritatis ſummum columen receptæ (c)? Damus Epiſcopis velut membris minuſculis ſuam vim in decernendo, ſuumque pondus in conſentiendo: at major eſt authotitas ipſius Capitis. Quemadmodum Eccleſiæ ita & Conciliorum Caput eſt Pontifex, quo abſente Concilium eſt corpus ſine capite, &, ſicut vocari ſolet, *Acephalum.* Eſto membra ſingula corpus conſtituant, ſuumque in illius conſervationem influxum habeant: pars tamen principaliſſima ad modum Reginæ ſua imperia in tot reliquas partes diſpenſantis in homine reſidens ipſum eſt caput, cui cætera membra ſuum attemperare influxum debent. An non Majeſtas & prærogativa Capitis ex Membrorum quoque excellentia exaggeratur? Stat ſua Epiſcopis, ſed ſtet ſimul, neceſſe eſt, ſua Pontifici authoritas, qua ſola labente labitur authoritas, quæ, & quantacumque illa ſit, Epiſcoporum, & Conciliorum.

Quomodo Imperatores & Epiſcopi Synodos generales confirmaverint aliquoties?

Equidem non nos latet, quod non infrequenter Synodi etiam generales antea quodammodo vacillantes & Imperatoriæ, & Epiſcopalis authoritatis pondere fuerint corroborandæ, imo aliquæ ex univerſali Eccleſiarum conſenſione in œcumenicæ Synodi altitudinem invaluerint. Verum alia erat confirmatio Pontificum, alia Imperatorum, alia Epiſcoporum, alia Eccleſiarum. Confirmationis Pontificiæ erat neceſſitas ſumma, & vis atque authoritas ſumma. Exquirebatur authoritas & ſuo modo confirmatio Imperatoria, ut Synodo major, & inconcuſſa, non ſimpliciter neceſſaria, ſed velut ſupererogatoria ex concentratione Pontificiæ, ac Imperatoriæ poteſtatis conciliaretur authoritas, nulla tergiverſatione refractariorum, aut rebellium concutienda. Rogabantur etiam ex poſt ſubſcriptiones Epiſcoporum, & aliquoties aliorum Præſulum ac Monachorum, non eum in finem, ut Synodum alioquin nutantem pondere ſuæ authoritatis ſuſtentarent, ſed ut ſe *Traditionis Apoſtolicæ conſortes*, ſicut loquitur Leo Pontifex II. *per manus ſuæ ſignaculum demonſtrarent* (d): ſuſtentabat non raro authoritatem

(c) Vid. Thomaſ. diſſert. IX. in Synodos.

(d) In Epiſt. 2. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, qua illos monet, ut Sextæ Synodo ſubſcribant.

tatem quorumdam Conciliorum ſuperveniens conſenſus Eccleſiarum, & orbis quaſi univerſi; non tamen ſimpliciter confirmabat, ſed magis vim anteriorem ad redundantiam majoris quaſi veritatis explicabat, ita tamen, ut in omnibus Conciliis authoritas Pontificum ſeu in præſidendo, ſeu confirmando ſingulariter eminuerit, prout luſtranti ſingula Conciliorum Acta facile patebit (e).

§. V.

Cauſæ celebrandi Synodos generales ſex aſſignantur.

Examinavimus hucusque Jus *convocandi*, *dirigendi*, ac *confirmandi* Concilia. Inquiramus jam in cauſas illa celebrandi, quibus perſpectis haud difficile erit de illorum neceſſitate dijudicare, quam haud pauci vocant in dubium. Sex hujusmodi cauſas ex Bellarmino communius recenſent, quarum prima eſt *enata hæreſis* non qualiscunque, ſed talis, quæ ſe ſuumque virus in plures, easque inſigniores diffundit Eccleſias cum apertiſſimo periculo, ne latius ſerpendo, longiusque graſſando plures inficiat provincias, niſi authoritate univerſalis Eccleſiæ ſupprimatur: experientia enim compertum habemus, quod aliquoties hæreſes, quas nulla ſeu Pontificum, ſeu Conciliorum particularium authoritas ſupprimere potuit, demum Conciliorum Generalium authoritati ſuccubuerint (f). Altera cauſa eſt *Schiſma Eccleſiaſticum* inter plures Pontifices de Pontificatu dimicantes, ad quod ſupprimendum hactenus nullum fuit potentius medium, quam celebratio Concilii (g). Tertia eſt *commune auxilium* ad humiliandum, depellendumque hoſtem Eccleſiæ communem neceſſarium. Hac ratione obviam itum fuit Saracenis bellum in Chriſtianos moventibus (h). Quarta eſt *Suſpicio hæreſis*, ſcandalum publicum, tyrannis incorrigibilis in Pontifice, ad quem in ſuo officio continendum, corrigendum, vel, ſi correctio non proficeret, deponendum procul dubio opus foret Concilio (i). Quinta eſt *Electio Pontificis*, ſi Cardinales aut non poſſent, aut

(e) Vid. Thomaſ. in Diſſert. 6. in Synod. Conſtantinop.

(f) Tales fuere hæreſes Arii, Macedonii, Neſtorii, Eutychetis, Monothelitarum, Iconomachorum, ac Novatorum hodiernorum.

(g) Hanc ob cauſam habita ſunt Concilia temporibus Cornelii, Damaſi, Symachi, Innocentii II. Alexandri III. Gregorii XII. Benedicti XIII.

(h) Eum ob finem celebrata ſunt Concilia ab Urbano II. Calixto II. Eugenio III. Alexandro, & Innocentio III.

(i) Dicitur enim in Synodo VIII. Act. ult. Can. 31. debent Generalia Concilia cognoſcere controverſias circa Romanum Pontificem exortas.

Digitized by Google

aut non vellent eligere Pontificem, aut in ipſo electionis negotio neglectis ſacris Canonibus omnia ſus deque verterentur (k). Sexta demum eſt *Reformatio generalis* abuſuum ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ notabiliter corruptæ, quatenus corrupti mores reformentur, atque Eccleſiæ ſuus honos, ſuaque Majeſtas reſtituatur (l).

Inde facile eruitur, quid de neceſſitate Conciliorum tenendum ſit. Paucis dicendum, non quidem omnia, aliqua tamen Concilia Eccleſiæ eſſe abſolute neceſſaria: Vel enim ſupponimus hæreſim quamdam veluti univerſalem in plures easque inſigniores Eccleſias diffuſam? vel particularem inter fines unius alteriusve Eccleſiæ contentam? In priori caſu putamus opus eſſe Concilio Generali; non vero in ſecundo. Vadem hujus veritatis damus ipſam praxin Eccleſiæ usque nunc continuatam: eccur enim ad ſupprimendas hæreſes quampluximas Menandri, Ebionis, Cerinthi, Marcionis, Nicolaitarum, Montaniſtarum &c. quibus concuſſa fuit Eccleſia in primis tribus Sæculis, nullo opus fuit Concilio? imo quare plures earum ſine Concilio etiam particulari; & econtra hæreſes Rebaptizantium, Arianorum, Macedonianorum &c. nonniſi immenſa vi Synodi Generalis opprimi potuere, atque ſuffocari? Certe ex nulla alia ratione, niſi quod priores unam alteramve Eccleſiam; poſteriores vero nobiliores, easque plures Eccleſias concuſſerint; illæ paucos, utut ſuo modo potentiores (m), hæ vero majores quosdam, & plures infecerint Epiſcopos (n). Quare adverſus Pelagianos non fuit neceſſaria Synodus Generalis: fuit tamen neceſſaria adverſus Rebaptizantes, etſi priores ad Synodum œcumenicam provocaverint? Nempe fuit prior paucorum hominum unius alteriusve Eccleſiæ; poſterior potentiorum Epiſcoporum inſigniores Eccleſias regentium. Ita videlicet clavus clavo trudendus eſt, & vis major vi majori repellenda, ut, qui pondere authoritatis non ſupprimuntur,

Quomodo Concilia Generalia ſint neceſſaria?

(k) E. G. Si a poteſtate ſæculari impedirentur: ſi inter ſe eſſent colliſi: ſi periculum foret Schiſmatis.

(l) Hinc in omnibus Conciliis quamplurimi Canones diſciplinam Eccleſiaſticam concernentes ſunt conditi: vel ſolum Concilium Tridentinum allegaſſe ſufficiat.

(m) Sicut e. g. error Rebaptizantium, qui ſaltem ab initio nonniſi Eccleſias Africæ inficiebat.

(n) Sicut v. g. Hæreſis Arianorum, cui faverunt Epiſcopi numero plures, & poteſtate eminentiores.

Cauſæ in Conciliis tractandæ.

tur, majeſtate Eccleſiæ opprimantur (o). Ex quo ulterius ſequitur, quod cauſæ in Conciliis pertractandæ ſint I. dogmatum deciſio, II. Hæreticorum damnatio, III. Schiſmatum extinctio, IV. Liturgiæ Eccleſiaſticæ conſtitutio, V. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ determinatio, ac reformatio, VI. Commune auxilium Eccleſiæ univerſalis neceſſitatibus ſuppeditandum.

§. VI.

Quinam ad Concilia ſint vocandi?

Acturi de iis, qui ad Concilia vocari debent, prima mox fronte incidimus in manus Novatorum, quibus Eccleſia eſt ſocietas æqualis ex omnibus fidelibus ſine ſubordinatione imperantium ac obedientium conflata (p). In hac opinione ad Concilia æque vocandi ſunt Laici ac Clerici, par amborum authoritas, æqualis ponderis omnium ſuffragia.

An plebs?

Nituntur I. Concilio Jeroſolym. quod ipſi nos Catholici velut normam Conciliorum ſuſpicimus, cui non modo intereſſe (convenerunt enim Apoſtoli, & Seniores) verum etiam ſuo ſuffragio controverſiam definire Laicis licuit: *Viſum eſt Spiritui S. & NB. nobis* (q). Nituntur II. traditione & praxi antiquioris Eccleſiæ: nam nec ipſi Apoſtoli in ſuum collegium adoptare Collegam voluere ſine ſuffragio plebis & populi (r). Epiſtolæ ferme omnes nomine *Eccleſiæ*, & ad *Eccleſias* concipiebantur. Per plura Sæcula plebs concurrebat in electione Epiſcoporum: teſtimonium ferebat in ordinatione Clericorum: intererat adhuc tempore Leonis I. imo tempore Regum Francorum Conciliis. Accedit ratio urgentiſſima ex communi illa Juris Regula deprompta: quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet: ſed utique fides, ac diſciplina Eccleſiæ æque tangit Laicos, quam Clericos &c. Hiſce rationibus alibi plenius ſatisfaciemus. Hic pauca reponere liceat, & id præprimis, quod vox illa *ſeniores*, quæ ſola Laicis patrocinari videtur, græce ſumpta idem ſit, ac *Presbyteros*. Licet autem vox *Presbyteros* in antiqua lege non nunquam pro ſenioribus ætate ſumatur, tamen in nova lege nusquam ſumitur, niſi pro ſenioribus dignitate, & ordine

(o) Vid. Juenin diſſert. 4. art. 5. ubi citat S. Auguſtinum, qui inter alias cauſas, cur Pelagianis ad Concilium Generale provocantibus id denegatum fuerit, etiam hanc reddit, quod plures hæreſes ſine Synodo Generali fuerint damnatæ.

(p) Eſt hæc hodie plauſibilis doctrina Proteſtantium Eccleſiam ad infima ſubſellia ſimplicis cujusdam Collegii detrudentium.

(q) Act. 15. (r) Act. 1.

ne (s). Plebem antiquitus veniſſe in aliquale participium Juris ſacri, quatenus conventibus publicis intereſſe, ac ſuum quoque dare licuit teſtimonium, non abnuimus: verum factum id fuit cum ſubordinatione ad Clericos, & præcipue Epiſcopos, quorum poteſtas in omnibus negotiis eminuit. Ferebat igitur plebs teſtimonium, decidebant Epiſcopi: Sed nec omnibus Conciliis, nec ſemper Laicos interfuiſſe Synodis oſtendi valet. Probent id, ſi poſſunt AA. ex Conciliis, quæ in primis tribus Sæculis fuere celebrata. Ultra tria prima Sæcula ſi progrediamur, jam Laicos e Synodis fuiſſe excluſos comperiemus.

Quadruplicis generis homines ſolent Conciliis intereſſe.

Jam doctrinam Catholicorum communem atque ipſam praxin Eccleſiæ referre liceat, ex qua conſtat, quod quadruplicis generis homines Conciliis intereſſe conſueverint, alii ut *Judices* habentes ſuffragium deciſivum, alii ut *Conſultores* habentes ſuffragium conſultivum (t), quibus incumbit legatis Præſidibus aſſiſtere in omnibus, quæ agenda, vel dirigenda ſunt; alii ut *Miniſtri*, quales ſunt Notarii & ſcribæ, qui proponenda & conſtituta in ſcripturam redigunt; alii denique ut *Defenſores*, velut olim Imperatores, & eorum Proceres, quorum eſt omnes motus, & turbas præcavere & decretorum executionem procurare. His jure æquiparantur Oratores Regum & Principum, quales ad Concil. Tridentinum fuere ablegati, quorum ſolennes orationes ad Patres habitæ hinc inde leguntur (u).

Soli Epiſcopi habent ſuffragium deciſivum.

Ex his ergo ſoli Epiſcopi ex Jure Divino habent jus ferendi ſuffragium deciſivum: His enim ſolis Chriſtus commiſit Eccleſiam regendam: Hi ſoli in omnibus Conciliis ſederunt tanquam Judices, ſoli ſubſcripſerunt, ſoli ſubſignarunt, aut ſi qui alii ſubſcripſiſſe leguntur, ſoli Epiſcopi cum hac clauſula ſubſcripſerunt: *Ego Epiſcopus definiens ſubſcripſi.* Ex jure vero Eccleſiaſtico conſuetudinario aliquibus abhinc Sæculis etiam Cardinales non Epiſcopos, Abbates, ac Generales Ordinum ad ſuffragium deciſivum fuiſſe admiſſos legimus: & quidem in Eccleſia Latina hoc obtigit in omnibus Conciliis, nominatim Baſileenſi, Florentino, Lateranenſi ſub Leone X. & Tridentino. In Eccleſia vero Græca hoc ipſum fuiſſe obſervatum in Concilio Nicæno II. conſtat ex Act. 4. ubi una cum Epiſcopis quidam etiam Archimandritæ ſubſcripſiſſe leguntur. Debent autem omnes & ſinguli Epiſcopi per litteras, ut vocant, Encyclicas vocari, non quidem immediate, ſed mediate

(s) Vid. Boehmerus ad tit. de Major. & obed.

(t) Vid. Juenin differt. 4. art. 2.

(u) Vid. Cabaſſutius in Not. Eccleſ. differt. de Eccleſ. Concil.

diate per ſuos Primates, & Metropolitas, ad quos præfatæ litteræ expediuntur. De Epiſcopis, ut vocant, *titularibus* ſeu *in partibus*, quidam dubitant: eo quod careant plebe, & Jurisdictione. Interim cum ſint veri Epiſcopi habentes poteſtatem Ordinis ac Jurisdictionis, ſicut cæteri, licet actu ſuam jurisdictionem ob defectum plebis non exerceant, non videntur eſſe excludendi. Interim opus haud eſt, ut omnes conveniant, ſi modo legitime ſint vocati, atque hæc convocatio innoteſcat ſaltem majorum Eccleſiarum Epiſcopis: & hinc etſi plures abeſſent, quam ſunt præſentes, adhuc Synodus foret Oecumenica: quippe quod præſentes adſint cum charactere præſentatitio abſentium, in quos hi ſua ſuffragia transfudiſſe creduntur: ſecus de authoritate & Authentia Synodorum Nicænæ, Conſtantinop. I. Chalcedonenſis aliarumque plurium actum erit (x), atque e numero Conciliorum Generalium eliminandæ Synodi omnes poſt Sæculum IX. celebratæ, quibus perpauci ex Oriente interfuerunt (y).

Utrum Epiſcopi titulares ſint vocandi?

Non omnes Epiſcopi neceſſario venire debent.

Interim non raro factum eſſe legimus, quod Epiſcopi in propria perſona non comparuerint, ſed ſuos procuratores miſerint, quibuscum aliter in Synodis Orientalibus, & aliter in Occidentalibus actum fuiſſe comperio. In Orientalibus plagis ad eundem ſeſſionis, ſuffragii, & ſubſcriptionis ordinem recipiebantur Presbyteri delegati, qui debebatur delegantibus, ſi fuiſſent præſentes, uti percurrenti Acta Synodi Nicænæ I. & II. Conſtantinop. Epheſinæ, & Chalcedonenſis facile patebit. Econtra in Conciliis Occidentalibus equidem ad votum deciſivum admittebantur: non tamen inter Epiſcopos conſidebant, nec cum ipſis ſubſcribebant. Non nunquam etiam Presbyteri & Diaconi ſapientia & eruditione præcellentes ad ſuffragia tam conſultiva, quam etiam (de quo tamen aliqui dubitant) deciſiva eum potiſſimum in finem admiſſi ſunt, ut hæreſiarchas diſputando convincerent: Hac de cauſa Origenem ad Concilium Arabicum fuiſſe introductum, illumque tanta rationum vi hæreſiarchas profligaſſe ſcribit Euſebius (z), ut in ipſo Præſulum cœtu hæreſin ejuraverint. Idem de quodam Malchione Presbytero ad Synodum Antiochenam vocato, ut Paulum Samoſatenum

Non nunquam mittunt ſuos procuratores, & quomodo cum illis agatur?

Aliquoties etiam Presbyteri & Diaconi ſunt vocati.

(x) Nam Synodo Nicænæ non niſi tres Epiſcopi, & duo Presbyteri Occidentales interfuerunt: In Concil. Conſtantinop. I. & in primis ſeſſionibus Epheſini nulli omnino præſentes fuerunt Occidentales; ſimiliter in Chalcedonenſi nemo Latinorum prætor Legatos Pontificios.

(y) E. g. Concilio Conſtantienſi, Viennenſi, & Tridentino.

(z) Lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 37.

num erroris convinceret, idem ſcribit Euſebius (a). De S. Athanaſio adhuc Diacono ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino ad Synodum Nicænam ſecum aſſumpto res eſt notiſſima, quam ſtrenue contra Arium ferme ad confuſionem usque hæreſiarchæ decretaverit. Idem in Concilio Conſtantienſi factum eſſe legimus, præſtitumque fuiſſet in Tridentino, ſi Proteſtantes indulto ſibi uti voluiſſent commeatu (b). Sed inde novus ſuboriri poſſet ſcrupulus; an non ipſi etiam Presbyteri ex Jure Divino ſint vocandi, & ad ſuffragium deciſivum admittendi: tum quod in Concil. Hieroſolym. quod, ſicut aliquoties dictum fuit, normæ inſtar eſt habendum, non modo nobis ipſis fatentibus interfuerint, verum etiam æqualiter cum Apoſtolis (neque enim ſcriptura inter Apoſtolos & Presbyteros ullum facit diſcrimen) controverſiam deciderint (c): Tum quod praxin Eccleſiæ ſibi faventem habeant. Quoniam vero ſolis Epiſcopis regimen Eccleſiæ commiſſum, atque continua traditione, quæ ſola genuina ſcripturæ interpres eſt, aliud obſervatum fuiſſe legimus, veremur illos in pari gradu honoris, & Jurisdictionis cum Epiſcopis collocare (d).

An Presbyteri non habeant votum deciſivum?

CAPUT III.

De Præliminaribus, modo procedendi, Authoritate & Infallibilitate Conciliorum.

§. I. *Quænam ſint Præliminaria Conciliorum?* II. *Quomodo procedi ſoleat & debeat in declarandis fidei dogmatibus?* III. *An Concilium in iis ſit infallibile?*

§. I.

Hactenus quaſi in limine ſtetimus. Jam ipſum ſanctuarium ingredi, ac ordinem in celebratione Conciliorum obſervandum, præprimis vero præliminaria breviter exponere liceat, quæ ſunt potiſſimum ſequentia: nempe indictio ſolemnis jejunii & publicatio ſupplicationum, &

Quænam ſint præliminaria Conciliorum?

(a) Lib. 7. cap. 28.

(b) Vid. Cabaſſutius in Not. Eccleſ. Sæc. I. de Concil. Eccleſ.

(c) Vid. mox ante dicta: dicit enim Scriptura: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.*

(d) Ad ſolos Apoſtolos dictum eſt: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit regere Eccleſiam DEI.* Act. 20.

Digitized by Google

& diei, qua auſpicandum Concilium, ſolennis Patrum ab aula, ubi propriis dignitatum inſignibus veſtiuntur, præeunte S. Crucis vexillo deductio. Sequuntur Divina, nempe invocatio Spiritus S. & ſolemne officium: ſubſequitur oratio ab inſigni Oratore peroranda. His præmiſſis plebs foras mittitur, & foribus clauſis Patres ſuo conſident ordine: legitur Diploma Indictionis: eliguntur Officiales Congregationum (a): leges in Concilio ſervandæ promulgantur, ac demum Principum Oratores admittuntur. In ipſo conſeſſu quæſtiones definiendæ proponuntur: rationes ex utraque parte expenduntur, ac definiuntur: quæ definita fuere, in Scripturam rediguntur, confirmantur, ac publicantur. Inde jam

§. II.

Ordo procedendi in Conciliis.

In Eccleſia non fiunt novæ Revelationes.

Induſtria humana requiritur.

Ulterius examinandum, quo ordine Eccleſia ſoleat procedere tam in definiendis fidei dogmatibus, quam decernendis morum ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ regulis. Duo hic tanquam poſtulata præmittimus, quorum primum eſt, quod amplius in Eccleſia, ſaltem ex communiori ſententia, novæ revelationes non fiant. Alterum eſt, quod Chriſtus Dominus, etſi Eccleſiæ ſuæ aſſiſtentiam Spiritus S. ad finem usque mundi adſuturam promiſerit (b), nihilominus etiam induſtriam humanam in rebus fidei decernendis requirat; atque negotia fidei eo modo tractari velit, quo modo alia ſummi momenti negotia tractari conſueverunt, in quibus humana induſtria nihil intermittere ſolet eorum, quæ ſibi ad negotium caute, circumſpecte, provide, accurate, ac utiliter gerendum videntur eſſe neceſſaria. Atque id ab Eccleſia ſemper fuiſſe obſervatum, quotieſcunque quæſtio Dogmatis diſcutienda, ac decidenda fuerat, demonſtratu foret facillimum. Duas ergo Regulas infallibiles ſibi ſequendas propoſuit Eccleſia, nempe S. Scripturam, ac Traditionem: neque enim unquam Eccleſia hactenus aliquod dogma credendum definivit, niſi hoc eſſet vel clare expreſſum in S. Scriptura, vel aperte contentum in Traditione. Inde eſt, quod Eccleſia hactenus quæſtiones quaſdam controverſas finali judicio decidere noluerit: quia nondum ſatis ſenſum Scripturæ, vel certam Traditio-

Eccleſia in definiendis dogmatibus utitur duplici regula, Scriptura, & Traditione.

(a) Inter Officiales ſunt *Conſultores*, qui legatis Præſidibus aſſiſtunt; *Notarii*, qui ſingula in Scripturam redigunt; *Promotores*, qui culpas, & transgreſſiones Conciliarium obſervant; *Scrutatores*, qui ſingulorum ſcrutinia excipiunt, in ſcripta referunt, & ad menſam Conſultorum referunt numeranda.

(b) *Ecce! ego vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſæculi.*

Digitized by Google

ditionem exploratam habet (c). Porro autem in eo cardo difficultatis vertitur, qua via Eccleſiæ de ſenſu Scripturæ, aut exiſtentia Traditionis indubitata conſtare valeat? De ſenſu Scripturæ ut ſibi conſtet, conſuevit Eccleſia conſulere Traditionem, mentem Eccleſiæ antiquioris, communem ſenſum fidelium, ac præcipue interpretationem SS. Patrum, quorum unanimem conſenſum Eccleſia hactenus ſemper velut ſignum infallibile revelationis, & dogmatis revelati ſuſpexit. In ipſa autem Traditione inquirenda ſolent Epiſcopi diſcutere antiquiſſima Hiſtoriarum monumenta, libros Patrum, decreta antiquiorum Conciliorum, ac ſingulariter communem ſenſum totius Eccleſiæ dogma quoddam indubitanter ſemper & ubique ſine contradictione indubitata fide tenentis. Huc pertinent ea, quæ alibi diximus, nempe quod Catholici duplici *traditionis* argumento utantur, uno, quod vocant, *diſcuſſionis;* altero, quod nominant *præſcriptionis*: illud ex SS. Patribus, iſtud ex continua, & nunquam interrupta Eccleſiæ conſuetudine ac obſervantia petere conſueverunt (d). Si ad prima Eccleſiæ Sæcula reflectamus, tantæ difficultatis res non erat tunc temporis ævo Apoſtolorum proximioris explorare Traditiones: eo quod Epiſcopi, aliique Patres eas in recenti habuerint memoria, ac tanquam depoſitarii a DEO ſingulariter deputati fideliſſime cuſtodierint. Porro autem ſequioribus temporibus, quibus longius a primis Traditionum ſeparamur teſtibus, in exploranda Traditione longius deſudandum, atque gravioribus longe laboribus eſt defungendum. Quapropter Eccleſia hactenus conſuevit Viros doctrina, ſapientia, eruditione, ac rerum agendarum dexteritate ſumme conſpicuos, atque in S. Litteris præcipue, Eccleſiæ Canonibus, atque hiſtoriarum monumentis verſatiſſimos conquirere, eisque provinciam demandare, ut, quanta poſſunt, maxima diligentia in Traditionem inquirant. Hunc in finem inſtituuntur Congregationes ſelectiſſimorum Virorum, in quibus ſeorſim a cœtu Concilii quæſtiones decidendæ per vota conſultiva diſcutiuntur, rationum momenta ponderantur, ac demum fit relatio ad Patres in Concilio congregatos, quibus incumbit novum inſtituere examen, ac denique finali deciſione quæſtionem controverſam terminare.

Quid Eccleſia faciat in exploranda Traditione?

De argumento diſcuſſionis & præſcriptionis.

Olim exploratio traditionis non erat difficilis.

Inſtituuntur Congregationes.

Alias ſibi regulas Eccleſia ſequendas proponit in decernendis morum ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ rebus. In rebus morum ad Jus naturale,

Aliis regulis utitur Eccleſia in decernendis rebus

(c) E. g. Controverſiam de gratia efficaci tantopere in Congregationibus Romæ habitis agitatam.

(d) Vid. Quæſt. II. cap. 3. §. I.

morum ac diſciplinæ, & quibus?

turale, Divinum, & Eccleſiaſticum attendit: & ideo, quidquid a Jure naturæ recedere, a legibus Divinis eſſe alienum, & ſanctioribus Eccleſiæ Canonibus contrariari comperit, velut corruptelam damnat, rejicit, anathematizat, ac in tranſgreſſores ſeverioribus pœnis animadvertit (e). In rebus diſciplinam Eccleſiaſticam, ritus & cæremonias in Eccleſiam introductas concernentibus ampliorem habet poteſtatem, ut eas pro rerum, ac temporum circumſtantiis mutare valeat, quemadmodum ſæpius mutaſſe legitur (f). In his igitur ſequentia ſunt attendenda: Primo quidem: cum non raro una eademque res & ad *dogma* & ad *diſciplinam* ſub diverſa tamen ratione pertineat, id cavere ſolet, ne, dum circa id, quod eſt diſciplinæ, aliquid determinat, ipſum dogma convellere videatur, & dogma cum diſciplina confundat (g). II. ſunt aliqui ritus ab ipſo Chriſto Domino determinati, dogmatis inſtar ſervandi, in quos Eccleſia nihil ſibi unquam Juris arrogavit (h). III. in id etiam inveſtigat, undenam tales ritus & cæremoniæ ſuam ducant: Si ſacrarum Litterarum, aut Traditionis, aut Eccleſiæ, aut legitimorum Præſulum authoritate nitantur, facile illos abrogare, vel immutare non ſolet (i). IV. ad conſuetudines Eccleſiarum attendere Eccleſia conſuevit: & ideo pro conſervanda unitate, concor-

Quænam obſervanda quoad diſciplinam Eccleſiaſticam?

(e) Hinc bene diſcurrit Van Eſpen Tom. II. Part. 5. part. 1. cap. 1. §. 2. & 3. Triplicis generis Canones eſſe diſtinguendos, quorum aliqui id ſolummodo exprimunt, quod eſt Juris naturalis; vel Jus naturale caſibus particularibus applicant, quales ſunt, qui Eccleſiæ Miniſtris incontinentiam, avaritiam &c. exprobrant: alii juris poſitivi aliquid continent, multum tamen Juris naturalis admixtum habent e. g. illi, qui Clericis ſingularem morum honeſtatem præcipiunt, & negotia quædam de ſe indifferentia prohiben: Alii denique ſunt, qui meros ritus externos præcipiunt.

(f) Mutavit trinam immerſionem in Baptiſmo, agapas, pœnitentiam publicam.

(g) E. g. In cultu imaginum aliquid, quod eſt dogmatis, & aliquid, quod eſt diſciplinæ, continetur: Dogmatis eſt, quod eas colere liceat: Diſciplinæ eſt, quod imagines pictæ, vel ſculptæ publice ad cultum publicum exponantur.

(h) Præcipue ritus Sacramentales materiam & formam Sacramentorum conſtituentes e. g. ablutio in Baptiſmo, impoſitio manuum in Confirmatione &c.

(i) Sicut e. g. ritus quidam ad Evchariſtiam aliaque Myſteria conficienda inſtituti: diverſi gradus in Hierarchia Eccleſiaſtica antiquitus jam ſapientiſſime introducti.

Digitized by Google

concordia, pace, & charitate Eccleſiis, Regnis & Provinciis ſuos ritus relinquit intactos, dummodo ab iis non abſit ſanctitas, gravitas, & prudentia. Hinc licet olim Orientis Eccleſiæ ab Occidentalibus, & Occidentales ipſæ inter ſe differrent, & etiamnum differant in ritibus, quibus conficitur incruentum ſacrificium, in adminiſtratione reliquorum Sacramentorum, in ſervandis jejuniis, gradibus pœnitentiæ publicæ, celebrandis feſtis (k) nunquam tamen Eccleſia Occidentalis ſuas Orientalibus obtrudere cæremonias, aut vinculum unitatis propterea rumpere voluit (l). Similiter, etſi Victor Romanus, & Irenæus cum ſuis acriter in cauſa celebrandi Paſchatis inter ſe dimicaverint, neutiquam tamen communionem inter ſe ſcindendam duxerunt. V. Ab experientia didicit Eccleſia, quod quædam diſciplinæ capita amplius nec ſint utilia, multo minus neceſſaria: quare ea immutanda cenſuit (m). VI. Conſuevit Eccleſia vel maxime etiam ad circumſtantias rerum & temporum, conſuetudines locorum, mores & genium hominum reſpicere, atque his ſuam diſciplinam conformare, prout experientia edocti ſumus (n). En! quanta ſolertia, circumſpectione, providentia Eccleſia non modo in definiendis fidei dogmatibus, ſed etiam determinandis diſciplinæ Eccleſiaſticæ regulis procedere conſueverit.

§. III.

De infallibilitate Conciliorum in fidei dogmatibus, & factis doctrinalibus.

Jam ad id, cujus gratia hactenus ferme omnia diximus, delabimur, nempe ad infallibilitatem Conciliorum generalium tum in definiendis fidei

(k) Græci conſecrant in fermentato; Latini in azymo: illi utuntur forma deprecativa in Sacramento Pœnitentiæ; nos indicativa: conferunt Ordines per ſolam impoſitionem manuum; nos per porrectionem inſtrumentorum: jejunant rigidiſſime in Xerophagia; nos laxius &c.

(l) Sic Eccleſia Latina nunquam Græcis obtruſit legem cœlibatus: dein agens in Concil. Florent. de unitate reſtauranda neutiquam ad ſuos ritus obligare voluit: imo permittit Romæ Græcis ſua Divina ſecundum ritus ſuæ Eccleſiæ peragere.

(m) E. g. obſervatio legalium, Agapæ &c.

(n) Sic ſubtraxit communionem ſub utraque ſpecie fidelibus in genere: quibusdam tamen ſaltem ad tempus conceſſit, Bohemis, Moravis &c. Item temperavit leges pœnitentiæ publicæ, & jejunii, ac diverſam pro diverſitate locorum diſciplinam quoad obſervationem jejunii antiquitus toleravit, & adhuc hodiedum tolerat.

fidei dogmatibus, tum declarandis factis doctrinalibus, in eo nobis gratulantes, quod, ſaltem quoad definitiones dogmatum fidei (nam quoad declarationes factorum doctrinalium ipſi Catholici inter ſe digladiantur) Doctores Catholicos omnes nobis habeamus conſentientes, Gallicanos præcipue, qui, dum poteſtatem Pontificis ad inferiora ſubſellia detrudunt, Conciliorum authoritatem neceſſario ad ſupremum infallibilitatis apicem elevare coguntur, niſi Eccleſiam Judice infallibili deſtituere velint. Longe graviſſimæ difficultatis quæſtio eſt altera de declarandis factis doctrinalibus, quam tanto majori alacritate examinandam ſuſciperemus, quanto majorem rerum, ac rationum ſuppellectilem pro ea de condigno diſcutienda ad manus habemus. Porro autem temporum, & pagellarum anguſtiæ fuſiorem excurſionem inhibent. Non tamen ſicco omnino calamo hanc quæſtionem prætérire poſſumus: pro cujus enodatione animadvertimus, probe eſſe diſtinguendum inter *perſonam dicentis*, *voces & verba*, quibus doctrina exprimitur; ac *ipſam doctrinam* verbis expreſſam. Dicitur Eccleſia judicare de *perſona dicentis*, quando fert judicium de mente, & animo ſcribentis: Atque in hoc non eſſe judicium Eccleſiæ infallibile, apud omnes in confeſſo eſt, non tantum, quod Eccleſia de internis non judicet, ſed quod facile fieri poſſit, ut, qui prave ſcripſit, animo recte ſentiat; & econtra, qui interne minus recte ſentit, externe ſuum errorem verborum ambiguitate obtegat (o). Dicitur Eccleſia judicare *de doctrina*, quando eam vel approbat, vel damnat, & in hoc judicio Eccleſiam eſſe infallibilem nemo Catholicorum negat. Judicat demum de *verbis*, quando judicat, quis ſit verborum ſenſus, & ſignificatus, an purus, & Catholicus, an erroneus vel hæreticus? Jam circa hoc ultimum rei cardo vertitur, an Eccleſia in Concilio congregata in judicando ſenſu librorum ſit infallibilis. Audire jam lubeat argumenta, quibus DD. noſtri Catholici infallibilitatem Conciliorum tam in definiendis fidei dogmatibus, quam in factis doctrinalibus ſtabiliunt: Nam

In quæſtione de factis doctrinalibus caute diſtinguendum. Eccleſia judicat vel de perſona dicentis, vel doctrina, vel verbis.

Argumenta pro infallibilitate Eccleſiæ etiam in factis doctrinalibus.

I. Promiſit Chriſtus ſuæ Eccleſiæ infallibilem aſſiſtentiam Spiritus S. (p): non utique tanquam corpori alicui ficto, inanimato, omni vira & vigore carenti; ſed vero, vivo, capite & membris inſtructo: porro autem quodnam aliud hoc corpus, quam Eccleſia in Concilio congrega-

(o) Præterea multi ex infirmitate intellectus in errorem labuntur, & non ex pertinacia voluntatis, & interne ſunt prompti ad ſubjiciendum ſe judicio Eccleſiæ. Hi tamen patienter tolerare debent judicium contra ſe latum.

(p) *Ecce! ego vobiſcum ſum &c.*

Digitized by Google

gregata? II. Hanc ipſam aſſiſtentiam eſſe præſentem Patribus in Concilio confluentibus ipſa Scriptura verbis edicit apertiſſimis: dicunt enim Apoſtoli in Concilio a ſe congregato: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* III. A primis ſuis incunabulis usque nunc Eccleſia in ſuis Conciliis confixit hæreſes, definivit dogmata, ſuſtulit Schismata, damnavit errores, inſtruxit ſuam diſciplinam: quod ſi eidem denegemus infallibilitatem, nunquid poſtliminio redibunt omnes hæreſes in Conciliis confixæ, proſcriptæ, & damnatæ, ac tota hæreticorum cohors, ſeu colluvies ſub prætextu injuſtæ damnationis, ac judicii ingenti impetu inundabunt Eccleſiam, ac penitus eam ſuffocabuut. Inde facile argumentum ducitur ad alteram quæſtionis partem.

Nam ſi ſemel (loquimur jam cum Catholicis) Eccleſiam credimus eſſe infallibilem in ſtautuendo dogmate, in interpretandis Scripturis, colligenda traditione in ordine ad ſtabiliendum dogma, eandem infallibilitatem eidem adſcribamus neceſſe eſt in interpretandis libris aliorum Authorum, ſenſuque eorum approbando, vel damnando: quid enim aliud eſt interpretari libros, approbare vel reprobare ſenſum illorum, quam judicare, an liber iſte, propoſitio iſta, verba, phraſes, & ſenſus ſint conformia dogmati, vel diſſormia? Nunquid verba, phraſes, & ſenſus cohærent cum ipſo dogmate revelato, & cum eo eſſentialiter connectuntur, ita ut aliquoties vel unico verbo dempto dogma corruere neceſſum ſit? Tolle vocem *conſubſtantialis*, & ſuſtuliſti dogma fidei contra Arianos in Concilio Nicæno ſtabilitum. Eſto enim verba immediate revelata non ſint, cohærent tamen cum dogmate, conſtituunt propoſitionem fidei tanquam partes, de cujus ſenſu vero, vel falſo utique judicare debebit Eccleſia. Auferamus Eccleſiæ hanc infallibilitatem, qua ratione vel ullum dogma firmum conſiſtere, authoritas Eccleſiæ ſarta & tecta manere, aut hæreticorum fraudibus contraveniri poterit? Nemo in omni hiſtoria ita peregrinus eſt, ut ignoret, quibus artibus Hæretici dogmata fidei excogitando varias verborum formulas, interpretando Scripturam per ſenſus corruptos, affingendo falſos labefactare ſtuduerint. Quam varias fidei formulas cuderunt Ariani, quam varios affinxerunt ſenſus verbis *conſubſtantialis*, & *hypoſtaſis*? Quam non ſæpe impoſuerunt Eccleſiæ per ſenſus æquivocos? Nunquid Pelagius, poſtquam jam in Concil. Carthag. & Milevitano fuit damnatus, impoſuit Zoſimo Pontifici offerendo ei libellum adeo ſubdole compoſitum, ut illum Catholicum pronuntiaverit? Quomodo non periclitabitur authoritas Eccleſiæ, ſi illi infallibilitatem hanc denegemus? Quotusquisque enim Hæreticorum non reclamabit, ſe non eſſe hæreti-

Ipſa dogmata non nunquam dependent a voce & ſenſu verborum.

hæreticum, ſe non ſenſiſſe hæretice, ſe perperam in Eccleſia errante fuiſſe damnatum? Ipſam experientiam conſulamus, ex qua conſtat, quam ſæpe ab uno ad aliud Concilium, a Pontifice ad Concilium, & ad Imperatorem appellaverint. Audire libeat eruditiſſimum Thomaſinum ita diſſerentem (q): *Si Synodus erronee Hæreticos pro Catholicis, vel Catholicos pro Hæreticis habuit, quanta erit ejus caligo, quanta vertigo Epiſcoporum, quanta Magiſtræ Eccleſiæ infamia? an non hoc eſt cribrare illud Spiritus S. Lumen, illud cœleſte oraculum, quo & fides a Synodo prædicatur, & perfidia libris inſperſa proſcribitur?* Dein Eccleſia ipſa ſe hactenus talem in proſcribendis libris, & declarando ſenſu eorum ſe geſſit, ut nemini dubium ſupereſſe poſſit, quod ſe infallibilem in hoc eſſe crediderit: Primo enim non tantum eorum libros damnavit, & anathematizavit, ſed etiam ſuos fideles ad anathematizandum & damnandum ſub juramento fidelitatis obligavit (r). Quomodo autem Eccleſia juramentum exigere, aut fideles juramentum deponere, & deciſioni jurato ſubſcribère poſſunt, niſi Eccleſia de ſe ipſa, & fideles ſuæ Eccleſiæ infallibilitatem ſupponant? Ad hæc & ſecundo nec ſemel poſt tot annorum curricula contigit, ut ex tot velut innumeris libris, qui cenſorio mucrone in aliqua Synodo confoſſi ſunt, vel unus in alia Synodo benigniorem ſententiam tulerit. Tertio nec ipſos Authores ad explicandum ſenſum ſuorum librorum admiſit, ſed abſolute ad eos damnandos adſtrinxit. Quidquid tentavit Pelagius, ut ſuis libris ſenſum Catholicum affingeret, & audientiam impetraret, non fuit auditus, ſed ſimpliciter teſte S. Auguſtino (s) ad anathematizandos ſuos libros compulſus. Item damnati ſunt errores Abaëlardi in Concil. Senonenſi, & data ipſi optio (t) aut negandi ſua eſſe Capitula, aut errorem humiliter corrigendi; neutiquam tamen libros in alio ſenſu interpretandi. Abaëlardus teſte Ottone Friſingenſi ſcripſit Apologeticum, quo partim verba, partim ſenſum verborum negavit: ideo tamen ſe purgare non potuit. Manet, & manebit ſententia in illius libros fulminata. Præterea in Concil. Conſtant. nec ipſe Joannes Huſs, etſi vellet ſuos libros certis modificationibus mitigare, neque alii, qui volebant

Eccleſia ſe hactenus credidit infallibilem in factis doctrinalibus definiendis.

(q) Diſſert. 19. in 5. Synod. num. 42.

(r) Quemadmodum feciſſe legitur in Synod. 5. Can. 11. ubi ſic: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Neſtorium, Eutychen, anathema ſit.*

(s) Lib. de Geſt. Pelagii.

(t) Ita teſtatur Godofredus lib. 3. cap. 5. in vita S. Bernardi.

lebant illius cauſam defendendam ſuſcipere, fuere auditi, ſed ille abſolute damnatus; hi illius doctrinam damnare juſſi ſunt (u). Plura huc facientia brevitatis cauſa præterimus.

Juvat jam audire argumenta Adverſantium, & quidem contra infallibilitatem Conciliorum opponunt ſequentia: I. Quidem nullibi in tota Scriptura promiſſio quædam Spiritus S. Conciliis certo adfuturi legitur: ex eo enim, quod Apoſtolus in Concil. Hieroſolym. dixerit: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*, ad ſummum particularis, neutiquam univerſalis Spiritus S. promiſſio eruitur; imo ne quidem particularis: quid enim volunt dicere hæc verba? Profecto nihil aliud, quam quod pie crediderint Apoſtoli, ſibi adſuiſſe Spiritum S. II. Quo fundamento Conciliis Generalibus infallibilitatem adſcribere poſſumus: cum ne quidem ſciamus propter diverſas opinantium ſententias, quænam ſint Concilia Generalia, & nihil prorſus certi, ac indubitati de iis habeamus; nihil certi de poteſtate convocandi, præſidendi, & confirmandi; nihil de iis, qui ex jure Divino vocari debent, & votum deciſivum habent; nihil de modo procedendi legitimo, de libertate ſuffragium habentium. De his enim omnibus partim inter ipſos Catholicos diſceptatur, partim ab Acatholicis dubia moventur (x). III. Plura errarunt Concilia: ergo fruſtra Catholici ſuis Conciliis privilegium non errandi vindicare contendunt: Erravit certe Concil. *Ariminenſe* Anno 359. in cauſa Arianorum convocatum eradendo vocem *conſubſtantialis* ſymbolo contra Arianos inſertam, de quo S. Hieronymus ingemiſcens ait: *Totus mundus ingemuit, ſeque Arianum profeſſus eſt.* Erravit *Sardicenſe*, de quo ait S. Auguſtinus: Concilium *Sardicenſe* Arianorum fuit. Erravit *Epheſinum II.* quod ſubſcripſit errori Eutychianorum, *Chalcedonenſe*, quod approbavit Epiſtolam Ibæ Neſtorianam, quam Conſtantinop. II. ſicut & ſcripta Theodoreti & Theodori Mopſueſteni damnavit; Conſtantinop. III. quod damnavit Honorium Papam. Errarunt duo Concilia Conſtantinopoli habita, unum ſub Leone Iſauro; alterum ſub Copronymo, utrumque contra SS. Imagines. Errarunt

Proponuntur Argumenta AA.

 Concilia

(u) Seſſ. ult. quam in rem pulchre diſſerit Joannes Gerſon dicens: *Concilium Generale poteſt damnare propoſitiones multas cum ſuis authoribus, licet habere gloſſas aliquas, vel expoſitiones, vel ſenſus Logicales veros poſſint.*

(x) Diſputant enim, an poteſtas convocandi ſit penes Imperatorem vel Pontificem; confirmandi penes ipſam Eccleſiam vel Pontificem; num vocandi ſoli Epiſcopi, vel etiam Presbyteri: & quomodo conſtare poteſt, quod omnia legitime & ordinate diſcutiantur?

Digitized by Google

Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe elevando authoritatem Conciliorum ſupra Pontificem. Plura alia brevitatis cauſa omittimus.

Refelluntur. Porro autem tantæ difficultatis hæc non ſunt, ut non poſſint facile dilui: & quidem quantum ad primum inprimis habemus certam promiſſionem Spiritus S. ſuæ Eccleſiæ adfuturi ex textu ſupra citato: & ſi Spiritus S. adfuit Apoſtolis in ſuo Concil. Jeroſolym. cur non & aliis adfuturus credi poſſit, dum Chriſtus Dominus illud Concilium velut normam nobis proponere, noſque docere voluit, quid ipſe facere velit, & nos facere oporteat? Quantum ad ſecundum eſto hæc omnia diſputentur: Quod ſi tamen de errore aliquo manifeſto non conſtet, & hæc omnia præſcripta obſerventur, ac demum accedat pacifica acceptatio, prudens dubitandi ratio de genuinitate Concilii non ſupereſt. Profecto ſi hæc arguendi ratio valide quidquam probet, vix aliquid certi habebitur in Eccleſia, & pleraque dogmata collabentur maxime in materia Sacramentorum, illorum etiam, quæ ipſi Acatholici e numero Sacramentorum expungere non audent. Quantum ad tertium remittimus nos ad alios Authores, qui hæc omnia facili negotio atque ex integro enervant. Nobis unicum annotaſſe ſufficiat, quod pleraque illa Concilia e. g. Ariminenſe, Epheſinum II. non fuerint legitima (y).

Afferuntur argumenta Lamindi Britanii. Audiamus etiam argumenta contra alteram quæſtionis partem fieri conſueta, quæ ex famoſo libello Lamindi Britanii de Ing. moderat. deprompſimus (z). I. Enim Eccleſia habet infallibilitatem & aſſiſtentiam Spiritus S. tantum in iis, in quibus conſtituenda, explicanda ac proponenda eſt doctrina Catholica: at vero judicia de privatorum hominum verbis, ac phraſibus utique non reſpiciunt doctrinam ſive ſanam, ſive hæreticam, ſed tantum verborum ſenſus ſua natura mutabiles, & ſecundum arbitrium mortalium intelligibiles. Neque certe a verbis & phraſibus Scriptoris privati dependet cognitio, aut conſervatio dogmatum: hæc enim aliunde jam ſunt ſancita, aut ſanciri debent. Igitur licet in his fallatur Eccleſia, non ideo periclitabitur veritas. II. Verba ſunt æquivoca, illiſque ex ſua natura diverſus ſubeſſe poteſt ſenſus, quod Eccleſia impedire non poteſt, neque DEUS ope miraculorum vult. III. Ipſa Eccleſia ſive in Conciliis congregata, ſive extra ſe talem hactenus geſſit, ut jure videri poſſit, quod ſibi privilegium non errandi in declarandis factis doctrinalibus nunquam arrogaverit: utpote quæ non raro verba & propoſitiones ſecundum varias acceptiones nunc

(y) Vid. Juenin diſſert. 4. art. 4. Clariſſim. P. Corbinianus Thomas in Spicileg. diſſ. 7. (z) Lib. 1. cap. 20.

nunc approbavit, nunc reprobavit. Rem illuſtrare liceat exemplis; ſicSynodus Antiochena contra Paulum Samoſatenum celebrata vetuit Chriſtum aſſerere *conſubſtantialem*: econtra Nicæna declaravit illum *conſubſtantialem.* Synodus Sardicenſis prohibuit ad Divinarum perſonarum diſtinctionem declarandam adhibere vocem *hypoſtaſis:* duæ econtra Synodi Alexandrinæ ejusdem uſum approbarunt. Theſis iſta: *Chriſtus eſt unus de Trinitate, ſive unus de Trinitate paſſus eſt*, ab Hormisda Pontifice fuit reprobata, & a Catholicis tam male habita, ut ad hæreſin Eutychianam accedere eam crederent: & tamen paulo poſt illam ut Catholicam receperunt Summi Pontifices Joannes II. Vigilius, & Synodus Oecumenica V. Cum literæ Pelagii, ac libellus Cœleſtii coram Zoſimo Pontifice, & Synodo Romana legeretur, libellus ille teſte S. Auguſtino (a) dictus fuit Catholicus, & hunc ipſum libellum idem Pontifex de ſenſu illius edoctus una cum ſuo Authore anathemate feriit. Et, quod caput eſt hujus controverſiæ, approbata fuere famoſa tria capitula (b) in Synodo Chalcedonenſi, & poſt 100. circiter annos in Synodo Conſtantinop. II. damnata. Paulus Samoſatenus in Concilio Antioch. I. abſolutus, in II. fuit damnatus. Celebris in hiſtoria eſt cauſa Cæcilii Carthaginenſis, cui in Concil. Rom. præſidente Melchiade adjudicata fuit cauſa contra Donatiſtas, & tamen in pluribus Synodis iterum auditi ſunt Donatiſtæ, & Cæcilius teſte S. Auguſtino etiam poſt mortem damnatus fuiſſet, ſi de crimine convinci valuiſſet. En! graviſſima argumenta, quibus doctrina de approbandis, vel reprobandis libris impetitur. Quæſtio hæc ultimis temporibus occaſione quinque propoſitionum Janſenii damnatarum acerrime fuit agitata, & hodiedum agitatur. Longum nimis foret, ſi ad hæc omnia juxta merita reſpondere vellemus. Quare paucis ea diluimus, &

Ad primum & ſecundum reſp. Eccleſiam debere eſſe infallibilem non tantum in declarando dogmate fidei, ſed etiam in approbandis, vel reprobandis iis, quæ ſunt vel conformia, vel difformia dogmati, & cum eo neceſſariam connexionem habent. Dein vêrum non eſt, ſi dicant, cognitionem & conſervationem dogmatum a verbis & phraſibus non dependere. An non verba ordinata ſunt ad explicandum dogma? An non toleratis, vel diſſimulatis verbis æquivocis, & phraſibus periculoſis ipſum dogma periclitari neceſſe eſt? Num Eccleſia Arianis conce- *Diluuntur.*

(a) Lib. 2. ad Bonifac. cap. 7.

(b) Nempe Scripta Theodoreti Mopſueſteni, Theodori, & Epiſtola Ibæ Edeſſeni ad Marim Perſam.

Digitized by Google

concedere potuit, ut filius diceretur Patri *omnino æqualis?* Ad tertium reſp. omnia adducta exempla nihil officere doctrinæ ſupra propugnatæ: & quidem quod attinet vocem *hypoſtaſis*, mirum videri non debet, quod Concilia diverſimode illam acceperint: quia tunc temporis fixam, ſtabilem, & certam ſignificationem non habuit; neque adducta Concilia illius ſenſum finaliter declarare voluerunt: nam veteres præſertim Græci illam paſſim pro *natura* acceperunt; alii pro *perſona*. Clarius illius ſenſus videtur eſſe eliquatus in Synodo Alex. An. 362. celebrata, ſuper quo tamen vid. Petavius (c) more ſuo totam rei ſeriem doctiſſime elucidans. Minorem difficultatem facit vox *conſubſtantialis*, de cujus ſignificatu tantum non erat dubium. Reprobavit quidem illam Synodus Antiochena, ſed in ſenſu Pauli Samoſateni, qui paralogiſmo uſus eſt, & Chriſtum etiam qua hominem *conſubſtantialem* voluit. Definitive tandem illius ſenſum declaravit Synodus Nicæna. Jam quærere liceat, utrum liberum ſit has voces, earumque ſenſum aliter interpretari, aut omnino repudiare? Quod attinet propoſitionem illam: *Unus de Trinitate paſſus eſt*, illa nunquam canonice fuit damnata ab Hormisda Pontifice. Fuit inter Catholicos controverſa, quibusdam illam propugnantibus, aliis eam Eutychianæ hæreſeos incuſantibus, donec Joannes II. controverſiam diremerit, eamque Catholicam pronuntiaverit. Jam iterum quærimus, an & hanc propoſitionem in alium ſenſum detorquere liceat? Quantum ad factum Zoſimi, diverſæ ſunt Authorum defenſiones. Profecto ſunt Authores magni nominis libere aſſerentes, libellum Cœleſtii revera in ſe fuiſſe Catholicum, quidquid in mente vaſerrimus hæreſiarcha retinuerit, & verbis æquivocis exprimere voluerit; nam etſi errorem de productione animæ per traducem in ſe continuerit, propterea tamen erroris accuſari nequivit: cum quæſtio hæc eo tempore definita nondum fuerit. Ideo autem poſtea fuit damnatus, ut & periculis inde exorituris præveniretur, & authoritas Patrum Carthaginenſium ſalvaretur. Famoſa illa *tria Capitula* quod attinet; cum cauſa illorum foret longioris diſquiſitionis, eam breviter expedimus aſſerendo communiorem Doctorum reſponſionem, qua dicunt, quod Synodus Chalcedonenſis ipſa Capitula non approbaverit, ſed ſolummodo illorum Authores in Communionem receperit, poſtquam Neſtorio anathema dixerunt. Interim non deeſt & alia reſponſio fortaſſis probabilior. Reliqua adducta exempla unice probant, quod Eccleſia in judicandis perſonis, & factis perſonalibus erraye-

(c) Dogm. Theolog. Tom. 2. lib. 4. cap. 1. & ſeq.

Digitized by Google

erraverit: quod nemo Catholicorum negaverit; non autem in dijudicandis libris, & declarando ſenſu illorum. Atque hæc in hac delicata & difficili quæſtione dicta ſufficiant.

CAPUT IV.

De Studio, & recta intelligentia Conciliorum.

§. I. *De neceſſitate notitiæ Conciliorum.* II. *De Studio illorum, & recta ſtudendi methodo.* III. *De principiis, & ſubſidiis ad notitiam Conciliorum ſibi comparandam neceſſariis, in ſpecie de Collectionibus, & Scriptoribus Conciliorum.* IV. *De Collectionibus Conciliorum particularium & Canonum remiſſive.* V. *De Subſidiis.* VI. *De recta intelligentia Conciliorum.* VII. *De præcipuis Controverſiis Conciliorum.*

§. I.

Quidquid in univerſum de præſtantia utilitate & neceſſitate Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non minus quam prophanæ ad illuſtrandas res Eccleſiaſticas ſeu fidem, ſeu mores, ac totam quantam diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes, ad comparandas exornandasque pulcherrimas Theologiæ, ac Jurisprudentiæ ſcientias dici poteſt, id omne de notitia hiſtoriæ Conciliorum jure optimo dici poſſe eo firmius nobis perſuaſum habemus, quo evidentius eſſe dignoſcitur, eam eſſe præcipuam partem totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Ex his enim Catholici plura depromunt dogmata occaſione hæreſum enaſcentium noviter definita (a), illuſtrantur Hiſtoriæ hæreſum, lucem emendicant Acta Pontificum, Hiſtoriæ quæcunque factorum ac rerum geſtarum plurimum accipiunt luminis, Jurisprudentia Eccleſiaſtica æque ac Theologia ſua mutuat principia & ſubſidia, ipſa etiam Jura Pontificum, Epiſcoporum, ac Principum ſæcularium menſurantur, determinantur, definiuntur, atque Collectiones Canonum ſuam ducunt originem. Nolo rem iſtam aliunde notiſſimam pluribus illuſtrare.

Notitia Conciliorum eſt neceſſaria.

§. II.

(a) Nam omnes ferme hæreſes, aut ſaltem magis præcipuæ in Conciliis ſunt confixæ: Arianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, Zwinglianorum, Huſſitarum.

§. II.

Studium Conciliorum commendatur.

De methodo ſtudendi.

Methodum ſtudendi docet Mabillonius.

Ex his jam ſequitur ſtudium Conciliorum Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ cultoribus eſſe oppido commendandum, cujus neceſſitas ex mox dictis jam demonſtrata manet. In eo ergo unice ſudandum eſt, ut methodum ſtudendi Hiſtoriæ Conciliorum ſuppeditemus. Hoc munere egregie defuncti fuit plures Viri eruditione ſapientia & doctrina celeberrimi, quorum aliqui *ſtudendi methodum* tradiderunt, alii *ſtudendi materiam*, ſi ita dicere fas eſt, præpararunt. Methodum docuere Joan. Mabillonius (b), & Franciſcus Salmon Bibliothecarius Sorbonnenſis (c), Materiam ſuppeditant Mathæus Pfaffius (d), & Anhibaldus Bower (e) præter alios, quos citat Walchius (f).

Unice hic de methodo ſtudendi agamus, & regulas, quas Mabillonius ſuppeditat, exhibeamus. *Triſariam*, ait Vir eruditiſſimus, *quoad hoc ſtudium quis ſe gerere poteſt, vel ſcilicet Concilia integre legendo, vel iſtorum duntaxat Collectanea verſando, vel demum Epitomen aliquam evolvendo, ut eſt ea Cabaſſutii: & hic poſtremus modus utpote brevior atque facilior plerisque ſufficere poterit, tametſi parum a non nullis commendetur.* Poſtea docet, quid tam in perlegendis Conciliis, quam verſandis Collectaneis ſit obſervandum (g).

Quantum ad methodum vero Conciliis ſtudendi ſequentia tradit: Primo, ait, *univerſalis quædam eorum idea formari debet, quæ ibi notanda occurrunt. Quocirca ad rem multum erit dudum legiſſe duos ponderationum libros Domini Albaſpinæi, neutiquam tamen ſtatuendo, quid circa dubia ab ipſo inibi propoſita ultimo ſit reſolvendum, usque dum ſingula in ipſis contenta probe diligenterque fuerint perpenſa. Cabaſſutius etiam quantum ad hoc non parum juvabit. Qui tamen Concordiæ Domini de Marca ſtuduerint,*

(b) In tract. de Stud. Monaſt. Part. II. cap. V.

(c) Traité de l'etude des Conciles & de leurs Collections.

(d) Introd. in Hiſt. Theol. liter. Tom. III. pag. 193. ubi Schediaſma de Scrip. ad notit. Concil. Thom. Ittigs integrum recenſet, notisque illuſtrat, & de ſuo multum addit.

(e) Unpartheyiſche Hiſtorie der Römiſchen Päbſten, vierter Theil, cui præfixit Diſſertationem ampliſſimam de Collectionibus Conciliorum ſub titulo: Abhandlung von den Sammlungen der Concilien: ubi non modo Collectiones Conciliorum ſed etiam Canonum fuſe recenſet.

(f) Hiſtorie der Kirchen-Verſammlungen, pag. 28.

(g) Loc. cit.

Digitized by Google

rint, librisque Ludovici Thomaſſini de Diſciplina, & Patris Queſnelii, magis etiam in Conciliorum ſtudio proficient. Legi item poſſunt Richerius & Jacobatius, cujus opus velut Iſagoge ad iſtam lectionem inſervit. In calce hujus tractatus potiorum difficultatum Elenchum invenies, quem idcirco tradidi, ut inde Autographorum ſtudium facilius redderem. Secundo cujuslibet Concilii hiſtoriam ad amuſſim ſcire oportet, videlicet quidnam ad ipſorum celebrationem anſam præbuerit; Quæ fuerint in ipſo hæreſes percuſſæ anathemate, quinam celebres viri interfuerint, & quæ inde evenerint. Tertio ſi quæ fuerint in Conciliis legendis notatu digna, calamo exaranda erunt. Iſtæ autem adnotationes integre & per extenſum ſcribi poterunt, breviter ſolum innuendo in margine cauſas, aut materias ſingularum. Tria ergo in his ſuadet Mabillonibus ſtudium Conciliorum incipientibus I. ut legant compendia. II. Ipſam cujuscunque Concilii hiſtoriam ſibi familiarem reddant. III. Notatu digna diligenter annotent. Atque hæc methodus nobis omnino probatur, de qua alibi diximus (h).

Tria ſuadet Mabillonius in ſtudio Conciliorum obſervanda.

§. III.

Hactenus de methodo ſtudendi. Jam de principiis & ſubſidiis ad notitiam Conciliorum ſibi comparandam neceſſariis. Habet ſcientia Conciliorum id commune cum cæteris artibus & ſcientiis, quod habeat quædam principia & fundamenta fixa, & inſuper quædam ſubſidia. Principia hauriuntur ex *fontibus originariis*, ſubſidia mutuantur ex variis artibus, ſcientiis, & libris: Illa ad comparandam ſcientiam ſimpliciter; hæc ad eam excolendam perficiendamque non modo utilia ſed certo modo ſunt neceſſaria.

De principiis & ſubſidiis ad iſtud ſtudium neceſſariis.

Primitus de *fontibus originariis* Conciliorum diſpiciamus. Hi iterum ſunt duplicis generis, vel *communes*, vel *proprii.* Ad priores pertinent Hiſtoriæ omnes Pontificum, Hæreſum, Schiſmatum, Principum, Patrum, Doctorum Eccleſiæ, ac rerum per omnia ſæcula geſtarum, quæ quomodocunque cum Hiſtoria Conciliorum connectuntur. Ad poſteriores ſpectant *Acta ipſorum Conciliorum.* Hæc iterum ſunt duplicis generis: vel enim dicuntur *Collectiones Conciliorum*, vel *Canonum:* Et ambæ complectuntur Acta & Canones vel omnium vel certe plurium Conciliorum, vel unius tantum alteriusve Concilii particularis, prout per decurſum videbimus.

Quotuplicis generis ſint fontes originarii?

Incipiamus a Collectionibus Conciliorum generalibus, iisque famoſioribus, easque in compendio referamus:

Quænam Collectiones Conciliorum?

(h) In Differt. de Auth. Uſu & Stud. Jurisprud.

Prima Collectio eſt Merlini. Prima igitur Collectio eſt Jacobi Merlini, Doctoris Pariſienſis de an. 1523, qui ſuam collectionem in duo congeſſit volumina, quorum primum in ſe continet *quatuor Conciliorum generalium*, 47. *Conciliorum provincialium Canones; Decreta* 69. *Pontificum ab Apoſtolis & eorumdem Canonibus usque ad Zachariam I. Iſidoro Authore. Alter Tomus Conciliorum generalium complectitur Practica quintæ Synodi Conſtantinopolitanæ*, Acta Concilii Conſtantienſis, Decreta Concilii Baſileenſis, Confirmationem Conſtitutionum Friderici & Carolinæ. Hæc Collectio ſecundo typis edita fuit 1530. Coloniæ, & 1535. Pariſiis. Utraque hæc editio aucta fuit per *Auream Bullam* Caroli IV. & Conſtitutionem Pii V. Pontif. contra appellationes ad Concilium generale.

Petri Crabbei. Altera Collectio eſt Petri Crabbei, Ord. S. Franciſci ampliorem editionem adornantis ſub titulo: *Concilia omnia tam generalia quam particularia ab Apoſtolorum temporibus in hunc usque diem a ſanctiſſimis Patribus celebrata, & quorum Acta literis mandata ex vetuſtiſſimis diverſarum regionum Bibliothecis haberi potuere.* Prima editio 1538, altera longe auctior 1557. in tres Tomos diviſa Coloniæ primam lucem aſpexit.

Laurentii Surii. Tertia eſt Laurentii Surii Carthuſiani 1567. Coloniæ edita & in 4. Tomos diviſa ſub titulo: *Concilia omnia tum generalia, tum provincialia atque particularia &c.* Hanc ſequebatur nova Collectio Veneta 1585. edita longe auctior, & in quinque volumina diſtributa cum inſcriptione: Conciliorum omnium tam generalium quam provincialium volumen &c.

Novam Collectionem adornabat Paulus V. Pontifex ſub cura Jacobi Sirmondi, quæ Romæ 1608. typis fuit impreſſa conſtans 4. Voluminibus ſub titulo: *Concilia generalia Eccleſiæ Catholicæ.*

Severini Binii. Eodem ferme tempore ſimilem laborem in ſe ſuſcepit Severinus Binius Colonienſis Eccleſiæ Canonicus. Tres huic literatiſſimo Viro debemus editiones Conciliorum, quarum prima 1606. Coloniæ, altera ibidem 1618, tertia longe auctior, variis aucta notis, & in novem diſtributa Tomos 1638. Pariſiis in lucem publicam prodiit (i).

Collectio maxima. Sequitur Collectio Conciliorum maxima, quæ in 37. Tomos diſtributa 1644. Pariſiis lucem aſpexit publicam cum inſcriptione: *Conciliorum omnium Generalium & Provincialium Collectio regia.* Hæc Collectio neque ab ipſis Galliæ Doctoribus ex omni parte approbatur.

Novam

(i) Has notas potiſſimum ex Annalibus Baronii eſſe deſumptas deprehenſum fuit.

Novam Collectionem auſpicabatur Philippus Labbeus, ſed morte præventus eam ad finem uſque perducere non potuit: quapropter eam complevit Gabriel Coſſart. Conſtat 18. voluminibus cum inſcriptione: *Sacroſancta Concilia ad regiam editionem exacta, quæ nunc quarta parte prodit auctior* Pariſiis 1674. fol. Etſi in adornanda hac editione ſummo labore fuerit deſudatum, attamen Stephanus Baluzius additamenta quædam in quinque volumina diſtributa collegit, quorum tamen non niſi primum publicam lucem aſpexit ſub titulo: Nova Collectio Conciliorum Pariſiis 1688. fol. ***Philippi Labbei.*** ***Baluzius additamenta fecit.***

Celeberrimus ille Joannes Harduinus S. J. ſimile opus aggreſſus eſt, & novam Collectionem ex multiplici capite, potiſſimum ex factis, quæ Viro huic celebratiſſimo acciderunt, celeberrimam adornavit, quæ inſcribitur: *Collectio maxima Conciliorum Generalium & Provincialium, Decretalium, & Conſtitutionum ſummorum Pontificum*, 12. Vol. Pariſiis 1715. fol. ***Joannis Harduini.***

Anno 1728. Venetiis in lucem publicam prodiit Collectio Nicolai Coleti ſub titulo: *Sacroſancta Concilia ad regiam editionem exacta:* conſtat 23. voluminibus, quibus addidit *Apparatum ad Concilia* in duo volumina diſtinctum. ***Nicolai Coleti.***

Etſi hæc Collectio ſit ampliſſima, attamen Vir hoc ævo celeberrimus Joannes Dominicus Manſi quædam Anecdota in ſex Tomos diviſa ſuperaddidit, jamque illius Collectio nova longe ampliſſima actu ſub prælo ſudat, cujus quatuor Tomos ad manus habemus. Inſcribitur: *Sacrorum Conciliorum nova & ampliſſima Collectio.* Atque hæ ſunt Collectiones Conciliorum Generales magis præcipuæ & celebres, quarum notitiam habemus. ***Dominici Manſi.***

§. IV.

Agendum jam foret de *Collectionibus Conciliorum particularium*, item de *Collectionibus Canonum.* De prioribus commodius agemus cap. ſeq. ubi ex profeſſo de Conciliis particularibus ſermo erit. De poſterioribus alibi fuſius egimus. Id unicum addere placuit, dari videlicet duplicem collectionem harum collectionum, quæ in conquirendis hiſtoriis Conciliorum maximo commodo eſſe poteſt, quarum una Chriſtophori Juſtelli 1661. Pariſiis cum inſcriptione: *Bibliotheca Juris Canonici;* altera Wilhelmi Beveregii 1672. Oxforti fuit edita ſub titulo: *Pandectæ Canonum SS. Apoſtolorum & Conciliorum.* ***De Collectionibus Canonum remiſſive.***

§. V.

De Subſidiis. A fontibus originariis ad rivulos, a principiis & fundamentis notitiæ Conciliorum ad ſubſidia tranſitum facimus. Inter ſubſidia ad comparandam perfectam Conciliorum notitiam neceſſaria, vel certe apprime utilia primum locum obtinent libri illi omnes, qui de Conciliis ſeu hiſtorice ſeu dogmatice ſunt conſcripti. Libri hi ad quatuor potiſſimum claſſes reduci poſſunt. Ad primam pertinent libri illorum Scriptorum, qui Hiſtoriis Conciliorum conquirendis & illuſtrandis inſudarunt. Ad alteram illorum, qui Epitomen, vel compendium Hiſtoriæ conſcripſerunt. Ad tertiam illorum, qui ſuis commentariis, annotationibus, ſcholiis & interpretationibus Canones Conciliorum illuſtrare contenderunt. Ad quartam illorum, qui doctrinas de Concilii doceri & tradi vel etiam diſputari ſolitas e. g. de poteſtate convocandi, præſidendi, confirmandi Concilia, item authoritate & infallibilitate eorum examinarunt, atque ad ſuas doctrinas conſolidandas ſtabiliendasque argumenta ex ipſis Conciliorum hiſtoriis mutuarunt. Porro autem immenſi laboris opus foret, ſi omnes libros & Scriptores ad hanc materiam pertinentes recenſere vellemus. Ne tamen Canditatis Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ vel in ullo noſtra deſit induſtria, in compendio de his ſingulis quædam dabimus.

Ad ſubſidia pertinent libri de Conciliis Scripti.

Sunt quadruplicis generis.

Scriptores Conciliorum ſunt duplicis generis. Quantum ad primam Claſſem Scriptores Hiſtoriæ Conciliorum ſunt diverſi generis, antiquiores & noviores, quorum aliqui hiſtorias omnium Conciliorum, alii Conciliorum Generalium tantum, alii unius tantum alteriusve Concilii Generalis, iterum alii Conciliorum particularium fortaſſis Nationalium, vel provincialium ſcripſerunt. Jam de his ſingulariter, ſed breviter.

Referuntur antiquiores. Antiquiores Conciliorum Generalium ferme omnium ad ſuum usque tempus celebratorum Scriptores ſunt potiſſimum ſequentes: Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus Sæc. VIII., qui Hiſtoriam Conciliorum Generalium ſcripſit, & in ea eorum numerum, locum, & occaſiones cauſasque, ob quas ſuere celebrata deſignavit. Vid. Walchius (k). 2.dus eſt Nicephorus pariter Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ad Leonem III. litteras exaravit Synodales, & in his certiorem reddidit de ſeptem Synodis Generalibus in Eccleſia Græca receptis (l). 3.tius eſt celeberrimus ille Photius Author Schiſmatis Orientalis,

(k) Loc. cit. pag. 45.

(l) Primum opus fuit editum Auguſtæ 1595. Alterum Argentorati 1601. Idem pag. 47.

rientalis, a quo habemus relationem quamdam de ſeptem Synodis Generalibus deſumptam ex famoſa illa epiſtola, quam dedit ad Michaëlem Bulgarorum Principem. Quartus eſt Michaël Pſelli, cujus breve Scriptum de ſeptem primis Conciliis Oecumenicis legitur in Collectione Binii Tom. III. part. 1. pag. 400. 5.tus eſt Nilus de Rhodus, qui brevem & compendioſam hiſtoriam de novioribus Eccleſiæ Græcæ Synodis Sæculo XIV. congeſſit. Hanc Juſtellus ſuæ Bibliothecæ Tom. II. pag. 1155. & Harduinus ſuæ Collectioni Tom. V. pag. 1579. inſeruit. 6.tus eſt Anaſtaſius junior dictus, cujus compendium hiſtoricum de Synodis Lambecius ſuis commentariis de Biblioth. Auguſta Tom. VIII. inſeri curavit. Duo adhuc opuſcula incerti Authoris huc pertinentia recenſet Walchius, quorum unum inſcribitur: **Auszug der heiligen allgemeinen Synoden, wo, wenn, und wider wenn ein jede derſelben gehalten worden.** Alterum: **Nachricht von allen ſowohl rechtglaubigen als ketzeriſchen Kirchen-Zuſammenkünften, welche von den Zeiten der Apoſtel bis auf die achte allgemeine Verſammlung ꝛc. ſind gehalten worden.**

Noviores ſunt vel Catholici vel Proteſtantes.

Quinam Catholici?

Ad noviores Conciliorum Scriptores hiſtoricos veniamus. Hi vel ſunt Catholici, vel Proteſtantici. Catholici ſunt potiſſimum ſequentes: Antonius Baldaſarri *Iſtoria di tutti i Concili ecumenici di Oriente e di Occidente*, Venetiis 1708. & 1713. Marcus Battaglini *Iſtoria universale di tutti i Concili Generali e Particolari*, Venetiis 1688. & 1704. Joannes Cabaſſutius: *Notitia Eccleſiaſtica Hiſtoriarum Conciliorum &c.* Opus iſtud ſingulis hiſtoriarum Amatoribus, Cultoribus, & maxime incipientibus mirum in modum commendari meretur. Franciſcus Longi de Coriolano, qui ſcripſit *Chronologiam Pontificum & Conciliorum.* Joann. Dartis, qui ſuis operibus Canonicis 1650. Lutetiæ Pariſiorum impreſſis inſeruit Diſſertationem de Synodis. Hermant, cujus hiſtoria de Conciliis aliunde nota eſt. Philippus Labbe *Synopſis hiſtorica Conciliorum*, Pariſiis 1661. edita. Leander de S. Martino *Hiſtoria & Harmonia Conciliorum Francofurti*, 1618. Antonius Poſſevinus: *Index omnium Conciliorum.* Gabriel Prateoli: *Narratio hiſtorica Conciliorum omnium Eccleſiæ Chriſtianæ.* Joan. Bapt. Ricciolus: *Chronolog. Reformat.*

Quinam Proteſtantici?

Inter Proteſtantes celebriores ſunt ſequentes, quos recenſet Walchius, Guilielmus Cave, cujus *Hiſtoria litteraria* aliunde orbi litterario eſt notiſſima. David Chytræus: *Catalogus Conciliorum.* Joan. Alb. Fabricius in ſua Bibliotheca Græca Vol. XI. pag. 259. Sal. Geſner in libris III. de Conciliis Wittenb. 1607. Joach. Hildebrand: *Hi-*

ſtoria

ſtoria Conciliorum a nato Chriſto usque ad annum 1645. Joan. Laſſenius *Summa & Synop. Conciliorum omnium.* Joan. Prideaux *Synopſis Conciliorum*, Oxforti 1651. Joan. Ludov. Ruel: *Concilia illuſtrata*, Norimb. 1675. Joan. And. Schmid, *Hiſtoria Concil. & Colloquiorum*, Jenæ 1718. Nicol. Selnecker, *Catalogus brevis præcipuorum Conciliorum*, Lipſiæ 1561. His facile addere poſſemus plures Scriptores noviores tam Catholicos quam Proteſtanticos, niſi brevitati foret ſtudendum.

Scriptores, qui hiſtoriam Conciliorum exornarunt.

Huc pertinent illi etiam Scriptores, qui hiſtoriæ Conciliorum œcumenicorum ſolummodo illuſtrandæ ſuam operam locarunt, eorumque libri, quales ſunt *enarratio Oecumenicarum Synodorum* Joach. Camerarii, Baſileæ edita 1561. *Hiſtoria Conciliorum Generalium*, Edmundi Richerii, Pariſ. 1680. & Coloniæ 1683. *Hiſtoire abregeé des quaters premiers Conciles generaux*, ignoti Authoris, Pariſ. 1676. *Abrege hiſtoire de Conciles generaux*, Joan. Bouillet. *Diſcorſo dell' hiſtorie dei Concili Generali*, Mutii Panſæ, Venet. 1590. *Hiſtoire de Conciles generaux* incerti Authoris, Pariſ. 1691. Agendum hic etiam foret de Scriptoribus Synodorum particularium: Verum de his commodius agemus Cap. ſeq. ubi Synodos particulares dilucidabimus.

Scriptores unius alteriusve Synodi.

Demum breviſſime recenſendi ſunt Scriptores, qui unius alteriusve Synodi Generalis Acta vel hiſtorias ſcripſerunt, & ſunt ſequentes: Sic de Actis Concilii Nicæni tres libros collegit Gelaſius Cyzicenus, quinti Sæculi Scriptor ſæpius impreſſos. Alium Authorem veterem Actorum Synodi Nicænæ cum ſuis notis Tom. II. ſui Auctarii vulgavit Combefiſius. Sæculo XVI. anno 1572. Dillingæ Alphonſus Piſanus edidit tractatum de Concilio Nicæno, de quo videatur judicium Richerii lib. 1. de Concil. General. cap. 2. & Launoyus Part. VIII. epiſt. 1. Epheſini Concilii antiqua latina verſio ex Bibliotheca Antonii Contii Pariſiis 1574. prodiit. Biennio poſt Acta ejusdem Concilii ex ſua verſione latine edidit Theodorus Peltanus. Prodiit etiam 1581. ſub Hermanni Pacifici nomine ejusdem Concilii Epheſini Hiſtoria, Calvinianis tamen erroribus incruſtata. Quasdam etiam epiſtolas variorum Patrum ad Concilium Epheſinum ſpectantes, & notis illuſtratas edidit Chriſtianus Lupus, Lovanii 1682. Extant etiam quædam opuſcula in Synodum Chalcedonenſem ſcripta, Nicetæ Byzantini oratio pro Concilio Chalcedonenſi, Andreæ Chevilerii diſſertatio in eandem Synodum. Hiſtoriam Synodi V. generalis compoſuit, & ſuæ Hiſtoriæ Pelagianæ ſubjecit Henricus de Noris. Acta Synodi VIII. generalis ſeu Conſtantinopolitanæ IV. græce & latine cum notis quibusdam emiſit Mathæus Raderus Ingolſt. 1604. Extat inſuper Tractatus Leonis Allatii

Allatii de Synodo VIII. Photiana. Acta Concilii Piſani 1409. habiti prodierunt Pariſiis 1612. Quoniam vero opus iſtud valde mancum fuerat, & imperfectum, hiſtoriam ſupplevit Lucas Dacherius Tom. VI. Spicilégii. De eodem fuſe etiam agit Edmundus Richerius lib. II. de Concil. General. cap. II. In hoc ipſo volumine legitur quoque *Conſilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum de emendanda Eccleſia* 1538. jubente *Paulo III. conſcriptum*, a Petro Crabbe Concilio Tridentino præmiſſum, poſtea a Surio, Labbeo, Binio prætermiſſum, & inter libros prohibitos relatum. Acta Concilii Conſtantienſis 1500. Hagenoæ prodierunt. Cum vero Clerus Gallicanus 1682. ſeſſione 4. & 5. Concilii Conſtantienſis Conciliorum Generalium authoritatem Papæ Romani decretis anteferendam ſcripſiſſet, Emanuel Schelſtratenus 1683. Antwerpiæ Acta ejuſdem Concilii ad expoſitionem decretorum ſeſſionis 4, & 5. facientia ex Codicibus Manuſcriptis edidit, & diſſertatione peculiari illuſtravit. Hunc Schelſtrateni tractatum Maimburgius in tractatu hiſtorico de Eccleſ. Rom. prærogativis impugnavit. De Baſileenſi Concilio commentarios ſcripſit Æneas Sylvius. Florentinum Concilium ex verſione Abrahami Cretenſis Romæ 1577. græce prodiit. Idem Concilium Honoratius Juſtinianus ibidem 1638. publicavit: Poſtea 1660. Hagæ Comitum illius hiſtoriam a Sylveſtro Sguropulo græce ſcriptam ac latina verſione ſua magis illuſtratam edidit Robertus Creygthon. Superſunt duo celeberrimi Scriptores Hiſtoriæ Concilii Tridentini. Primus eſt famoſiſſimus ille Pietro Soave, ſeu Paulus Sarpius Venetus, cujus hiſtoria primum a Marco Antonio de Dominis Londini, poſtea ab ipſo Authore recognita, & Genevæ impreſſa, & ab illo tempore ſæpius recuſa, quin & ab aliis in alias linguas translata fuit. Aliam Concilii Trident. hiſtoriam Sarpianæ oppoſitam Italice ſcripſit Sfortia Palavicinus Romæ 1656. & 57. editam, & in duos Tomos diviſam. Illam latine reddidit Joan. Bap. Giattino, & 1670, ac iterum 1673. Antwerpiæ luci publicæ per typum communicavit. Superſunt plures libri in hiſtoriam Concilii Tridentini ſcripti, quorum plures recenſet Pfaffius loco ſæpius citato pag. 206.

Ad ſecundam Claſſem Scriptorum faciamus tranſitum, illorum videlicet, qui compendia Hiſtoriæ Conciliorum ſcripſerunt. Huc ſpectant Ludov. Bailens *Summa Conciliorum*. Patavii 1701. Burchardi *Summula Conciliorum*. Pariſ. 1718. Barthol. Carranzæ *Summa Conciliorum*. Franciſ. Long *Summa Conciliorum*. Pariſ. 1647. Caſp. Contareni *Summa Concil. magis illuſtrium*. Florent. 1553. Franciſ. Joveri *Sanctiones Eccleſiaſ. tam Synodicæ quam Pontif.* Pariſ. 1555. Laurentii *Scriptores Compendiorum.*

Brancati *Epitome Concil. omnium.* Colon. 1654. Franc. Padillæ *Index Concil. omnium.* Madrit. 1587. Joan. Paul. Paravicini *Polyanthea Sacrorum Canonum.* Pariſ. 1708. Poiſſonii Presbyteri Oratorii *Delectus Actorum Eccleſiæ Univerſ. ſive nova Summa Conciliorum.* Lyon. 1703. Simonis Starovolski *Epitome Concil.* Romæ 1653.

Scriptores Commentariorum annotationum &c. Ad tertiam Claſſem ſpectant illi, qui Commentaria, Annotationes & Interpretationes in Synodos fecerunt. Hi vel ſunt antiquiores, vel noviores. Inter antiquiores tres recenſendi veniunt: nempe Alexius Ariſtenus, Joannes Zonaras & Theodor. Balſamon, qui ampliora ſcholia in Canones Conciliorum ſcripſerunt. Ex recentioribus celebriores ſunt ſequentes: Chriſtiani Lupi *Synodorum Generalium ac Provincialium Decreta & Canones ſcholiis, notis, ac hiſtorica Actorum Diſſertatione illuſtrati.* Lovan. 1665. Ludov. Thomaſſini *Diſſert. in Concil. Generalia*, opus ſane præſtantiſſimum, & Romæ ſummo cum applauſu receptum. Van Eſpen tract. *Hiſtoricus exhibens ſcholia &c.* opus aliunde notiſſimum. Joſephi Catalani *Sacroſancta Concilia Oecumenica Prolegomenis & Commentariis illuſtrata.* Rom. 1736.

Scriptores Dogmatici. Ad quartam Claſſem devolvimur, ad quam pertinent libri, in quibus doctrinæ de Conciliis dogmatice diſcutiuntur. Atqui ſunt ferme innumeri, atque ad dilucidanda dogmata Religionis Catholicæ, ad ſalvandam authoritatem Conciliorum, ad determinanda & definienda jura Pontificum, Epiſcoporum, & Imperatorum præcipue neceſſarii & utiles. Idcirco mirum eſſe non debet, quod hujusmodi libri ſingulari ſtudio conquiſiti, & in ampliores Collectiones digeſti fuerint, quales collectiones ſunt *Tractatus Tractatuum*, *Bibliotheca Pontiſ.* Joan. Thom. Rocaberti, item *Apparatus Concil.* Editioni tam Labbeanæ quam Coletinæ affixus, in quibus plures hujusmodi libri in certo ſenſu dogmatici leguntur. Juvat jam ſingulariter hujusmodi Scriptores eorumque *Catholici.* libros recenſere. Huc ſpectant Didaci de Alabus Esquivel *liber de Conciliis* Granat. 1582. Petri de Alliaco *Tract. de Eccleſ. Concilior. General. Roman. Pontiſ. & Cardinal. authoritate.* Jacob. Almaini *Tract. de Author Eccleſ. & Conciliorum General.* Roberti Bellarmini *liber de Conciliis.* Benedicti XIV. Pontif. *liber de Synodo Diœceſ.* opus ſane notiſſimum & præſtantiſſimum. Laurent. Beyerlincki *Tractatus Synodicus* Antw. 1619. Petri Joſeph. Cantels duo opuſcula, unum *de Synodis Principalibus &c.* alterum *de ſubſcribendi & conſidendi ratione in Synodis.* Nicolai de Clemangis *diſputatio ſuper materia Concilii Generalis.* Caſpari Contareni Cardin. *de poteſtate Pontificis & Concilii* Venet. 1562. Alphonſi Guerreri *Tract. de modo & ordine Generalis Concilii*

cilii celebrandi. Neapol. 1545. Joan. Majoris *liber de Author. Concilii ſupra Pontif.* liber hic legitur in libris Gerſonii Tom. II. Joan. Anton. Maſſobrii *Tract. de Synod. Diœceſ.* Rom. 1627. Joan. Niclantii *Tractatus duo de Author. Papæ & Concil.* Item: *de Actis Concilii approbandis.* Frid. Nauſeæ *de Concil. libri quinque.* Lipſ. 1538. Mich. Thomaſii Takuquet *de ratione habendi Concilia provincialia.* Romæ 1565. Math. Ugonii *Opus de omnibus ad Concilia rite ac legitime celebranda pertinentibus.* Brixiæ 1541, Franciſ. de Zarabelles *de poteſtate convocandi Concilia.* His addi poſſent plures libri noſtro ævo conſcripti, qui paſſim manibus noſtris teruntur.

Proteſtantici. Sed nec deſunt plures libri Doctorum Proteſtanticorum, qui huic materiæ excolendæ eo majori induſtria inſudarunt, quo pluris ipſorum intereſt, ut authoritas Conciliorum, Pontificum & Epiſcoporum labefactetur. Horum Catalogum videre licet in Pfaffio (m) & Walchio (n).

Dantur alia adhuc ſubſidia. Atque hæc ſunt *ſubſidia proximiora*, quibus in ſtudio Conciliorum mirum in modum juvamur. Interim male ſibi conſulturus foret, ſi quis alios libros materiam Conciliorum ex profeſſo quidem non tractantes, nihilominus hiſtoriam Conciliorum mirum in modum illuſtrantes ſibi comparare, & ſingulari ſtudio legere negligeret. Præcipuum ergo ſtudium debet eſſe Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in ſua tota latitudine ſumptæ. *Hiſtoria Eccleſiaſtica in genere etiam requiritur.* Idcirco legendi Scriptores celebriores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quales ex Catholicis ſunt Annales Baronii, Critica Antonii Pagi, Fleury, Natalis Alexander, Graveſon, Joſephi Orſi *Iſtoria Eccleſiaſtica &c.* Ex Proteſtantibus Centuriatores Magdeburgenſes, Basnag Annales Politico-Eccleſiaſtici &c.

Quænam adhuc ſint ſubſidia. Ad ſubſidia valde utilia ſpectant innumeri libri de poteſtate Conciliorum & Pontificum, de libertatibus Gallicanis, de ortu & progreſſu Hæreſum, de poteſtate etiam politica. Demum, cum Hiſtorica Eccleſiaſtica inter prima ſubſidia ſcientiæ Conciliorum numerari mereatur, per ſe conſequitur, etiam Chronologiæ, & Geographiæ Eccleſiaſticæ ſingulari induſtria eſſe ſtudendum. Atque hæc de ſtudio Conciliorum dicta ſufficiant. Plura alibi videantur (o).

(m) Introduc. in Hiſtor. Theolog. liter. Tom. 3. lib. 4.

(n) Vorbereitungs-Grundſätzen.

(o) Diſſert. de Auth. uſu & ſtudio Jur. Eccleſ.

§. VI.

Neceſſaria ad rectam Conciliorum intelligentiam.

Plura ſunt, quæ cuivis ad rectam Conciliorum intelligentiam ſcienda ſunt, ne in aliquem ſcopulum allidat. Experientia enim quotidiana diſcimus, quod DD. paſſim ad Concilia provocare, & ex his ſuas ſententias ſtabilire ſoleant, aliquoties doctrinam ſuam veroſimiliter, & nonniſi probabiliter in Concilio contentam, & obiter diſcuſſam inſtar dogmatis inconcuſſi venditantes; aliquoties veroſimiliores PP. doctrinas ſine ſufficienti fundamento repudiantes. Quare ſequentia potiſſimum ſunt animadvertenda: & primo quidem caute diſtinguendum eſt inter *Canones* & *Decreta* Conciliorum, quæ in Capitibus continentur (p). *Canones* communiter proponunt doctrinas fidei credendas, quibus omnino aſſurgendum: *Decreta* vero nonniſi regulas morum, vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ, vel aliquoties doctrinas quaſdam inter Theologos controverſas, quas tamen Concilium ultimo ſuo judicio definire noluit (q).

Diſtinguendum inter Canones & Decreta.

Synodi non definiunt quæſtiones Theologicas controverſas.

Sciendum ſecundo, quod cum Eccleſia principaliter ſua Concilia contra Hæreticos, Sectarios, Novatores cum potiſſimum in finem convocet, ut hæreſes damnentur, dogmata fidei ſtabiliantur, collapſa Eccleſiæ diſciplina reformetur, ut plurimum ſententias inter Theologos diſputatas definire non conſueverit, quamquam aliquoties Patres a longe indigitent, quam in partem magis magiſque inclinaverint: unde argumenta inde ad ſententiam aliquam confirmandam deprompta neutiquam certitudinem fidei, ſed meram probabilitatem, nunc majorem, nunc minorem facere cenſenda ſunt (r).

Attendendum ad objectum & motivum definitionis.

Tertio ad id ſingulariter attendendum, an Patres Concilii aliquam quæſtionem principaliter & per ſe definiverint, vel non niſi obiter & acciden-

(p) Videre id eſt in Concil. Trident. ubi alia tractantur in *Capitibus*; & alia in *Canonibus.*

(q) Ita quoad Canones eadem Synodus Tridentina ubivis recepta fuit; non vero quoad præcepta morum. Dein multas hinc inde ſententias Theologicas immiſceri, aliunde res eſt apertiſſima e. g. refert Synodus VII. ordines in Eccleſia Latina receptos: anne ergo dicendum erit, eſſe de fide, quod non niſi ſeptem dentur Ordines?

(r) Nunquam fuiſſe mentem Concil. Trident. definire Controverſias ſcholaſticas iterato & ſæpius inculcat Cardinal. Pallavicini. Tales proſtant quæſtiones innumeræ, quas Theologi tractare ſolent e. g. de attritione vel contritione; de circumſtantiis notabiliter aggravantibus exponendis, vel non; de Miniſtro Sacramenti Matrimonii &c.

accidentaliter tractaverint, fortaſſis aliquam ſententiam non tanquam *objectum definitionis*, ſed tanquam *motivum* aſſumpſerint. In objecto definitionis Concilium eſt infallibile; non autem in ſuis motivis ſuadentibus: cujus ratio eſt, quod Concilia non tam innitantur argumentis extrinſecis, quam aſſiſtentiæ Spiritus S. de qua certi ſumus in rebus fidei definiendis, non autem in motivis *objectum fidei* ſuadentibus: & cum Eccleſia in definiendis ſuis doctrinis Scripturam, ac Traditionem quam diligentiſſime conſulere ſoleat, & debeat, qua ratione dici poſſit hujus conditionis habitam fuiſſe rationem, quando Patres obiter, & alio intenti hujusmodi ſententias ingerunt? Rem elucidabit exemplum valde notabile ex 7. Synodo petitum, in qua Tarraſius Conſtantinop. unus ex Concilii Patribus, dum quæſtio fuit mota, *an Angelos, & animas ſeparatas pingere liceat?* Joannis Theſſalonicenſis verba retulit aſſerentis, quod *Angeli corpora quædam aërea, levia, & ignea habeant*, cujus opinioni Synodus applaudere videbatur. An ergo dicemus, Concilium definiiſſe, Angelos habere corpora? Abſit: non enim objectum, quod inquiſitioni, & judicio ſuo ſubjiciebat Concilium, erat *corporeitas*, ſed ſolummodo aliquale motivum, in ordine ad formandum judicium circa *objectum definibile*, id eſt, *circa Angelos pingendos, vel non pingendos.* ***Elucidatur exemplo aptiſſimo.***

Ex quo jam ulterius fluit, quod illa, quæ a Concilio obiter ponuntur, neutiquam tanquam certa, & ſupremo calculo approbata cenſeri debeant, quemadmodum res ſe habet in adducto exemplo: ſecus enim manifeſtam antilogiam in Conciliis admittere debebimus: nam poſtquam Synodus VII. Angelos dixit *corporeos*, Innocentius III. in Concil. Lateran. Angelos appellat *creaturas ſpirituales*, easque a corporeis maniſeſte diſtinguit: *viſum eſt*, dicens, *& aliis Patribus Angelos eſſe plane materiæ expertes.* Jam vero expedita conciliandæ Antilogiæ eſt ratio, ſi dicamus, quod neutra ſententia ceu *objectum* definitionis, ſed non niſi obiter diſcuſſa fuerit: longe alia utrobique tractabatur quæſtio decidenda: nempe Synodus Nicæna id ſolum intendebat, *licere Angelos pingere:* in Synodo Lateran. id unice agebatur, ut hæreſis Manichæorum proſcriberetur, quorum impium hoc erat dogma, ***non omnes creaturas a DEO Authore fuiſſe creatas.***

Ex his ulterius ſequitur quarto, etiam ad rationes, quibus dogmata comprobantur, eſſe attendendum: ſed in eo eſt quæſtio prorſus difficillima, an ejusdem authoritatis & fidei ſint dogmata, & rationes, quibus illa ſuperſtruuntur? an in utroque Eccleſia ſit infallibilis? Id niſi dicamus, ipſa in definiendis dogmatibus infallibilitas periclitabitur: cum ***Attendendum ad rationes definientium.***

dogmatum fundamenta ſint rationes, quibus nutantibus quomodo impoſita moles non dehiſcat, atque labatur? Porro autem, ſi id ſuſtineamus, & dogmata, ac rationes dogmatum ad parem authoritatis gradum elevemus, in alium ſcopulum incidemus, & aliquoties Synodi cum Synodis collidentur: aliquoties vero rationibus ad explicandum comprobandumque dogma adhibitis ſua authoritas indubia, & infallibilis difficillime vindicabitur, prout vel ſolum exemplum ex Synodo VII. ſupra adductum manifeſte probat.

Sunt vel fundamentales vel ſubſidiariæ.

Quare diſtinguendum erit inter rationes *fundamentales*, & *ſubſidiarias*: *Fundamentales* vocant illas, quibus dogma principaliter innititur: Non enim unquam Eccleſia aliquod dogma fidei declarare conſuevit, quod non invicta quadam niteretur ratione, quam æque ad fidem ac ipſum dogma pertinere exiſtimamus. *Subſidiarias* dicimus illas, quas Patres ex. ratione naturali, diſciplinis naturalibus ad veritatem magis magiſque elucidandam velut in ſubſidium aſſumunt: quid enim prohibet, quo minus aliquod dogma e. g. *immortalitas animæ* rationibus etiam probabilibus illuſtretur, ornetur, ac perſuadeatur? Jam, ajunt, hiſce rationibus fere ſemper debitum eſſe exhibendum obſequium, neutiquam vero fidem ſupernaturalem, hoc ipſo quod fundamento infallibili non ſint ſuffultæ. Porro autem in eo iterum eſt difficultas, quomodo rationes *ſubſidiariæ* a *fundamentalibus* diſtinguantur? Dicunt ergo alia non eſſe utendum regula, quam illa, quæ diſcernere nos docet dogmata certiſſima ab incertis. Jam vero cum Eccleſia in diſcernendis dogmatibus certis velut ad lapidem Lydium unice reſpexerit ad ſcripturam claram, & traditionem univerſalem certam ac indubitatam, ſequitur manifeſte, quod pro rationibus fundamentalibus unice haberi poſſint, & debeant certa & indubitata monumenta ex Scriptura clara, vel traditione unanimi, certa & univerſali deprompta. Dictum eſt notanter *certa & indubitata:* hinc non omnia Scripturarum, Traditionum, ac Patrum loca, quibus Theologi utuntur ad ſtabilienda dogmata, pro fundamentalibus, iiſque certiſſimis rationibus ſunt accipienda: ſecus dogmata fidei in immenſum excreſcent. Quotusquisque enim eorum eſt, qui non in Controverſiis etiam ſcholaſticis ſubſidium vel ex Scripturis, vel Traditionibus mutuare conſuevit? Subſidiariæ ergo rationes ſunt omnes illæ, quæ ex Scripturis dubiis, Tratitionibus incertis, naturalibus rationibus, ac diſciplinis humanis, quali & quantocunque robore ſuffultis depromuntur, quæ licet dogmatibus conſtituendis non ſint fundamento incon-

Quomodo ab invicem diſcernantur.

Rationes fundamentales deſumuntur vel ex Scriptura clara vel Traditione certa.

Digitized by Google

inconcuſſo, erunt tamen ornamento, atque præſidio prorſus ſolido. (s).

Demum 5to ad rectam Conciliorum intelligentiam multum juvabit notitia Hiſtoriæ Conciliorum, ſine qua facile labimur, aut ſi lapſum ſeponamus, ſaltem aliquoties minus probe diſcurrere ſolemus. Præcavemus autem non modo lapſum ſed etiam præceps judicium, dummodo hiſtoriam rei geſtæ inſpicere dignemur. Rem unico illuſtrare exemplo liceat. Quos non motus excitavit controverſia de ſufficientia, vel inſufficientia meræ Attritionis ad juſtificandum hominem intra Sacramentum Pœnitentiæ? Credebant propugnatores meræ Attritionis ſuam ſententiam tantum non eſſe deciſam a Concilio Tridentino. At mitius ſcribere & ſentire cœperunt, poſtquam Hiſtoriam Concilii Tridentini intimius inſpexerunt (t). Profecto ſi ad nihil aliud Hiſtoria Conciliorum proficiet, inde ſaltem diſcemus prudens judicium ferre de multis quæſtionibus ſeu fidem, ſeu mores ſpectantibus, atque docebimur; quam caute, & circumſpecte Eccleſia in ſuis deciſionibus procedere ſoleat; quam ſæpe unius alteriusve Viri gravis, vel Nationis authoritas, & contradictio id effecerit, ut Patres ſuam ſententiam vel ſuſpenderent, vel mitigarent: num enim, edicat nobis aliquis, Eccleſia reſidentiam Epiſcoporum Juris eſſe Divini declarare fuit auſa? & quare non? quia nempe, quidquid egerunt Galli & Hiſpani, ut finalem deciſionem obtinerent, contradixerunt Itali. Num de intentione ad Sacramentum in Miniſtro requiſita, vel potius de intentionis retentione quidquam fuit deciſum? Certe non: & hoc non ex alia ratione, quam quod doctiſſimus Catharinus cum aliis illius defectum valori Sacramenti non obeſſe docuerit. Innumera proſtant in Concilio Trident. diſciplinæ potiſſimum capita e. g. de abrogandis commendis perpetuis, pluralitate beneficiorum, quæ intelligere non poſſumus, niſi Hiſtoriam ipſius Concilii perſpectam habeamus. Sed jam non licet in hac materia longius excurrere.

Ratio habenda ipſius Hiſtoriæ Conciliorum.

Ad quid hiſtoria ſit neceſſaria?

§. VII.

Poſtquam aliunde præter ſpem limites brevitatis egreſſi ſumus, ſupereſt nihil, quam ut controverſias tum dogmaticas tum hiſtoricas ſuper

Referuntur Controverſiæ de Conciliis motæ.

(s) Vid. Lamindus Pritanius lib. 1. cap. 20.

(t) Illam nempe, quam edidit Pallavicini, ubi fuſe enarrat quid in hac materia fuerit actum.

per Conciliis moveri conſuetas ſecundum Ordinem Sæculorum breviter recenſeamus.

De Conciliis Apoſtolicis. Sæculo I. habemus Concilia Apoſtolica, de quibus quæritur, quot ſint celebrata, an aliquod eorum verum fuerit Concilium, & an Decreta Concilii Apoſtolici Act. 15. celebrati omnes reliquas Eccleſias obligaverint? Item quid de electione Mathiæ per ſortem facta ſit ſentiendum?

Sæculo II. & III. nullum fuit Concilium Oecumenicum celebratum: *Nicæni I. & Conſtantinop. I.* Sæc. vero IV. duo celebrata legimus nempe *Nicænum I.* & *Conſtantinop. I.* De Nicæno potiſſimum ſequentia quæruntur: 1. quisnam illud convocaverit, Pontifex, an Imperator? 2. An Pontifex præſederit per ſuos Legatos? 3. quot ſint hujus Concilii Canones (u) & an Arabici ſint genuini? 4. quomodo intelligendus ſit Canon VI. in quo Epiſcopo Alexandrino ſingularia attribuuntur Jura (x)? De Synodo Conſtantinop. I. quæritur 1. quisnam illam convocaverit, & eidem præfuerit? quid juris acceperit Præſul Conſtantinopol.? an, quandonam, & an quoad omnes Canones ab Eccleſia Romana fuerit approbata? & quid de additione particulæ: *Filioque* dicendum?

Epheſini & Chalcedonenſis. Sæculo V. itidem duo numeramus Concilia generalia, *Epheſinum*, & *Chalcedonenſe*. De Epheſino quæritur, quisnam illud convocaverit, Theodoſius Imperator, vel Cœleſtinus Pontifex, quis eidem præfuerit, quid de S. Cyrilli anathematiſmis ſentiendum, & an Neſtorius jure, & legitime in illo fuerit damnatus? De Synodo Chalcedonenſi Q. quisnam illam convocaverit, & an Legati Leonis I. eidem præfuerint? utrum in ea epiſtola Leonis I. tanquam norma fidei fuerit recepta? nun Dioſcorus tanquam hæreticus condemnatus? quid de Canone 28. ſentiendum, an illum approbaverit Leo I. an viguerit ſaltem in Oriente, & quid juris attribuerit Epiſcopo Conſtantinopol. & an ſaltem reliquos Canones omnes excepto 28. Leo approbaverit? & demum quid de ſuſceptione in communionem Theodoreti, & Ibæ facta, & approbatione Scriptorum utriusque ſentiendum?

Conſtantinopol. II. Sæculo VI. celebrata eſt Synodus *Conſtantinop. II.* de qua Q. quis illam convocaverit, eidem præfuerit, & an invito Vigilio convocari potuerit? Utrum & quomodo Origenes in eo fuerit condemnatus? An legitime damnaverit, & damnare potuerit *tria famoſa Capitula*? Utrum non

(u) Communius recenſent 20. Canones.

(x) Diſputant enim DD. utrum Jura Patriarchalia, vel Metropolitica ſint aſſerta.

non tantum dogmata, ſed etiam perſonæ jam defunctæ damnari potuerint? Quid de ſenſu Anathematiſmorum hujus Synodi ſentiendum?

Sæculo VII. habita eſt Synodus Conſtantinopol. III. de hac Q. Quis illam convocaverit, & ei præſederit? An & quomodo in ea damnatus fuerit Honorius Papa? *Conſtantinpol. III.*

Sæculo VIII. occurrit Synodus Nicæna II. de qua Q. Quis convocaverit, & ei præfuerit? An & quomodo in Concilio Francofurtenſi fuerit reprobata, & quando in Eccleſia Latina ſuſcepta? *Nicæni II.*

Sæculo IX. ultima in Oriente convenit Synodus Oecumenica, nempe Conſtantinop. IV. de qua Q. Quis convocaverit, & ei præfuerit? Utrum ſtatim fuerit recepta tanquam Oecumenica? *Conſtantinopol. IV.*

Poſthac nulla fuit convocata Synodus Generalis usque ad Sæculum XII. quo prima in Occidente convenit, nempe *Lateranenſis I.* de qua Q. An & quomodo in ea compoſita ſit controverſia de Inveſtituris Eccleſiaſticis per annulum & baculum? Utrum in hac Synodo novum Indulgentiarum genus cœperit, vel an ab hoc Sæculo origo Indulgentiarum Plenariarum repetenda ſit? Sequebatur eodem Sæculo Concil. Lateran. II. de quo Q. Quid ſit ſentiendum de famoſo Canone *Si quis* in hac Synodo edito, & in cap. 24. cauſ. 17. q. 4. relato. Eodem Sæc. celebrata fuit Concil. Lateran. III. de quo quæritur, an in eo Cardinalibus jus eligendi aſſertum fuerit, & ſtabilitum? *Lateranenſis I. II. & III.*

Sæculo XIII. ſequebatur Synodus Later. IV. de qua Q. An juſte Albigenſes Hæreticos poteſtati ſæculari puniendos tradiderit? Quid de ſenſu famoſi Canonis: *Omnis utriusque* ſentiendum? Utrum Can. 3. hujus Synodi Pontifici ſaltem indirectam poteſtatem in temporalia Imperatorum & Regum dederit? Sequebatur Synodus Lugdunenſis I. de qua Q. An in ea fuerit exauthoratus Fridericus II. & juſte privatus Imperio Germaniæ? Subſequitur Synodus Lugdunenſis II. eod. Sæc. habita, de qua Q. An & quomodo Jus *Regaliæ* approbaverit, vel reprobaverit? Item quid dicendum de particula *filioque* ſymbolo Conſtantinop. addita? *Lateranenſis IV.* *Lugdunenſis I. & II.*

Sæculo XIV. habebatur Concilium Viennenſe, de quo Q. An in eo juſte & legitime ordo Templariorum fuerit extinctus? Eodem Sæ- *Viennenſe.*

Piſani. culo habitum fuit Concilium Piſanum, de quo Q. An fuerit Oecumenicum? vid. dicta pag. 218.

Conſtantienſis. Sæculo XV. celebrata fuit Synodus Conſtantienſis, de qua Q. An ſit Oecumenica etiam quoad Seſſ. 4. & 5? Quid ſentiendum de decretis authoritatem Conciliorum & Pontificum ſpectantibus? Quid ſtatuerit circa poteſtatem Pontificis ſive directam ſive indirectam in temporalia Regum? Quid de judicio & ſupplicio Joannis Hus ſentiendum? Juſte an injuſte prohibuerit Laicis uſum Calicis? An in ea *Annatæ* ſint abrogatæ? *Baſileenſis.* Sequebatur Concilium Baſileenſe, de quo Q. An fuerit œcumenicum? Quid dicendum de decreto, quo B. V. aſſeritur immunis a macula etiam originali? Quid de Annatis in hoc Concilio ſeu abrogatis ſeu introductis? Utrum Germanis favorabiliora fuiſſent decreta hujus Concilii, ſi ea Sanctione Pragmatica ad inſtar Gallorum conſolidaſſent, quam modo ſunt Concordata Germaniæ? Eod. adhuc *Florentini.* Sæculo celebrabatur Concilium Florentinum, de quo Q. An fuerit legitime convocatum, & ſit œcumenicum? Quid de *decreto unionis pro Armenis tenendum?*

Lateranenſis V. Ad initium Sæculi XVII. habita fuit Synodus Lateranenſis V. de qua Q. An ſit œcumenica? Quid dicendum de *Sanctione Pragmatica* in hac Synodo abolita, & *Concordato Gallico* in illius vicem ſubſtituto? *Tridentini.* Sequitur denique Concilium ex Generalibus ultimum, nempe Tridentinum, de quo Q. 1. An fuerit œcumenicum? An Proteſtantes legitimam excuſandi cauſam habeant, quod non comparuerint? Nimis longum foret recenſere controverſas quæſtiones, quæ ſuper diverſis hujus Concilii decretis moveri poſſunt: quare materiæ de Conciliis Generalibus finem imponimus, cum aliunde præter ſpem filum diſſertationis nimium protraxerimus: Sit ergo

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.
De Conciliis Particularibus.

§. I. *Quid ſit Concilium particulare, & quo jure introductum?* II. *Quotuplicis generis ſint Concilia particularia?* III. *Penes quem ſit poteſtas illa convocandi, præſidendi, & confirmandi?* IV. *Quinam ſint vocandi?* V. *De cauſis convocandi.* VI. *De illorum neceſſitate utilitate & authoritate, & quomodo poſſint aſſurgere in vim Concilii Generalis?* VII. *De Collectionibus & Scriptoribus Conciliorum particularium.* VIII. *De Conciliis particularibus Germaniæ.*

§. I.

Quid Synodus particularis. Non eſt, quod multum immoremur adornandæ definitioni Concilii particularis, quæ per ſe fluit ex dictis §. II. Cap. præc. Eſt igitur nihil aliud quam *Conventus Eccleſiaſticus particularis a legitimo Paſtore ad tractanda negotia Eccleſiæ convocatus.* Haud abs re ipſa etiam *Quo jure introducta?* Concilia particularia eſſe Juris Divini quibusdam dicendum videtur, haud ſecus quam Concilia Generalia: tum quod Concil. Apoſt. Act. 15. congregatum non minus, imo juxta aliquos magis ſpeciem Concilii particularis, quam generalis præſeferre; tum quod eadem fermė eſſe ratio neceſſitatis videatur: quemadmodum enim Concilia Generalia neceſſaria diximus ad tractanda negotia totius Eccleſiæ, ita & particularia neceſſaria videntur, ut conſulatur ſaluti Eccleſiarum particularium. Quod ſi jam ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam gradum promoveamus, mox in Sæc. II. plura occurrunt Concilia particularia in cauſa Quartodecimanorum circa diei Paſchalis obſervationem celebrata (a). Inde liquet, quod hæc ſua antiquitate longe antecedant Concilia Generalia, quorum primum Sæc. demum IV. celebratum legimus. Fuere autem Synodi particulares olim frequentiſſimæ, Provinciales præcipue, poſtquam Synodus Nicæna I. pro dijudicandis cauſis majoribus ſingulis annis bis haberi Synodum præcepit. Atque hæc frequentia dura- *Olim frequentes.* *Deſierunt.*

(a) Sic Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccleſ. refert Concilia Romanum, Palæſtinum, Ponticum, Corinthiacum, Lugdunenſe, aliaque Gallicana.

duravit uſque ad Sæc. VIII. quo Iſidorus Mercator ſuam collectionem edidit, in qua, cum multa authoritati Synodorum particularium haud parum præjudicioſa contineantur, ſucceſſive deſierunt in deſuetudinem; tunc potiſſimum, quando authoritas Pontificis majora ac majora ſumpſit incrementa, ac cauſæ majores ad tribunal Pontificium fuere devolutæ.

§. II.

Sunt quadruplicis generis.

Solent autem communius triplicis generis Concilia particularia aſſignari, nempe *Nationalia: Provincialia*, & *Diœceſana*, quibus aliqui addere ſolent *Patriarchalia*. Quoniam vero hæc commode referri poſſunt ad *Nationalia:* eo quod Patriarchæ etiam majores raro ad ſua Concilia convocaverint alios Epiſcopos, quam ſuæ Nationis (b), videtur hæc quarta ſpecies ſuperfluere. *Nationalia* igitur ſunt, quæ a Primate, ſive Exarcho, confluentibus integræ Nationis ac Regni Epiſcopis celebrantur. Et ex his quædam ſunt *plurium Nationum:* & propterea aliquoties nomine Generalium condecorantur, ad quæ non unius Nationis, ſed totius Occidentis aliqui ſaltem Epiſcopi confluxerunt (c). *Provincialia* ſunt, quæ a Metropolita ſuæ Provinciæ Epiſcopos convocante habentur. *Diœceſana* tandem, in quibus Epiſcopus cum Abbatibus & Clericis ſuæ Diœceſis convenire ſolet. Jam hæc Concilia pro diverſitate Nationum, ac Provinciarum iterum ſunt diverſiſſima: & hinc aliqua dicuntur Africana, alia Hiſpanica, Gallica, Italica, Germanica &c. de quibus infra.

§. III.

Jus convocandi ad quem?

Jus hæc Concilia *convocandi*, iis *præſidendi*, ea *confirmandi* eſſe penes Patriarchas, Primates, Metropolitas, & Epiſcopos pro diverſitate Conciliorum aliunde res eſt notiſſimi Juris.

§. IV.

(b) Sic enim Patriarchæ Alexandrini Epiſcopos ex Ægyptiaca, Antiocheni ex Orientali, Conſtantinopolitani ex Thracica Diœceſi; Romani ex Italia convocarunt.

(c) Qualia fuere Antiochena, aliaque Orientis, & quædam regnantibus Carolingicæ ſtirpis Regibus in Gallia.

§. IV.

Quinam vocandi?

Pariformiter res extra dubium poſita eſt, quod ad Concilia *Nationalia* omnes Metropolitæ & Epiſcopi alicujus Nationis; ad *Provincialia* ſinguli Provinciarum Epiſcopi; ad *Diœceſana* Clerici unius Diœceſeos ſint vocandi. Multa prorſus ſingularia de iis, qui Synodo Diœceſanæ intereſſe debent, habet celeberrimus Author libri de Synodo Diœceſ. inſcripti (d), ubi fuſe examinat, an & quando Abbates ſive exempti, ſive non exempti, Priores & Guardiani Conventuum, Vicarii Generales ſeu Officiales, Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, Perſonæ in dignitate, Perſonatu, & officio conſtitutæ, Parochi, Beneficiati ſimplices, & cæteri Clerici Diœceſeos vocandi ſint, & intereſſe debeant. Poſtea tractat de Officialibus ſeu Miniſtris Synodi e. g. de Officialibus, ut vocat, primi generis, de Judicibus querelarum, & excuſationum, de teſtibus Synodalibus, Punctatoribus, Judicibus Synodalibus, Conſervatoribus, ac Synodalibus Examinatoribus (e).

§. V.

Cauſæ convocandi ſunt duæ.

Configunt hæreſes.

Cauſæ convocandi Synodos particulares ferme ſunt eædem, ac illæ, quæ Synodum Generalem convocari præcipiunt, potiſſimum cauſa *hæreſis*, & *diſciplinæ*. Hinc leginius, quod ferme omnes hæreſes primorum trium Sæculorum, imo non paucæ etiam Sæc. IV. & ſequentium, quibus jam Concilia Generalia celebrari cœperunt, authoritate Synodorum particularium fuerint confixæ: licet negari nequeat, quod multæ jam inde ab incunabulis Eccleſiæ etiam ſine Synodis ſolo Epiſcoporum conſenſu confectæ fuerint, obtritæque (f). Quem latent Concilia Carthaginenſia in cauſa Rebaptizantium, Antiochena contra Paulum Samoſatenum Sæc. III. celebrata? Vix Arius

(d) De Synod. Diœceſ. lib. 3. cap. 1. & ſeq.

(e) Vid. cit. Author lib. 5. cap. 1. & ſeq.

(f) Ita profecto hæreſes Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci, Tatiani, & plures aliæ absque Conciliorum, etiam Provincialium ope ſunt extinctæ, uti ex Euſebio fuſe demonſtrat Thomaſſinus diſſert. 4. in Synod. Gangrenſem.

Arius caput ſuum extulerat, cum ab Alexandro Alexandrino Epiſcopo primum a communione fidelium ejicitur, & poſtea in Synodo Alexandrina damnatur. Pelagianos in Synodis tantum particularibus Carthaginenſi, & Milevitana fuiſſe damnatos res aliunde eſt notiſſima. Quoniam vero iis temporibus Synodi Provinciales & Diœceſanæ fuere frequentiſſimæ: imo ex præſcripto Concil. Nicæni (g) bis ſingulis annis convocari debuerunt, ut in iis cauſæ graviores diſcuterentur, ſine dubio ad ſolam cauſam *natæ hæreſis*, vel *corruptæ diſciplinæ iterum reſtaurandæ* convocatio Conciliorum particularium reduci nequit. Tractabantur igitur in his Conciliis negotia non univerſalis Eccleſiæ, ſed Eccleſiarum particularium: licet non raro cauſa primitus ad unam alteramve Eccleſiam particularem ſpectans evaſerit univerſalis. Quis autem modus procedendi, quæ cæremoniæ, ritusque fuerint obſervati, nimis longum eſſet dicere. De *gerendis* in Synodo Diœceſana fuſe agit cit. Author libri de Synod. Diœceſana (h).

§. VI.

De neceſſitate, utilitate & authoritate Synodorum particularium.

Jam ad quæſtionem principalem, quæ de Synodis particularibus moveri poteſt, & ſolet, accingimur, inquiſituri, quæ ſit illarum utilitas, neceſſitas, & authoritas. De utilitate eo minus dubitari poteſt, quo certius eſt, quod, etſi detur, enaſcentes hæreſes ſine ulla Synodo facile poſſe ſupprimi, quemadmodum id factum eſſe primum ante diximus, nihilominus accedente authoritate plurium Eccleſiarum majori vi concutiantur, atque e ſuis fundamentis quaſi evellantur, ſuum caput erigere tanto minus auſuræ, quanto majorem vim ſuo capiti incumbentem perſentiſcunt; haud ſecus, ac hæreſes univerſales per plures

(g) Can. 5. cujus juſſu Epiſcopi jubebantur congregari ante jejunium Quadrageſimæ atque Autumno. Synodus Antiochena vult fieri Concilium ſtatim poſt Paſcha, & in Autumno. Id ipſum ſervari juſſit Synod. Chalced. ſed quiniſexta in Trullo propter barbarorum incurſiones cenſuit hæc Concilia ſaltem ſemel in anno eſſe celebranda. Ex præſcripto vero Concil. Trident. quolibet ſaltem triennio convocanda foret Synodus ab Archi-Epiſcopo: verum hunc Canonem non obſervari ex praxi conſtat. Vid. Joan. Douiat lib. 2. cap. 1.

(h) Lib. 5. cap. 1. & ſeq.

Digitized by Google

pluꝛes Eccleſias graſſantes, quando ſemel ingenti pondere authoritatis Eccleſiæ Univerſalis fuerunt obrutæ. Num vero Concilia particularia Eccleſiæ ſint ſimpliciter neceſſaria, neque affirmare, neque negare audemus. *Simplex neceſſitas difficulter demonſtratur.*

Pro neceſſitate militat primo, quod videatur Chriſtus ipſe ſuam aſſiſtentiam, atque infallibilitatem in decernendo alligaſſe præcipue Conciliis non modo Generalibus, ſed etiam Particularibus, dum dixit: *Ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* (i). Secundo: hoc ipſum Eccleſiæ praxis usque nunc commonſtravit, videlicet Spiritum S. Conciliis etiam Particularibus aſſiſtere: utpote quorum ope plures hæreſes, ut patet ex ſupra dictis, damnationem ſubierunt, ac ultimato occubuerunt. Tertio: fingamus caſum non omnino impoſſibilem: quid enim ſi hæreſis aliqua graſſaretur per plures Provincias, & integram Nationem, quid ſi neque Primas, neque Metropolita, neque Epiſcopus ullus polleret authoritate ad hæreticos in ſuo officio continendos neceſſaria? quid ſi ipſa etiam Natio Pontificis poteſtatem parvi penderet, infallibilitatem negaret, & Vaticana fulmina velut bruta & inania rideret (k), Concilium vero generale convocare ex quocunque capite foret impoſſibile? Qua ratione in hoc caſu neceſſitatibus conſulendum foret, niſi per Concilium Nationale, cujus authoritatem utpote communi conſenſu totius Nationis fulſultam ſuſpicere deberent Hæretici, niſi extrema quæque experiri vellent. *Neceſſe habuimus*, inquit S. Cyprianus (l) *convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium.* *Videntur neceſſaria.*

Verum obſtat, quod textus ille non poſſit ſimpliciter accipi: ſecus omnibus conventibus, ſi modo duo vel tres fuerint congregati, infallibilitatem in definiendis regulis fidei adſcribere neceſſum habebimus: & hinc usque nunc non audebamus, illum textum unquam alibi pro demonſtranda Conciliorum authoritate ſimpliciter adducere. Accedit, quod plures hæreſes ſupra enumeratæ ſine ullo Concilio ex eo tantum, quod quidam Epiſcopi ſuam autoritatem oppoſuerint, ſint oppreſſæ. *Contraria afferuntur.*

(i) Matth. 18.

(k) Nunquid ipſe Cyprianus cum Africanis minas Stephani Pontificis parum curaſſe legitur? quid non faciunt hodie Janſeniſtæ, Bajani &c.?

(l) In epiſt. ad Stephan.

preſſæ (m). Et quam difficile eſt ſimplicem neceſſitatem adſcribere Conciliis, de quorum infallibilitate non ſumus certi? Hinc jam ſubintrat quæſtio, an Concilia Particularia ſint authoritatis infallibilis?

Non ſunt infallibiles. Veremur profecto id aſſerere: cum Chriſtus Dominus ſuæ *Eccleſiæ* tantum promiſerit infallibilem aſſiſtentiam Spiritus S. Porro autem Synodus particularis non eſt repræſentativa totius Eccleſiæ, & hoc ipſo incertæ authoritatis. Neque ullibi ſeu Primati, ſeu Metropolitæ, ſeu Epiſcopo aſſiſtentiam Spiritus S. infallibiliter adſuturam promiſſam legimus. Et nunquid errarunt Concilia Particularia Africana in cauſa Rebaptizantium agente potiſſimum S. Cypriano celebrata? *Sunt tamen maximæ authoritatis.* Interim maximæ authoritatis illa eſſe nemo negaverit, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam vel eminus aſpexit, vel a longe ſalutavit. An non hactenus Synodi Particulares vix non omnes, quæ a Sæc. II. uſque nunc celebratæ fuerunt, iis ſolis exceptis, quæ Firmiliano, & Cypriano cauſam Rebaptizantium approbarunt, & hoc quidem ex ratione prorſus ſingulari, quod crederent controverſiam magis ad diſciplinam Eccleſiæ, quam ipſam fidem pertinere, ab omni errore fuere immunes? An non plures hæreſes per ſola Concilia Particularia confixas legimus (n)? Ex eo ſingulariter authoritas Conciliorum Particularium elucet, quod eorum aliqua ad authoritatem Concilii Univerſalis ſuperveniente conſenſu, approbatione ſaltem tacita, ac receptione totius Eccleſiæ aſſurrexerint, quæ inter vel ſolam Synodum Carthaginenſem, & Milevitanam adverſus Pelagianos celebratas adduxiſſe ſufficiat. Neque enim Pelagiani, etſi pluries ac iterato ad Concilium Generale more aliorum hæreticorum provocaverint, unquam auditi fuerunt, neque in ullo Concilio Generali damnati fuiſſe leguntur.

An a Pontifice confirmandæ, ut ſint infallibiles? Verum in eo iterum nova conſurgit difficultas, an Particulares Synodi a Romano Pontifice confirmari debeant, & *tunc demum*, ſicuti Thomaſſinus loquitur (o), *in ſummæ authoritatis arcem invadant?* Vel an ſola pacifica acceptatio Eccleſiæ ſupremæ authoritatis robur ipſis ſuperaddat? Pro neceſſitate & authoritate ſummæ Sedis mirum in modum

(m) Quales ſunt Ebionitarum, Marcionis, aliæque ſupra recenſitæ.

(n) Sicuti Pelagianorum &c.

(o) Differt. IX. in Concil. Carthag.

dum perorat Thomaſſinus loc. cit. atque ad ſuam ſententiam tuendam principaliter ad præfatas Synodos, atque authoritatem Auguſtini, ac Proſperi provocat, qui tunc demum Pelagianis ultimam cladem fuiſſe inflictam aſſerunt, poſtquam utriusque Synodi Decreta Romam miſſa a Pontifice ultimam retulere approbationem. Notum enim eſt illud S. Auguſtini: *Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, utinam etiam finiretur error.* Et iterum: *Quid adhuc quæris examen, quod apud Apoſtolicam Sedem jam factum eſt? Quod denique jam factum eſt in Epiſcopali judicio Palæſtino: Ergo hæreſis non adhuc examinanda ab Epiſcopis, ſed poteſtatibus coërcenda eſt Chriſtianis.* Cum Auguſtino ſentit S. Proſper, dum dicit: *Peſtem ſubeuntem prima recidit Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundo* (p). Dicamus paucis, ex concentratione Eccleſiæ Univerſalis, ac Pontificis, ex accumulatione acceptationis Univerſalis Eccleſiæ, ac confirmationis Pontificiæ definitionibus Synodorum particularium ultimum ſupremæ authoritatis pondus accedere: nam, ut loquitur cit. Author, a Romano Pontifice & ab Eccleſia univerſali authorizari, unum idemque eatenus eſt, quatenus Capitis, & Corporis ſumma conſenſio eſt, & indivulſa conglutinatio.

§. VII.

Jam in cap. præcedenti dictum fuit, quod ad comparandam, perficiendamque notitiam Conciliorum collectiones eorum non generales duntaxat, ſed etiam particulares plurimum conferant, & ſtudentibus lucem affundant plurimam. Quapropter operæ pretium eſſe duximus Synodorum etiam particularium collectiones, earumque Scriptores præcipuos recenſere, ut ex his Synodi Generales magis magisque illuſtrentur, atque honoribus Regnorum & provinciarum, in quibus fuere celebratæ Synodi particulares, & ipſis etiam honoribus Scriptorum, nec non utilitati ſtudentium meliorem in modum conſulatur. Profecto gloriantur Nationes variæ de Synodis apud ſe celebratis, & inde neſcio quid honoris & gloriæ emendicant. *Collectiones Synodorum particularium.*

Auſpicemur a Collectionibus Synodorum particularium. Occurrit primo Collectio Conciliorum Hiſpaniæ a Garſia Loaiſa Madriti 1563. ador- *Collectiones Synodorum Hiſpaniæ.*

(p) Vid. cit. Thomaſſinus.

adornata, quam longe auctiorem Cardinalis Joſephus Saenz de Aquirre ſub titulo: *Collectio maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ & novi orbis* 1693. Romæ in quatuor voluminibus edidit.

Galliæ. Antiqua Galliæ Concilia edendi curam in ſe ſuſcepit Petrus Pithæus, & poſt eum Nicolaus Faber. Verum, cum neuter, quod animis conceperat, præſtitiſſet, tandem Jacobus Sirmondus 1629. ea tribus tomis edidit, notisque illuſtravit. Supplementum Conciliorum Galliæ a Sirmondo editorum publici juris fecit Pariſiis 1666. Petrus de Lande. Noviſſima Galliæ Concilia a tempore Concilii Tridentini Ludovicus Odeſpun collegit, & 1646. edidit Pariſiis. Concilia quædam Galliæ Narbonenſis in unum volumen collegit, notis illuſtravit, & Pariſiis 1668. vulgavit Stephanus Baluzius. Concilia Provinciæ Rothomagenſis debemus Franciſco Pomeraye, Antonio Gedini, Wilhelmo Beſin; Provinciæ Turonenſis Joanni Maans; Aquitanica Joanni Aymons.

Britanniæ. Concilia, leges, Canones & Conſtitutiones ad rem Eccleſiaſticam Britanniæ ſpectantes magno ſtudio collegit Henricus Spelmannus & Londini primum Tomum 1639. ſecundum 1664. vulgavit. Prodiere etiam ibidem 1737. Authore David Wilkins Concilia magnæ Britaniæ & Hiberniæ in tres Tomos collecta.

Hungariæ. Paucis abhinc annis 1742. curante P. Carolo Peterſey Viennæ lucem pubicam aſpexerunt *Sacra Concilia Eccleſiæ Romano Catholicæ in Regno Hungariæ* celebrata.

Italiæ. Ad Collectiones Synodorum Italiæ pertinent opera S. Caroli Borromæi, in quibus leguntur Synodi ab ipſo celebratæ. Item Synodicon Beneventanenſis Eccleſiæ Vincentii Mar. Urſini, poſtea Romani Pontificis ſub nomine Benedicti XIII.

Germaniæ. Tandem propediem in lucem prodit Collectio Synodorum Germaniæ: id quod dudum ardentiſſimis votis optarunt omnes Germaniæ Doctores & cultores, procurante Viro Clariſſimo P. Joſepho Hartzheim S. J. cujus jam tres Tomos ad manum habemus. De hac infra §. ſeq. iterum fiet mentio.

Brevi-

Scriptores Hiſtoriarum.

Breviter de iis agamus, qui Hiſtorias Synodorum particularium ſcripſerunt. Synodorum Hiſpaniæ acta ſcripſere Cardin. de Aquirre *notitia* Conciliorum Hiſpaniæ Salamançæ 1686. Antonius Auguſtini *Dialogus de Conciliis Hiſpaniæ non editis*. Joan. Bap. Berez. *Epiſtola de Conciliis*: Ejusdem Chronologia Conciliorum Hiſpaniæ. Hiſtoriam Synodorum Galliæ in acceptis referimus Petro Frizons: *Epitome Conciliorum* Galliæ Pariſ. 1638. & Philippo Labbeo: Conciliorum Synodorumque Galliæ brevis & adcurata hiſtoria ibid. 1646. Synodorum Angliæ hiſtoriam valde tamen imperfectam legimus in Biblioth. Anglorum Theologica Martini Kempe. Quoad Synodos noſtræ Germaniæ egregie de re Eccleſiaſtica meriti ſunt Joan. Chriſt. Lünigs Entwurf deren in Teutſchland von Anfang des Chriſtenthums gehaltenen General-Provinzial- und Particular-Concilien. Legitur ſyſtema iſtud in Spicilegio Eccleſiaſtico des teutſchen Reichs-Archivs. Item Mathæus Pfaffius, de quo §. ſeq. Joan. Georg. Eſtor in den Anmerkungen über das Staats- und Kirchen-Recht. Joan. Andreas Schmid Diſſert. *de Hiſtoria Conciliorum Moguntinorum*. Helmſt. 1713. & de Concil. Mogunt. quæ legitur in Script. Mogunt. Georg. Chriſt. Joannis Vol. III. pag. 281. & noviſſime ſupra citatus Hartzheim. Huc pertinere videntur Scriptores, qui *Colloquia* Theologorum, quæ inter diverſas Sectas Sæculo XVI. & XVII. fuere valde frequentia, collegerunt. Tales ſunt Joan. Michael Heinecius *Schediasma de Colloquiis Religioſis*. Hallæ 1719. Joan. Franc. Buddeus Diſſert. *de Colloquiis Charitativis Sæculo XVI. per Germaniam inſtitutis*. In Miſcell. Sacr. part. III.

§. VIII.

De Synodis Germaniæ.

Amor, exiſtimatio, honor, & Gloria Patriæ, ſeu Germaniæ ſtimulos addidit, ut in illius honorem quædam ſingularia addamus, & de Synodis Germaniæ pauca dicamus. Profecto ſi quæ eſt natio, quæ ſingularibus gaudet juribus, & prærogativis, ea eſt inclyta Natio Germaniæ, ut cum cœteris omnibus nationibus de primatu jure optimo dimicare, imo illum ſine injuria ſibi vindicare poſſit (q). Oc-

(q) E. g. Epiſcopi Germaniæ ſunt Principes & Electores Imperii: Capitula Cathedralia habent jus liberum ſibi eligendi Epiſcopos, qua prærogativa nulla alia Natio quibuscunque prærogativis inſignis gloriari poteſt.

caſionem ulteriorem præbuit Vir apud Proteſtantes magni nominis Mathæus Pfaffius, Theologus Tubingenſis, qui in epiſtola quadam omnibus & ſingulis lecturis inſcripta (r) vehementiſſime dolet, quod nemo hactenus inter cives noſtros extiterit, qui Germanicæ Eccleſiæ Acta publica, Concilia præcipue in corpus quoddam conflare, & juxta temporum ordinem diſpoſita luci exhibere publicæ ſuſtinuerit: cum tamen Viri præſtantiſſimi aliarum Nationum nihil antiquius habuerint, quam ut res Patriæ ſuæ compilationibus ſuis magis magisque exornarent. Inde eſt, quod ferme omnium aliarum Eccleſiarum acta præter acta Eccleſiæ Germanicæ in ordinem digeſta lucem publicam ſubierint. Etſi enim, quæ huc pertinent, paſſim a ſummis, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcriptis excoluere, Viris exhibeantur, nulla tamen hactenus collectio in unum facta fuit a quoquam, ubi, quæ in ampliſſimis voluminibus, iisque ſubinde rarioribus miris modis diſperſa exſtant, quæ & non niſi iis, qui hiſtoriam literariam ad unquem norunt, ſingula cognita eſſe poſſunt, jam coadunata, atque congregata reperirentur. Hinc Vir ille eruditus in calce ſuæ epiſtolæ catalogum Actorum Eccleſiæ Germanicæ ſecundum temporum ſeriem congeſtum exhibet, in quo præcipue Concilia Germanica ſecundum ordinem Sæculorum recenſet, additis hinc inde breviſſimis animadverſionibus, quid ſibi de hoc vel illo Concilio videatur. Nobis anguſtiæ pagellarum & temporum prohibent Catalogum Conciliorum inde decerpere: quare ad alium Authorem ſatis celebrem & Catholicum, nempe Joannem Douiat (s) appellamus, qui, poſtquam Concilia particularia ferme omnium Nationum recenſuit, demum ad Concilia Germanica recenſenda ſeſe accingit: ſed non niſi ea enumerat, quæ a Sæc. VIII. ad Sæc. usque XII. fuere celebrata: cujus rationem dat ſequentem, quod cum ante Carolingicos Chriſtiana Religio non niſi tenues admodum in Transrhenanis Regionibus radices egerit, Synodorum Germanicarum exigua habeatur ratio: nam quæ antea in Cisrhenana Germania, quæ Galliæ pars & ſub Romanis, & ſub Francis hactenus fuerat, celebratæ, haud magno erant numero: eæ, ſive ſitum, ſive ſedem dominantium ſpectes, potius ad Galliam pertinent, & Gallicis conven-

(r) Epiſtolam illam legere eſt ad calcem libri, quem Pfaffius inſcripſit: *Veritas Eccleſiæ Evangelicæ.*

(s) In Prænot. Canon. Lib. 2. Cap. XVII.

conventibus connumerantur: nec facile a Gallicis Conciliis ſejuncta, aut diſtincta Concilia Germanica legimus, quam ubi diviſo inter Ludovici Pii Filios Francorum imperio, eorum unus Ludovicus Germanici cognomine diſtingui a Fratribus cœpit: idque ſecuti ſunt Succeſſores. Profecto animadverſio iſta haud abs re eſt: ſed quidquid de hoc ſit, paucis referemus Concilia Germanica ab utroque Authore recenſita. Pfaffius ſuam Epocham incipit a Sæc. IV. Douiat a Sæc. VIII. Prior ille usque ad Concil. Germanicum de an. 742. a quo poſterior ordinem Conciliorum auſpicatur, numerat Concilia ſequentia: Concilium *Agrippinenſe* circa medium Sæc. IV. celebratum; *Trevirenſe* de an. 386. *Veſontinum*, quod alii volunt *Viennenſe* de an. 544. *Metenſe* de an. 590. *Trajectenſe* de an. 697. *Germanicum I.* ſub Bonifacio de an. 740. alterum *Germanicum* (& ab hoc ſuum ordinem etiam Douiat orditur) de an. 742. Ab hoc tempore Douiat pauca recenſet Concilia Germanica; Pfaffius vero quam plurima. Putamus, quod ille prior non niſi celebriora & ferme totius Nationis; poſterior etiam minus celebria, & magis provincialia, vel omnino Diœceſana recenſere voluerit. Sufficiat famoſiora ex cit. Authore Catholico propter anguſtias pagellarum enumeraſſe: quæ ſunt *Moguntinum* ſub Stephano V. alias VI. Pontifice de Eccleſiaſtica diſciplina reſtituenda occaſione inaugurationis Arnulphi Germaniæ Regis an. 888. habitum. *Moguntinum* alterum tempore Henrici III. an. 1049. ſub Leone IX. confluentibus quinque Archi-Epiſcopis, eorumque Suffraganeis Epiſcopis. *Confluentinum* an. 860. coram Hincmaro Remenſi, aliiſque novem Præſulibus, & 33. ex utroque Regno Trans, & Cisrhenano Comitibus convenientibus. *Colonienſe*, ſive *Agrippinum* an. 887. ex conſenſu Caroli Craſſi Imperatoris a Williberto Archiepiſcopo, & Epiſcopis quatuor provincialibus; *Triburienſe* anno 895. tempore Formoſi Papæ, & Arnulphi Imperatoris; *Altheimenſe*, alias Triburienſe II. tempore Joannis X. Pontificis, & Conradi Salici; *Erphordienſe* tempore Henrici I. Aucupis, & Joannis XI. R. P. intervenientibus Hildeberto Moguntino, & Rutgero Trevirenſi Archiepiſcopis, & aliis 11. Epiſcopis; *Inglheimenſe* an. 948. in præſentia Marini Epiſcopi Legati Pontificii, Ottonis I. Imperat. Ludovici Transmarini Francorum Regis, Archi-Epiſcoporum Colonienſis, Moguntini, Trevirenſis, Remenſis, & 26. Epiſcoporum; ac demum *Salegunſtadienſe* Salegunſtadii ad Mœnum in Diœceſi Moguntina an. 1022. ſub regimine Benedicti VIII. Pontif. & Henrici II. Imperat. ab Aribone Moguntino Archi-Epiſcopo, & 5. Epiſcopis Comprovinciali-

bus celebratum. Alia Concilia quamplurima minus famoſa & a Pfaſſio ſuo Catalogo intexta non moramur. Sufficiat iſta eum præcipue in finem adduxiſſe, ut honoribus Nationis Germanicæ conſuleremus: quippe quæ ſemper, ſi quæ alia Natio pro bono fidei, Religionis Catholicæ, Eccleſiæ, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ mirum in modum zelavit, usque dum ultimis Sæculis per Novatores factum fuerit *Regnum in ſe diviſum.*

Sed jam nobis gratulamur de collectione Conciliorum Germaniæ ampliori, quam magna ex parte congeſſit Vir celeberrimus Joan. Frideric. Schannat, nunc ſumptibus Celſiſſimi Principis Joannis Mauritii Archi-Epiſcopi Pragenſis continuat ſupra Laudatus Clariſſimus P. Joſephus Hartzheim S. J. cujus jam tres Tomi lucem publicam aſpexerunt. Interim immortales gratias referimus ſupremo Numini: eo quod ſua aſſiſtrice gratia conatibus noſtris adfuerit in finem usque, quos ex alio fine non aſſumpſimus, quam

ut

In omnibus glorificetur DEUS.

QUÆSTIO

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

DE SUMMO PONTIFICE, ET SS. PATRIBUS.

Tres hactenus aperuimus *Fontes originarios* Juris Eccleſiaſtici. Supereſt, ut quartum & quintum aperiamus, & authoritatem *Pontificum*, ac SS. Patrum explicemus. Eſt hæc materia delicatiſſima prorſus, difficillima, ſuo modo periculoſa; & hoc ipſo ſumma circumſpectione & cautela tractanda, ne in ſcopulum quemcunque offendamus. In eo potiſſimum deſudavit labor noſter, ut via incederemus media. Utrum hunc ſcopum ſemper attingamus, judicet æquus rerum arbiter. Abſit, ut Pontifici, quem humillimo reſpectu reveremur, ſua jura certa in dubium vocemus. Dubia hinc inde pro & contra propoſuimus ſatius ducentes ſuſpendere, quam præcipitare ſententiam. Superi aſſiſtant cœptis noſtris, eaque optato fine coronent.

INDEX

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.
De nomine, definitione & titulis honorificis Pontificis, origine Pontificatus & præcipue Primatus Romani.

CAPUT II.
De authoritate & poteſtate Pontificis qua Primatis & Legislatoris.

CAPUT III.
De Poteſtate Pontificis qua Judicis & Doctoris.

CAPUT IV.
De erroribus Pontificum.

CAPUT V.
De notitia & ſtudio Hiſtoriæ Romanorum Pontificum.

CAPUT VI.
De SS. Patribus, eorumque authoritate.

CAPUT I.

De nomine definitione & titulis honorificis Pontificis, origine Pontificatus, & præcipue Primatus Romani.

§. I. *Quid ſit ſummus Pontifex?* II. *Quænam nomina illi fuerint quondam, & hodie ſint propria?* III. *Ex quo jure deſcendat Pontificatus Romanus?* IV. *An ex Primatu recte inferatur regimen Monarchicum?* V. *An illius electio ſit juris Divini, & quid habeat ſpeciale?* VI. *An ſemper in Eccleſia fuerit legitima ſucceſſio Pontificum?* VII. *Recenſentur Pontifices, qui hactenus rexerunt Eccleſiam.* VIII. *Qua certitudine certum ſit hunc numero Pontificem eſſe legitimum Succeſſorem Petri?*

§. I.

Difficile eſt dare genuinam definitionem Pontificis, & quare?

Res oppido difficilis, ac periculi plena eſt talem adornare definitionem Pontificis, quam Doctores Catholici omnes (Dogmata & Convitia Acatholicorum de Pontifice agentium non moramur) recipere non dedignabuntur. Quam enim facile eſt in ſcopulum quemdam impingere: cum ipſi Doctores noſtri Catholici, dum agunt de Pontifice, in varias diſtrahantur opiniones, atque pro diverſitate geniorum ac ingeniorum, nationum, ac præjudiciorum non pauci illorum Pontificibus varia jura, prærogativas, ac privilegia adſtruant, quæ alii vel impugnant, vel in dubium vocant. Liberaliores in extollendis, diſpenſandiſque Juribus Pontificiis ſunt Itali, & horum ſequaces Germani noſtri; parciores Doctores Gallicani pro ſuis libertatibus tanquam pro aris & focis dimicantes. Omnes hi ſuis aguntur præjudiciis ex quocunque fonte promanantibus. Duo tamen, ſaltem apud Catholicos, nobis certa eſſe videntur, nempe quod Pontifex ſit *Primas* in Eccleſia, & legitimus (abſtrahendo ab hoc vel illo numero Pontifice (a) *Succeſſor Petri.* Cætera ferme omnia, quæ de ipſo diſputari

Duo ſunt certa de Pontifice.

(a) Nondum enim apud omnes in confeſſo eſt, quod ſit de fide, hunc vel illum numero Pontificem eſſe legitimum Vicarium Chriſti, & Succeſſorem Petri, ut infra dicemus.

ſputari ſolent e.g. de infallibilitate &c. adhucdum libere diſputantur: quamquam non deſint, quibus ſuæ ſententiæ ac opiniones ex præconceptis præjudiciis videntur eſſe dogmata fidei. Verum indulgeamus non nihil illorum præjudiciis, transmittendo, quod ipſis ſuæ ſententiæ ſint & videantur eſſe dogmata fidei, ſaltem dicere non audebunt, quod ſint dogmata Catholica univerſalia: ſecus quamplurimos DD. Catholicos, Gallos ferme omnes, Germanos non paucos, & quosdam etiam Italos hæreſeos arguere debebunt.

Definitio Pontificis. Talem ergo ſtatuamus, neceſſe eſt, definitionem Pontificis, quæ non niſi ea continet, quæ Catholicis omnibus debent eſſe certa. Dicendum igitur, quod Pontifex ſit *Supremum in Hierarchia Eccleſiaſtica Caput ad informandam regendamque Eccleſiam juxta formam a Chriſto Domino præſcriptam divinitus inſtitutum.* Putamus in hac definitione nihil eſſe expreſſum, quod quemquam offendere, vel immaturam aliorum criſin provocare poſſet: non enim aliud præter Inſtitutionem Divinam, Primatum, & poteſtatem Pontificiam generalem, certam, indubiam, & inconcuſſam expreſſimus, talibus cæteroquin terminis utentes, quæ ſiniſtris ſuſpicionibus viam præcluderent, ne cuiquam in has vel illas ſententias nos magis propendere videamur.

§. II.

Honorum tituli Pontifici & Epiſcopis olim proprii. Antiquitatem ſi conſulamus, ferme omnes honorum tituli, quibus hodie Romani inſigniuntur Pontifices, communes fuere ſingulis Epiſcopis (b), donec aliqui eorum uſu & conſuetudine ſolis Romanis Epiſcopis privative inhæſerint; quidam vero alii antiquitati ignoti ab illis aſſumpti fuerint. Dicebantur primitus Epiſcopi omnes *Apoſtoli*, eo nempe tempore, quo nomen Epiſcopi commune fuit Clericis primi & ſecundi generis (c). Vocabantur poſtea *Apoſtolorum Succeſſores* (d), & ideo quælibet ſedes Epiſcopalis dicebatur *Apoſtolica* (e). Hiſce acceſſerunt alia nomina prorſus honorifica: dicebantur enim *Principes Sacerdotum, Summi Sacerdotes &c.* (f). *Hodierni Pontificum tituli.* Verum miſſis his illos honorum titulos inquiramus, quibus hodie gloriantur Romani Pon-

(b) Vid. Thomaſſinus de Diſcip. Eccleſ. Tom. 1. part. 1. cap. 4. Bingham, de Orig. Eccleſ. lib. 2. cap. 2. Clar. P. Zech in Præcog. Jur. Can.

(c) Idem Bingham loc. cit. §. 1. ubi multos in hanc rem enumerat Scriptores Eccleſiæ.

(d) Vid. loc. cit. §. II. (e) Ibid. §. III.

(f) Probant id Patres apud cit. Auth. loc. cit.

Pontifices, quales ſunt: *Papa*, *Pater Patrum*, *Epiſcopus Epiſcoporum Summus vel Maximus Pontifex*, *Vicarius Chriſti*, *Patriarcha Oecumenicus*, *Servus Servorum Dei*, *Succeſſor Petri:* videamusque, an non etiam iſti olim Epiſcopis fuerint communes. Nomen *Papæ*, quod idem eſt, ac *Pater*, quondam fuiſſe nomen commune Epiſcoporum, usque dum ineunte Sæc. VI. ad ſolum Romanum Pontificem fuerit reſtrictum, nemo facile negaverit (g). Cætera quoque nomina *Patris Patrum*, *Epiſcopi Epiſcoporum*, *Pontificis Maximi*, *Vicarii Chriſti* ſi non ſingulis, certe quibusdam Epiſcopis vel ob ſingularia ſua merita, vel ob ſedis ſuæ Epiſcopalis eminentiam fuiſſe attributa haud ſecus innegabile eſſe videtur. *Pater Patrum* a Concilio Nicæno II. vocatur S. Gregor. Nazianz. (h) *Patrem Epiſcoporum* vocat Oſium S. Athanaſius (i). Idem nomen tribuit ſuo Patri S. Gregor. Nazianz. (k) nomen *Summi Pontificis* Epiſcopis tribuit Sidonius Apollinaris Sæc. IV. Author, & Concil. Agathenſe jubens, ut ad ordinationem *Summi Pontificis* (nempe Epiſcopi) omnes Suffraganei convocentur (l). Porro autem difficultatem facit Tertullianus, qui titulos *Summi Pontificis, Epiſcopi Epiſcoporum* ſoli Romano Pontifici tribuiſſe legitur (m). At vero Tertullianum in Zephyrinum Papam, éo quod Mœchis pœnitentia functis veniam daret, fuiſſe vehementiorem, atque hæc deluſorie ſcripſiſſe ipſi etiam Authores noſtri Catholici libero ore fateri non dubitant (n). inde aliud argumenti genus depromentes: nempe quod authoritas Romani Pontificis, quocunque animo Tertullianus hæc ſcripſerit, jam tunc plenioribus radiis coruſcaverit. Similiter nomen *Vicarii Chriſti* hinc inde Epiſcopis fuiſſe attributum dubitare non ſinunt plura Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonia (o). Atque hæc ſunt nomina etiam cæteris Epiſcopis hinc inde attributa. Qua tamen arte & ratione ſucceſſu temporis hæc nomina in honorum titulos ſoli Romano Epiſcopo proprios tranſierint, tam accurate definiri nequit: ſuſpicamur haud ex vano

Olim fuere Epiſcopis proprii.

Difficultas ex Tertulliano.

(g) Thomaſ. loc. cit. N. 10. & fuſius Joan. Launoy. Tom. 5. part. 2. Epiſt. 13.
(h) Cotelerius in Not. in Epiſt. Clem.
(i) Epiſt. ad ſolitar. vit. agentes.
(k) Orat. 19. de funere Pat. (l) Vid. Bingham. loc. cit.
(m) Lib. de Pudicit. cap. 1. ubi dicit: *Pontifex* ſcilicet *Maximus*, quod eſt *Epiſcopus Epiſcoporum* edicit: ego & Mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.
(n) Thomaſ. part. 1. lib. 1. cap. 8. N. 7.
(o) S. Cyprian. & Ambroſ. apud Bingham.

vano id ſubſequentibus Sæculis incipiendo a Sæculo VI. factum eſſe, a quo tempore ipſa etiam Romanl Pontificis authoritas ſe magis magisque explicare cœpit (p).

Titulos quosdam proprios habuere Pontifices.

Habuere tamen Romani Epiſcopi jam antiquitus ſuos honorum titulos ſibi ſolis proprios, quos inter facile principem locum obtinet titulus *Patriarchæ Oecumenici*, quo Clerici Alexandrini in ſuis libellis Synodo Chalcedonenſi Sæc. V. celebratæ oblatis nemine Patrum ſupra trecentos præſentium contradicente Leonem I. honorarunt, quorum exemplum ſecuti ſunt Archimandritæ ſecundæ Syriæ in ſua epiſtola ad Agapetum ſcripta, & Conſtantinopolitani in libello ſuo ſupplici eidem Pontifici oblato (q). Equidem non ignoramus, eundem titulum Patriarchis Conſtantinop. Menæ & Joanni a Monachis quibusdam & aliis privatis fuiſſe attributum, Pontifice Romano neutiquam contradicente: verum quoniam id ab hominibus privatis factum eſſe non ignorabant Pontifices, multo minus ſiniſtri aliquid ſuæ authoritati metuebant, nominis novitatem neglectim habuerunt, usque dum Joannes Patriarch. Conſtantinop. dictus *Jejunator* in Concilio Conſtantinop. a ſe congregato una nomen *Patriarchæ Oecumenici* & judicium de cauſa Patriarchæ Antiocheni aſſumpſerit, atque Pontificibus Pelagio II. & S. Gregor. M. juſtam contradicendi cauſam præbuerit (r).

Tituli non tantum communes Epiſcoporum, ſed etiam ſingulares ſucceſſive Pontifici privative fuere attributi.

De titulo Servus Servorum Dei.

Quod ſi ultra Sæc. VI. progrediamur, facile comperiemus, non modo prædictos honorum titulos ad Romanum Pontificem fuiſſe devolutos, verum etiam plures alios paſſim ipſis a Scriptoribus Eccleſiaſticis attributos e. g. *Univerſalis Antiſtitis, Primatis Univerſalis Eccleſiæ, Orbis Epiſcopi, omnium Epiſcoporum Patris & Magiſtri &c.* (s) Præter hos honorum titulos a Pontificibus non tam uſurpatos, quam ſponte ipſis oblatos Gregorius M., cum ſe eſſe *Vicarium Chriſti* non ignoraret, ad imitandum humilitatis illius exemplum nomen *Servi Servorum DEI* jam antea a quibusdam Epiſcopis aſſumptum (t) adoptavit, quod Succeſſores illius in hodiernum usque diem retinuerunt. De honorificis Eccleſiæ Romanæ titulis commodius infra dicemus.

§. III.

(p) Author quæſt. Vet. & Nov. Teſt. cap. 127. Cyprianus epiſt 55. & 63. S. Ambr. Comm. in 1. Cor. 11.

(q) De nomine *Papa* id certum eſt ex Thomaſ.

(r) Vid. Hiſtorici obvii ad Sæc. Eccleſiæ ſextum.

(s) Vid. Thomaſ. Tom. 1. lib. 1. cap. 4. 6. 11.

(t) Ita ſe inſcribebat Deſiderius Cadurcenſis Epiſcopus, & S. Auguſtinus in ſuis literis, & primus ex Rom. Pontif. Greg. M.

§. III.

Pontificatum Romanum eſſe Juris Divini, & ab ipſo Chriſto in Petro inſtitutum certa indubitata, & concors e Scripturis & Traditionibus evidenter demonſtrata hactenus fuit Eccleſiæ Catholicæ, omniumque Catholicorum aſſertio. Hujus primaria prærogativa procul dubio eſt Primatus. Triplicem *Primatum Honoris*, *Authoritatis*, & *Juriſdictionis* ſcriptura fundatum, traditione ſtabilitum, continuo uſu, praxi & conſuetudine roboratum Petro, illiusque Succeſſoribus jam in prima noſtra Quæſt. (u) vindicavimus, quorſum Lectorem remiſſum volumus. *Triplex Pontificis Primatus.*

§. IV.

Altioris indaginis quæſtio eſt, utrum Pontifici una cum Jure *Primatus* velut appendix eidem cohærens competat *Regimen Monarchicum?* Triplicem eſſe formam Regiminis in Republica nempe *Monarchici*, *Ariſtocratici*, & *Democratici* ex Platone, Ariſtotele, aliisque antiquioribus Philoſophis ſcimus, quibus cum etiam hodierni Juris Naturalis Publici Interpretes ſentiunt, licet quamlibet ex iis diverſimode ſubdividere ſoleant (x). *Triplex forma regiminis.* In *Monarchia* ſupremam, atque independentem regendi poteſtatem tenet ſolus Princeps; in *Ariſtocratia* Magnates; in *Democratia* ipſe populus (y). Acriter diſputant DD., qualis ergo forma Regiminis obtineat in Eccleſia? Mere *Democraticam* ſtatuiſſe videtur famoſus ille Doctor Sorbonicus & Syndicus Edmundus Richerius, qui totam Juriſdictionem Eccleſiaſticam *proprie* ac *eſſentialiter* ſoli Eccleſiæ; *miniſterialiter* vero, & quoad *executionem* Pontifici competere docuit *Multiplex ſententia quoad formam regiminis Eccleſiaſtici.*

(u) Quæſt. 1. cap. 5. §. 8.

(x) E. g. cum Ariſtotele *Monarchiam*, vel *Regnum*, ut vocant, dividunt in *Heroicum*, *Barbaricum*, *Æſymneticum*, *Laconicum &c. Ariſtocratiam* aliam vocant *electivam*, & aliam *ſucceſſivam*: *Democratiam* vero juxta diviſionem ipſius populi diſtinguunt, & dividunt: quatenus nempe populus diviſus eſt in certa ſyſtemata, veluti Athenis olim in *Tribus*, Romæ in *Curias*, & *Tribus*: & hinc aliam *Democratiam* vocant *Urbicam*, qualis eſt Venetiis; & aliam *Provincialem*, qualis habetur in Belgio fœderato. Vid. Heineccius in Prælect. Acad. in Puffendorffium lib. 2. cap. 8.

(y) Regimen *Monarchicum* eſt in Gallia; *Ariſtocraticum* in Hollandia; *Democraticum* in Helvetia.

Digitized by Google

cuit (z). *Ariſtocraticam* ſtatuit Marcus Antonius de Dominis. Pure *Monarchicam* ſtatuunt ferme omnes illi, qui authoritatem Pontificiam ſupra Concilia & univerſalem Eccleſiam extollunt. *Mixtam* quodammodo ſeu *Monarchico-Ariſtocraticam* defendunt, non illi tantum, qui authoritatem Pontificiam infra Eccleſiam & Concilia deprimunt (a), verum etiam Viri alii egregii pietate non minus quam doctrina conſpicui, qui pro Superioritate & Infallibilitate Pontificis quaſi pro aris & focis dimicant: ut ipſe Bellarminus jurium Pontificiorum acerrimus vindex ſcribere non dubitaverit, *hanc ſententiam ab omnibus DD. Catholicis admitti* (b), & Magnus ille Theologiæ Dogmaticæ Parens Dionyſ. Petavius id elogii ei tribuerit, *quod ſit ea opinio, quæ piis, & eruditis plerisque placeat* (c). Atque hæc ſententia tot celeberrimorum Virorum authoritate fulſulta; Juribus Pontificiis neutiquam præjudicioſa, Inſtitutioni Chriſti, Scripturæ, Traditioni, Syſtemati Religionis, ac Statui Eccleſiæ longe conformior, atque ad conſequendos fines a Chriſto in erectione ſuæ Eccleſiæ ſibi præſtitutos longe aptiſſima nobis quoque hucusque præplacuit.

Monarchico-Ariſtocraticam formam plerique defendunt.

Hæc ex Scriptura probatur, & ex forma, quam Chriſtus inſtituiſſe legitur.

Si Scripturam conſulamus, profecto inde luce meridiana clarius apparet, quod Chriſtus in ſua Eccleſia talem Regiminis formam inſtituerit, quæ non ſapiat exceſſivum dominatum, viam ſternat ad deſpotismum, fomitem præbeat ambitionis, dominandi libidinem nutriat: ſed potius legibus manſuetudinis eſſet temperata, humilitate ſuffulta, & in charitate fundata, atque ad pacem, unitatem, concordiam, & tranquillitatem in Eccleſia conſervandam, tollenda ſchismata, infringendam audaciam illorum, qui ambitione inflati prima appetunt ſubſellia, pacem & unitatem turbant, ſchismata conflant, atque omnia ſus deque vertunt, foret aptiſſima (d). Sed quænam hæc alia forma, niſi Regiminis Monarchici Ariſtocratia temperati? Certe

(z) Scripſit hic Author librum de Eccleſ. & Polit. poteſt., quem proſcripſit Concil. Senon. & Aquenſe in Gallia. Præter alios calamum in hunc authorem acuit Petavius Theol. Dogm. de Eccleſ. Hier. lib. 3. cap. 15.

(a) Vid. Tournelius Tom. 2. de Eccleſ. ubi facultatem S., cui ſuam ſententiam falſo impoſuit Richerius, ab hac impoſtura vindicat.

(b) Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 5.

(c) De Eccleſ. Hierarch. lib. 3. cap. 16. N. 9.

(d) Juxta illud Chriſti, *Principes dominantur eorum: vos autem non ſic.* Et Petrus juſſit Presbyteros *paſcere gregem DEI, non velut dominantes in Cleris, ſed velut formam gregis facti ex animo.*

Certe non Regimen Democraticum, quod aliunde velut inimicum Inſtitutioni Chriſti omnes Catholici eliminatum volunt; non pure Monarchicum, quod facile in deſpotismum, & tyrannidem degenerare, libertatis jacturam, & crebras rerum mutationes inducere ſolet (e).

Ex nullo Scripturæ textu regimen Monarchicum probari poteſt.

Neque ullibi in Scripturis reperire eſt, quod Chriſtus formam Regiminis pure Monarchici conſtituerit: ubinam enim tale Regimen Petro conceſſum legitur? Num quando dixit: *Tu es Petrus &c.* (f) ſed quid inde ſequitur, niſi quod Sedes Romana ſit fundamentum fidei, centrum unitatis, lapis angularis primarius Eccleſiæ? Num per verba: *Paſce oves meas, paſce agnos meos* (g)? Equidem ſub vocabulo *paſcere* poteſtatem & officia Regiminis deſignari non ignoramus (h). At vero non alterius, quam quod cum paterna potius ſolicitudine & charitativa authoritate, quam cum imperioſo eoque prorſus illimitato dominatu eſſet conjunctum: id quod ſoli *Monarchiæ Ariſtocratia* mitigatæ eſſe proprium videtur. Num per verba: *Quidquid ligaveris &c.* (i)? Ineſt, ut, quod res eſt, fateamur his verbis ingens pondus ad perſuadendum Regimen Monarchicum. Quoniam vero hæc ipſa verba Chriſtus repetiit ad cæteros Apoſtolos: *Quidquid alligaveritis &c.* (k) cum hoc ſolo diſcrimine, quod illa ad ſolum Petrum; iſta ad omnes Apoſtolos collective direxerit, inde colligimus, quod ipſos quoque in partem ſolicitudinis vocare, atque in participium Regiminis cum aliqua tamen ſubordinatione ad Petrum venire voluerit. Et certe ſi Chriſtus in Petrum plenitudinem Regiminis Monarchici transfundere voluit, mirum eſt, quod Apoſtolos non miſerit ad Petrum, ut ab ipſo ſuam reciperent poteſtatem: cum inter eſſentialia ſtatus & regiminis Monarchici ſit, ut omnis poteſtas in inferioribus reſidens ab ipſo Monarcha in ipſos ſit derivata (l): Porro autem non ſic Chriſtus: ipſe ſingulari vocatione vocavit Apoſtolos, ipſe dixit: *Ite & prædicate &c.* quorum *remiſeritis* (m) quorum *alligaveritis*

Explicantur verba: Quidquid ligaveris &c.

(e) Heineccius in Prælect. in Puffendorff. lib. 2. cap. 8. §. 10.

(f) Matth. 16. (g) Joan. 21.

(h) *Sic enim DEUS dixit ad David: Paſces populum meum &c.* 2. Reg. 5. & 7. (i) Matth. 16.

(k) Matth. 18.

(l) *Monarcha eſt, cui regendi, gubernandi, imperandique ſuprema, & ultima poteſtas ineſt, a qua Magiſtratuum omnium authoritas manat diſperſa per ſingulos, & ad eam tanquam ad fontem, caputque revocatur,* ait Erudit. Petavius lib. 3. de Eccleſ. Hier. cap. 15. (m) Luc. 6.

Digitized by Google

veritis (n). *Ecce! ego mitto vos* (o) *quos Epiſcopos poſuit regere Eccleſiam DEI* (p). Sed nec ipſe Petrus Regimen Monarchicum, vel talem actum, ex quo poteſtas Regiminis Monarchici evidenter poſſet colligi (q), exercuiſſe legitur, quatenus ſuis Succeſſoribus relinqueret exemplum, qua arte regere Eccleſiam oporteret: præcipua enim negotia egit cum Apoſtolis cæteris.

Petrus non exercuit Regimen Monarchicum, & ſuo exemplo contrarium monſtravit.

Vix ulla majoris momenti controverſia ab Apoſtolis & Petro decidenda in Scripturis occurrit, quam illa de obſervantia legalium toleranda, vel abroganda, quam Paulus retulit ad Petrum. En! occaſionem opportuniſſimam, qua Petrus plenitudinem ſuæ poteſtatis Monarchicæ toti orbi Chriſtiano in futura etiam tempora notam facere potuiſſet, ſi authoritate propria dixiſſet ſententiam. Porro autem tantum aberat, ut per ſe ipſum ſententiam diceret, ut potius Synodum convocaret & auditis Apoſtolorum præſentium & Seniorum conſiliis, votis, & ſuffragiis controverſiæ finem imponeret: ita tamen, ut ſuum Primatum authoritatis & Jurisdictionis manifeſtiſſimo comprobaret argumento, quatenus Synodo cum jure relationis & prærogativa præfuit, ac ipſe ſolus nomine Apoſtolorum & Seniorum præſentium finalem ſententiam pronuntiavit: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis* (r).

Traditio potius mixtum, quam Monarchicum regimen docet.

Si Traditionem conſulamus, vix ullum, ſaltem in antiquiori Traditione reperimus veſtigium indubitatum Regiminis Monarchici, usque dum poſt Sæc. VIII. Authoritas Pontificis maiora in dies accepit incrementa, & ſucceſſive ad eum ſupremi Dominatus apicem, quem hodie poſſidet, aſcendit. Antiquitus enim ferme omnes hæreſes, ſaltem famoſiores, confixæ in Conciliis tam particularibus, quam poſtea univerſalibus: pleraque capita diſciplinæ Eccleſiaſticæ vel ab ipſis Epiſcopis, vel Synodis particularibus definita: cauſæ omnes vel ab Epiſcopis, vel, ſi majores fuerint, a Synodis particularibus deciſæ, recurſus ad Sedem Romanam rariores, appellationes ferme nullæ, reſervationes ignotæ &c. Et ſi Cyprianus in cauſa rebaptizantium, Polycrates in cauſa Quartodecimanorum Regimen Monarchicum in Pontifice ſuſpexiſſent, qua ratione auſi fuiſſent tam pertinaciter Stephano, & Victori contradicere, ſuarumque Eccleſiarum traditioni inhærere?

Denique

(n) Matth. 18. (o) Joan. 20. (p) Act. 20.

(q) Alii enim actus e. g. damnatio Simonis Magi Act. 8. pœna mortis in Ananiam & Saphiam fulminata non ſunt proprie actus poteſtatis Monarchicæ.

(r) Act. 15. verſ. 28.

Denique ſi ad ſyſtema & ſtatum Eccleſiæ reſpiciamus, cum Eccleſia ſit corpus immenſæ magnitudinis per omnem orbem Chriſtianum diffuſum, qua ratione unitas doctrinæ, integritas diſciplinæ, vinculum charitatis conſervari poterit? quomodo omnium Eccleſiarum neceſſitatibus, quas unus ſolus ignorare poterit, erit proſpectum? num unus ſufficiens erit ſuſtentandæ moli totius Eccefiæ?

Prævalet tamen Regimen Monarchicum.

Verum hæc ipſa argumenta manifeſte probant, quod in hoc regimine Eccleſiæ *Monarchico Ariſtocratia* temperato Monarchia prævaleat, & Chriſtus Petro, illiusque Succeſſoribus Regimen quaſi Monarchicum commiſerit: tale nempe, cui ſubordinati eſſent, ſalvis tamen ſuis Juribus, cæteri Apoſtoli, & Epiſcopi, non quidem ſubjectione tali, quali ſuis Regibus ſubjiciuntur inferiores Magiſtratus, Præfecti, Prætores & Magnates, qui, quidquid habent poteſtatis, habent a ſuo Principe, ita ut illam Princeps pro ſuo arbitrio limitare, reſtringere, & ampliare valeat; ſed longe alia, & quidem tali, ut, ſi vellent eſſe in communione Eccleſiæ, & cum ipſo communicare tanquam cum Capite & centro unitatis, juſta imperanti pro bono univerſalis Eccleſiæ obtemperare tenerentur.

Huc pertinent argumenta omnia, quibus Primatus Pontificius ſtabiliri ſolet: nam Petrum vocavit Chriſtus ſingulariſſima vocatione, & in ipſum transfudit plenitudinem univerſalioris Jurisdictionis, dum ad illum ſolum dixit: *Quidquid ligaveris &c.* ipſe Petrus præſedit Concil. Jeroſolym. (s) ipſe ordinavit electionem novi Apoſtoli in locum Judæ (t). Ad Sedem Romanam confugere hæretici, de hæreſi ſuſpecti, vel alibi diffamati (u): Pontifices judicarunt de conſuetudinibus aliarum Eccleſiarum (x): ipſi convocarunt Concilia, & his præfuerunt (y). In hanc ſententiam ipſi etiam Galli, eſto alias magis reſtringere, quam ampliare; deprimere, quam extollere poteſtatem Pontificiam conſueverint, & quidem primarii defenſores libertatum Gallicarum, & doctrinarum, usque nunc conceſſerunt, atque Pontificem velut *Supremum*

(s) Act. 15.

(t) Act. 1. ubi *Petrus exurgens in medio fratrum dixit: Viri fratres oportet impleri Scripturam &c.*

(u) Marcion e Ponto, Valentinus ex Ægypto, Cerdon e Syria, Montaniſtæ, Origenes, Dionyſius Alexand.

(x) In cauſa Rebaptizantium & Quartadecimanorum.

(y) Vid. dicta in 3tia noſtra Quæſt. cap. 1.

premum Caput Eccleſiæ, *centrum unitatis*, & Monarcham agnoverunt (z).

Ratio Status Eccleſiæ videtur exigere regimen quaſi Monarchicum.

Et certe ipſa ratio ſtatus Eccleſiæ tale Caput poteſtate quadam eminentiori quaſi Monarchica inſtructum exigere videtur: cum enim Chriſtus Dominus in ſua Eccleſia Regnum pacis, unitatis, & concordiæ inſtituere voluerit, talem formam regiminis præſcribere debuit, quæ eſſet apprime apta ad hanc communionem, pacem, & concordiam conſervandam: qua autem arte eam conſervari poſſe exiſtimamus, niſi caput quoddam Eccleſiæ eminentiori poteſtate præditum ſupponamus, in quod Chriſtus talem authoritatem transfudit, quæ eſſet ſufficiens ad continendos in ſuo officio Epiſcopos inferiores, ad debellandam rebellium audaciam, tollenda ſchismata, componendas hæreſes: ecquid enim unitatem ſcindit, pacem turbat, concordiam tollit, quam ſuperbia, ambitio, ſchismata, & hæreſes? Jam demus formam Regiminis pure Ariſtocratici: quis neſcit, hanc vel maxime viam proniſſimam ſternere ad ſchismata? cum enim ſchismata nihil aliud ſint, quam particulares factiones, quibus certe forma Regiminis Ariſtocratici vel maxime eſt obnoxia, metuendum foret, ne Eccleſia, ſi per Epiſcopos independentes regeretur, ab hæreſibus & ſchismatibus penitus abſorbeatur.

Quid in effectu interſit inter Monarcham, & Primatem, & utriusque regimen?

Inde jam ulterior conſurgit quæſtio, qua ratione ſtare poſſit Primatus ſine Regimine Monarchico, & quid in effectu interſit inter Primatum, & Regimen pure Monarchicum. Profecto hæc duo toto cœlo differre, nemo non, niſi talpa ſit, videat. Ex Regimine Monarchico

(z) Sic Joannes Gerſon acerrimus libertatum Gallicanarum defenſor lib. de poteſt. Eccleſ. conſid. 10. & 11. Pontificem appellat *Monarcham primum:* & iterum adſtruit, poteſtatem Eccleſ. in ſua plenitudine eſſe formaliter & ſubjective in Rom. Pontifice. Et Petrus de Alliaco in tract. de auth. Eccleſ. part. 3. cap. 1. *Plenitudo poteſtatis eſt in Pontifice tanquam in ſubjecto recipiente.* Et Petrus de Marca de Concord. lib. 1. cap. 2. *Docendum itaque eſt, Gallos ab ipſis Eccleſiæ primordiis communionis Eccleſ. originem in Cathedra Petri conſtituiſſe, & ſupremam Eccleſiæ authoritatem huic Sedi collatam ſemper coluiſſe.* Accedit Senatus Pariſiens. in declaratione circa libert. Gallican. Ludovico XI. An. 1461. facta; & Univerſitas Pariſienſ. in explicatione ſuæ doctrinæ, quam per Petrum de Alliaco coram Clemente VII. fieri curavit. Ambo in Pontifice agnoſcunt Supremum Paſtorem & Caput Eccleſiæ. Idem declaravit in multis Conventibus & Comitiis Clerus Gallicanus. Vid. Tournel. de Eccleſ. quæſt. 5. art. 2.

chico evidenter fluit Superioritas Pontificis ſupra Concilia, & illius infallibilitas in rebus fidei; non vero ex ſolo Primatu, & Regimine Ariſtocratia temperato, ſaltem per conſequentiam neceſſariam. Et hinc admiſſo hoc Regimine adhuc optime defendi poteſt prædicta ſuperioritas, atque inde fluens infallibilitas (a). Ex Regimine pure Monarchico ſequitur, quod in ſolo Pontifice velut in fonte reſideat plenitudo poteſtatis, & exinde rivuli inſtar quædam portio in Epiſcopos dimanaverit, adeoque Epiſcopi omnem ſuam authoritatem immediate non a Chriſto, ſed a Pontifice mutuaverint. Secus dicendum in noſtra ſententia, quæ jura Epiſcoporum in tuto collocat, eaque Juri Divino in in acceptis refert. Ex Regimine Monarchico infertur plenaria poteſtas ferendi leges univerſales pro tota Eccleſia, & ſingulis Eccleſiis particularibus, easque Epiſcopis etiam invitis obtrudendi, illorum Jurisdictionem reſtringendi, Jura Epiſcopalia limitandi, ea præveniendi &c. Dum econtra ex Primatu nihil aliud inferri poteſt, quam quædam Epiſcoporum ſubjectio in iis, quæ concernunt bonum univerſalis Eccleſiæ, atque ſubjectio & dependentia eorum in regimine etiam ſuarum Eccleſiarum, in quantum id exigere videtur ratio univerſalis vel particularis Eccleſiæ ſalvis tamen cæteris Juribus Epiſcopalibus, quæ vel reſtringere, vel limitare, vel ſubvertere ſine evidenti neceſſitate & utilitate non eſt in arbitrio Pontificum.

§. V.

De modis perveniendi ad Prælaturas Eccleſiaſticas.

Varios eſſe modos perveniendi ad Prælaturas Eccleſiaſticas aliunde ex Jure Eccleſiaſtico, & hodierna praxi, ac obſervantia Eccleſiæ conſtat (b). Quando ergo quæritur, an electio Pontificis ſit Juris Divini, ſtatus quæſtionis in eo eſt, an Chriſtus Dominus, dum perpetuam, & indefectibilem ſucceſſionem in Sede Petri conſtituit, ſimul modum determinatum, eumque non alium quam legitimam electionem præſcripſerit, qua omnes Petri Succeſſores poſthac aſſumendi forent? Duo nobis certa eſſe videntur. 1mum eſt, quod ex Scripturis certus, fixus, ac determinatus modus aſſumendi Epiſcopum ad dignitatem Pontificiam vel alias Prælaturas Eccleſiaſticas colligi nequeat: Apoſtolos enim ſingulari vocatione vocavit Chriſtus. Septem Diaconi

Chriſtus non determinavit certum modum.

Rr 2 electi

(a) Patet hoc inde, quod quamplurimi Authores negent Regimen Monarchicum, & tamen defendant prædictam Superioritatem, & Infallibilitatem Pontificis.

(b) Tres potiſſimum ſunt tales modi: Electio, Collatio, & Nominatio ac Præſentatio.

electi fuere per ſortem, Barnabas & Saulus juſſu Spiritus S. poſt preces & jejunium cooptati ſunt per impoſitionem manuum. Num Petrus ſibi Succeſſorem elegerit Clementem, res eſt prorſus incerta. Qua ratione Apoſtoli conſtituerint Epiſcopos variarum Eccleſiarum, ſimiliter nos latet. Alterum eſt, quod ex conſtanti, perpetua, & usque ad nos derivata conſuetudine, praxi & obſervantia modus ordinarius providendi Eccleſiis & aſſumendi Epiſcopos fuerit electio, licet ipſe modus eligendi pro diverſitate temporum & Eccleſiarum fuerit varius: nam primitus fiebat electio a Metropolita, Epiſcopis Comprovincialibus, Clero & populo in loco vacantis Eccleſiæ: poſtea translata fuit ad Sedem Metropoliticam: ſucceſſu temporis interveniebat authoritas Imperatorum & Regum eo potiſſimum ævo, quo vigebant Inveſtituræ per annulum & baculum: pedetentim excludebatur populus: & demum excluſo Clero & populo Jus eligendi Epiſcopos ad Capitula, Pontificem vero ad Collegium Cardinalium fuit devolutum (c): imo in quamplurimis Eccleſiis electiones prorſus deſierunt, poſtquam collationes Epiſcopatuum ad Pontifices, & Nominationes Epiſcoporum ad Imperatores & Reges pervenerunt (d).

Modus ordinarius ex traditione fuit electio.

Illud ſingulariter hactenus obſervavimus in electionibus Pontificum, quod vix ulla Eccleſia tot viciſſitudines ſubierit in negotio electionis ſuorum Pontificum, ac Eccleſia Romana; nullæ aliæ electiones tot ſchismatibus fuerint turbatæ, tot ac tantis Principum ſæcularium invaſionibus ſciſſæ, ac electiones Romanorum Pontificum. Eligebant ab initio Clerus & populus Romanus: poſtea jus eligendi ſibi vindicabant Gothorum Reges Odoacer, Theodoricus, & Theodatus, quibus devictis, recuperatoque Romanæ Urbis Principatu illud arripuit Juſtinianus Imperator, ſuisque transmiſit Succeſſoribus ad Carolum usque

Nulla electio tot mutationibus obnoxia, ac electio Pontificis.

(c) De Electionibus Epiſcoporum, & variis eligendi modis fuſe tractant Thomaſ. Petrus de Marca, Van Eſpen, & Bingham. Quoad Jus eligendi Epiſcopos & Pontifices ad Capitula & Collegium Cardinalium devolutum notandum eſt, quod Cardinales illud authoritate Pontificum ſeſe Principum ſæcularium abuſibus ſtrenue opponentium, & ultimato Alexandri III. ſub finem Sæc. XII. Capitula vero pedetentim ex Jure conſuetudinario, & quidem ad initium Sæc. XIII. plene obtinuerint.

(d) Sæc. XII. & XIII. & ſequentibus id factum eſt per reſervationes Pontificias, & Concordata Galliæ.

Digitized by Google

que M., in quem, ſi tamen fides habenda ſit. *cap.* 22. *diſt.* 63. (e) Hadrianus Pontifex liberrime in Concil. Rom. illud transtulit: quod idem feciſſe legitur Leo VIII. Pontifex. Quid non tentarunt Ottones I. II. & III. Henrici IV. & V. (f)?

Utrum electio Pontificis ſit juris divini?

Sententia affirmanti patrocinatur traditio.

Jam ad quæſtionem principalem, utrum electio Pontificis ſit Juris Divini? Affirmantibus patrocinatur continuata traditio, praxis, & obſervantia ad nos usque traducta, quæ cum fuerit nunquam interrupta, ac uniformis, facit argumentum fortiſſimum pro Jure Divino (g): id quod de electionibus aliorum Epiſcoporum dici nequit, cum conſtet, quod jam a multis Sæculis in multis Eccleſiis electiones prorſus eliminatæ, & vel in Collationes a Pontificibus, vel Nominationes a Regibus & Principibus fieri conſuetas fuerint transformatæ (h). Equidem etiam Electiones Pontificum varias ſubierunt mutationes, ſed non niſi quoad modum (i): quoad ſubſtantiam ſemper Pontifices per viam electionis fuere aſſumpti. Accedit textus ex *cap. ult. diſt.* 79. depromptus, ubi legitur, *quod electionem ſummorum Sacerdotum ſibi Dominus reſervaverit, licet electionem illorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet.* Præterea pie præſumendum, quod DEUS modum providendi Eccleſiæ Romanæ meliorem ſelegerit: ſed quinam melior quam electio? Pro hac certe ſtat fortiſſima præſumptio, hoc ipſo, quod a principio naſcentis Eccleſiæ in Eccleſia Romana ſemper; in aliis vero per plurima Sæcula obtinuerit. Dein quinam alius modus deberet eſſe aptior? num *ſucceſſio hæreditaria?* ſed hanc utique Chriſtus

Electio videtur eſſe modus optimus providendi Eccleſiis.

Melior, quam ſucceſſio hæreditaria, & collatio.

(e) Illud plures adſcribunt Sigeberto Gemblacenſi; alii Pſeudo-Pontifici Leoni VIII.

(f) Aliunde notæ ſunt controverſiæ inter hos Imperatores, & Pontifices ratione Inveſtituræ per annulum & baculum, obtruſiones Pſeudo-Pontificum, & inde enata ſchismata. Vid. Scriptores Eccleſ. ad Sæc. X. XI. & XII.

(g) Huc pertinet commune illud S. Auguſtin. *quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolica Authoritate traditum rectiſſime credimus.*

(h) Pontifices jus collationis Epiſcopatuum ſibi vindicarunt per reſervationes; Imperatores vero & Reges ex Privilegiis, fundationibus, vel concordatis, ſicut Reges Galliæ obtinuerunt.

(i) E. g. intervenit authoritas Principum ſæcularium: excluſus fuit populus: jus eligendi ad Cardinales translatum: ſpecialis forma pro electione Pontificis præſcripta, ut infra dicemus.

Digitized by Google

Chriſtus Dominus ab omnibus beneficiis voluit eſſe (verbo ſit venia) excluſiſſimam. Num *collatio?* ſed hæc deberet fieri a Superiore quodam jus aliquod, quod ipſe habet, transferente: ſed quis ille Superior reſpectu Pontificis? Et quis neſcit, collationes Beneficiorum etiam inferiorum, quod eo magis dicendum de collationibus Epiſcopatuum, præcipue vero Pontificatus Romani quamplurimis eſſe obnoxias periculis? quam facile homo unus in ſuo judicio poteſt falli, ab aliis decipi, & corrumpi? nunquid firmior & melior ſtat præſumptio pro plurium, & maxime inſignium Virorum, quam unius hominis licet ſapientiſſimi judicio? ad quid antiquitus adhibitus fuit conſenſus ipſius etiam populi? Num fortaſſis *Nominatio* ab Imperatore vel Rege facienda? verum præterquam quod contra Nominationes militent eadem argumenta, quæ contra collationes, nemo ignorat hunc modum puriori Eccleſiæ diſciplinæ, & regulis Canonicis neutiquam eſſe conformem, valde periculoſum, & Eccleſiarum bono inimicum? tum quod Principum præpotentia aliunde Eccleſiis formidanda facile poſſit fieri magis formidabilis: tum quod pertimeſcendum ſit, ne Prælati Eccleſiaſtici miſeram, eamque turpiſſimam ſervire ſervitutem Principibus cogantur: tum quod Principibus aliunde in graviſſima Reipublicæ negotia diſtractis qualitates in nominandis requiſitæ, virtutum ac ſtudiorum merita non ſufficienter eſſe perſpecta videantur: tum denique quod facile contingere poſſit, ut homines jejuni, iuidonei, Neophyti & indigni ex interceſſionibus, recommendationibus, & adulationibus Magnatum promoveantur; vel ipſi indigni Principum favorem & gratiam ſuis adulationibus, & ſubinde non ſat decoris obſequiis imo corruptelis ſibi comparent & hoc modo non tam per oſtium, quam poſticum in ovile Chriſti aſcendant, Et quis neſcit, quantopere Concordatis Galliæ Canonicarum Electionum everſivis, totumque ferme jus providendi Eccleſiis in Reges translativis ipſe ſupremus, & Regius Senatus, Univerſitas Pariſienſis, & Clerus Gallicanus diu & ad Sæculum usque ſe oppoſuerit, usque dum vi majori, cui reſiſti non poteſt, cedere debuerit? Quis ignorat quanta cum vehementia doloris intrinſeci huic praxi Nominationum Regiarum indoluerint Viri probatiſſimi & laudatiſſimi? Profecto hodierni etiam Scriptores Gallici hanc praxin non tam rationibus directis, intrinſecis, Canonicis & pragmaticis, quam reflexis, extrinſecis, & in generali duntaxat bono pacis, majoriſque mali evitatione unice fundatis propugnare conſueverunt (k).

Et. Nominatio.

Hæc multis periculis obnoxia.

Nominationibus Regiis in Gallia plures ſe oppoſuerunt.

Jam

(k) Clariſſ. Barthel in Reſolut. quæſt. inaug. *An electio ſit modus melior. &c. &c.*

Electio Summi Pontificis nec ex Scriptura nec traditione ſufficienter demonſtratur.

Jam negantium argumentis aures præbeamus. Dicunt 1mo, quod ſententiæ priori nec ſcriptura patrocinetur, nec traditio, ſaltem Divina; non ſcriptura: ubinam enim vel jota in ſcripturis de electione Succeſſorum Petri? Non traditio Divina: hæc enim, ut ſit Divina, debet eſſe conſtans, & uniformis, & ab ipſa Eccleſia ut talis agnita. Porro autem tantum abeſt, ut praxis & conſuetudo eligendi Pontifices fuerit conſtans, & uniformis, ut potius ne quidem mox ab initio naſcentis Eccleſiæ obtinuerit: cum ipſe Petrus ſibi elegiſſe Succeſſorem Clementem legatur, licet plures hanc hiſtoriam in dubium vocare ſoleant. Dein quis ignorat, per plura Sæcula præcipuam authoritatem in electionibus Pontificum fuiſſe penes Imperatores, ut, licet promotiones Pontificum fierent per electiones, hæ tamen exigui prorſus roboris ac momenti fuerint, ſuum valorem, vim, ac robur ferme unice ab Imperatorum & Regum conſenſu emendicaverint? Ad hæc innegabile eſſe videtur, quod Electiones Pontificum non modo mutationes quaſdam mere accidentales, ſed ſubſtantiales ſubierint, & quoad modum etiam ſubſtantialem, & non accidentalem duntaxat fuerint mutatæ. Profecto mutatio contigit intrinſeca, quando ſumma rerum in negotio Electionis Pontificiæ ad Imperatores Clero & populo non niſi honoris & dicis gratia admiſſo, poſthac vero penitus excluſo ad Collegium Cardinalium fuit devoluta. Intrinſecam ſubiit mutationem Electio Pontificia, quando ipſi Pontifices longe aliam, ac ſubſtantialiter diverſam electionis formam præſcripſerunt (l). Præterea altioris indaginis res eſt, utrum modus eligendi ſit modus optimus providendi Eccleſiis, ſive dein ad tempora Eccleſiæ antiquiſſima, ſive media, ſive noviora reflectamus. Neminem in Hiſtoria Eccleſiaſtica tam eſſe jejunum & peregrinum putamus, ut ignoret tumultuarias clamoroſas & violentas Electiones a plebe antiquitus factas, dum non raro Eccleſiis indiſcreto ſuo fervore atque inconditis acclamationibus Epiſcopos obtruſit, ſæpe etiam invitos ad ſuſcipiendam ſarcinam Epiſcopalem coegit, vel indignos ad Epiſcopatus promovit (m). Atque hæ ipſæ turbæ,

Jure dubitatur, an electio ſit modus optimus providendi Eccleſiis.

(l) Nempe formam ſcrutinii, ac compromiſſi in cap. 40. de Elect.

(m) Proſtant hujus rei plura exempla in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Liceat afferre textum ex Sixto Senenſi, qui lib. 5. Biblioth. poſtquam laudavit pacificas Electiones tempore Apoſtolorum factas pergit dicens: *Nunc autem cum plebs beſtia ſit multorum capitum, factionibus, & contentionibus intenta, idipſum non niſi maxima Eccleſiæ perturbatione concederetur.* Quam plurima exempla

bæ, tumultus, & ſeditiones in cauſa fuerunt, quod Eccleſia populum ſucceſſive excluſerit, toties in modo eligendi, & forma Electionum variaverit, vota majora & ſaniora in Electionibus Epiſcoporum; in Electione vero Pontificum & Poſtulatione Prælatorum duas omnino tertias exquiſierit. Quem latent improbæ, tumultuariæ, violentæ, ſimoniacæ, carnis & ſanguinis pluribusque aliis cupiditatibus ſordidatæ vel implicatæ electiones Sæculi IX. X. XI. iis potiſſimum temporibus factæ, quando adhuc Imperatores per annulum & baculum Epiſcopis Inveſtituras conferebant. De hodiernis Electionibus quid dicamus? Quam ſæpe privatis indulgetur affectibus, litatur carni & ſanguini, bonum privatum bono Eccleſiarum publico præfertur, vel omnino minus digni aſſumuntur, prædominatur ambitio, irrepunt ſimoniæ, peſſimæ artes & fraudes interveniunt? & quamvis iſta ſe per accidens habere dicantur, atque adeo uſum propter abuſum neutiquam eſſe tollendum afferatur (n). Attamen ulterius inquirendum foret, an hæc ipſa incommoda, mala, & ſcandala toties (demus per accidens) in Collationibus & Nominationibus eveniant, ſicut in Electionibus. Profecto fiunt communiter tales Nominationes in Gallia, Hiſpania, Italia, & hinc inde etiam in Germania ſine ſtrepitu, ſine tumultibus, ſine ſcandalis: & vix alibi tot Epiſcopi doctrina, pietate, ac zelo Apoſtolico eminentes reperiuntur, atque in præfatis locis. Ut adeo a variis rerum circumſtantiis dependere videatur, num Electio, num alius modus providendi Eccleſiis ſit melior & optimus, atque adeo incertum ſit, & convincenter oſtendi nequeat, quod Chriſtus Dominus viam Electionis pro aſſumendo Pontifice prælegerit, & ſuæ Eccleſiæ præſcripſerit.

Id probant hodiernæ electiones.

Nominationes fiunt ſine tumultu & ſtrepitu.

Quis ſit modus optimus dependet a circumſtantiis.

Defenditur modus providendi per viam electionis.

Hæc neutiquam eum in finem a nobis dicta aut ab aliis intellecta volumus, ac ſi via Nominationum & Collationum nobis potior, utilior, ac melior videretur quam Electionum: nam ſemper hactenus Jus eligendi Capitulis Cathedralibus in ipſis Concordatis Germaniæ ſtabilitum

pla violentarum Electionum ac Ordinationum Epiſcopalium refert Bingham lib. 4. §. 1. de S. Cypriano, Greg. Thavmat. Auguſtino, Ambroſio. Unum adduxiſſe exemplum ſufficiat, quod refert Sulpit. in vit. S. Martini, quod nempe ſanctus hic Epiſcopus dolo quodam e Monaſterio erui, & ſub cuſtodia ad ordinationem deduci debuerit.

(n) Secus enim tollamus Evangelia, quia illis abutuntur hæretici; Sacramenta quia indigne tractantur ab impiis; Apoſtolatum, quia eo abuſus eſt Judas &c. Tollatur abuſus, & retineatur bonus uſus.

tum velut Jus aliquod prorſus inſigne, ſolis Germanis proprium, & velut margaritam pretio inæſtimabilem ſuſpeximus, illudque omni jure, ac utiliſſime privative ad Capitula eſſe devolutum credidimus: nam præterquam quod Electiones ſanctiori, puriori, & antiquiori per tot ſæcula vigenti diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſint longe conformiores, quam Nominationes, & Collationes, ad quem alium aptius & utilius jus eligendi devolvi potuit, quam ad Capitula? Cum enim Capitula ſint Collegia, quibus Epiſcopus tanquam Caput præeſt: imo cum arctiori longe, quam antiquitus, vinculo hodie conjungantur Epiſcopi cum Capitulis, ita ut hodie conſtituant corpus, cujus Caput Epiſcopus, membra vero ſunt Capitulares (o), juſtum ac naturale eſt, ut hi e ſuo Collegio eligant, qui corpori huic politico tanquam Caput præſit. Et quis neſcit confuſiones ex admiſſione populi obortas, ſcandala publica, ſcandaloſa ſchismata, aliaque mala quam plurima ex abuſu ſæcularis poteſtatis in Electiones Pontificum, aliorumque Epiſcoporum ſeſe intrudentis in univerſam Eccleſiam redundantia? An autem laudatæ Nominationes Regiæ adeo puræ, ac immunes ſint ab omni labe ſimoniaca, & ſcandalo; an non interveniant adulationes, fraudes, & munera a lingua, manu, & obſequio; an omnis ambitio, & avaritia ab iis exulet, affirmare non audemus. Nobis ſufficit demonſtraſſe, omnimoda certitudine non eſſe certum, quod Electio Summi Pontificis ſit Juris Divini.

Saltem certum non eſt, quod electio ſummi Pontificis ſit juris Divini.

Quantum ad ipſam formam Electionis & modum eligendi Pontificem ex documentis hiſtoricis non conſtat, quænam forma antiquitus fuerit adhibita; qualis ſuffragiorum majoritas obtinuerit; quis votum deciſivum vel conſultivum habuerit. Hodie ergo jus eligendi Pontificem eſt penes ſolos Cardinales, quin vocari debeant abſentes (p). Non ſufficiunt vota majora, ſed requiruntur duæ tertiæ reſpectu Cardinalium in conclavi congregatorum (q): & ſi non converint duæ tertiæ, locum habet acceſſus: In compromiſſo non poſſunt compromiſſarii ſibi ipſis nec directe nec indirecte dare votum (r). Electus non indiget

De forma electionis Pontificiæ.

(o) *Noverit tuæ diſcretionis prudentia*, ait Alexander III. in cap. 4. de his, quæ fiunt &c. *qualiter tu, & fratres tui unum corpus ſitis, ita quod tu Caput, & illi membra eſſe probantur.*

(p) Cap. 6. de Elect. & cap. 3. eod. in 6. Clement. ne Romani 2. d. t.

(q) Cit. cap. 6. h. t.

(r) Ex Conſtit. ſingulari Greg. XV. quæ incipit: *Æterni Patris &c.*

diget confirmatione &c. Multa quoque ſpecialia pro maturanda Pontificis electione, & avertendis ſcandalis conſtituit Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi II. an. 1273. celebrato, quæ tamen in deſuetudinem abierunt (s). Opportunus hic foret locus agendi de *Excluſiva*, quam Imperator dare ſolet, ne certa perſona ad Pontificatum aſſumatur. Solent illam deſcribere, quod ſit *actus, quo a Cardinalibus Protectoribus Nationum publice in conclavi hoc illudve ſubjectum Electionis paſſivæ incapax edicitur addita declaratione in caſu creationis contraſactæ illud a Principalibus ſuis non iri agnitum.* Ita illam deſcribit Vir Celeberrimus Caſpar Barthel, addens Jus iſtud *Excluſivæ* dictum eſſe fœtum, quem temporum non ita remotorum *Ratio Status* parturiit, illudque in locum antiquæ facultatis Cæſareæ eſſe ſubſtitutum (t). Verum pagellarum anguſtiæ prohibent noſtros deſuper animi ſenſus liberius aperire.

De Excluſiva, quam ſolent dare Imperatores & Reges.

§. VI.

De Succeſſione Pontificia. Succeſſio Epiſcopalis pertinet ad notas Characteriſticas veræ Eccleſiæ.

Ab Electione recta via ad Succeſſionem Pontificum progrediamur. Nemo eſt, quem lateat, quantum roboris Eccleſia Catholica ad demonſtrandam veritatem ſuæ Religionis ineſſe ſucceſſioni Epiſcopali in præſentem usque diem continuatæ crediderit: tantum nempe, ut illam jure optimo inter Notas characteriſticas veræ Eccleſiæ poſuerit, atque noviter exortis hæreſibus continuo objecerit, quod ſucceſſione Miniſterii Eccleſiaſtici Canonica ab Apoſtolis derivata careant; & econtra ſola Eccleſia Romana hac prærogativa gaudeat (u). Et certe hoc argumenti genus eſſe ſummæ efficaciæ vel exinde colligere licet, quod primi Eccleſiæ Patres ad hanc ſucceſſionem adverſus hæreticos ſemper provocaverint, atque hoc telo ferme unico illorum vim confregerint

(s) Vid. cap. 3. h. t. in 6. ubi ſtatutum inter alia legitur, ut intra 10. dies non exſpectatis abſentibus ingrediantur Conclave, &, ſi intra tres dies non elegerint Pontificem, uno ferculo ſint contenti per 5. dies, ex tunc autem ſolum aqua, panis & vinum eis ſubminiſtretur &c.

(t) Diſſert. ſpeciali de Excluſiva, ubi examinat, an hæc excluſiva etiam ad Epiſcopatus Germaniæ extendi poſſit, & hoc ex rationibus prægnantiſſimis negat.

(u) Vid. Bellarminus Tom. 1. P. 2. lib. 4. de Not. Eccleſ. cap. 8. ubi *ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis deductam usque ad nos* ponit inter notas Eccleſiæ.

rint (x). Qua enim ratione vera Eccleſia eſſe poteſt, quæ eſt ſine Epiſcopis, ſine Paſtoribus; aut certe alios non habet, quam tales, qui recta linea ab Apoſtolis non deſcendunt, & hoc ipſo poteſtate legitima carent? Quare mirandum non eſt, quod hodierni Sectarii nihil non agant, ut hanc Succeſſionem eliminent, atque e manibus Catholicorum violenter extorqueant, optime gnari, quod hoc fundamento ſubruto facile totum ædificium Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſit caſurum in nihilum. Quoniam vero quæſtionem hanc unice eſſe disquiſitionis Theologicæ optime perſpectum habemus, eam pro ſuis meritis examinare neutiquam volumus, ſed breviter argumenta Catholica; poſtea vero illa, quibus Theologus quidam inter Proteſtantes celeberrimus ſucceſſionem Epiſcopalem in Eccleſia Catholica expugnare contendit, in medium proferemus (y). *Acatholici eam evertere conantur.*

Pro meliori ſuorum argumentorum intelligentia diſtinguit præfatus Theologus triplicem ſucceſſionem *perſonalem*, *localem*, & *doctrinalem* (z). Jam ait: Succeſſio *localis* plane nihil probat; nec *perſonalis* minus *Canonica*; imo nec *perſonalis Canonica*, niſi conjunctam habeat *doctrinalem*: dum econtra *ſucceſſio doctrinalis* ſolitarie etiam ſpectata ſit vera Nota Eccleſiæ. Hinc putat hic Author, inſulſum eſſe ordinem, ſi a ſucceſſionis *perſonalis* inveſtigatione ducatur initium: cum potius a ſucceſſione *doctrinali* ſit ducendum; atque adeo illa ſit vera Eccleſia, in qua ſucceſſio reperitur *doctrinalis* (a). Duo ergo ſibi demonſtranda aſſumit. 1mo, Succeſſionem *doctrinalem* neutiquam apud Catholicos, bene vero reperiri apud Proteſtantes. 2do, Succeſſionem *perſonalem* Catholicam tum quoad Electiones, tum quoad Ordinationes in toto orbe Chriſtiano defeciſſe (b). Primum aſſerit ſe alibi probaſſe (c): alterum fuſius probare contendit ſequentibus potiſſimum argumentis: & quidem 1mum ferme in hunc modum inſtaurat: luſtremus non nihil vitas, geſta, & acta Pontificia, dicamusque, qua arte ſucceſſio Pontificia ſtare, & usque nunc propagari potuerit ſtantibus tot ſchismatibus, quorum aliqui ultra 30. enumerant; hæreſibus, intruſionibus, inter- *Triplex ſucceſſio, perſonalis, localis, & doctrinalis.* *Argumenta Pfaffii contra Succeſſionem Epiſcopalem.*

(x) Hoc Argumento uſi ſunt Irenæus, Tertull. Cyprian. Optatus, Euſebius, Auguſtin. Epiphan. aliique, uti concedunt ipſi Proteſtantes, nominatim Matthæus Pfaffius loc. infra citando.

(y) Eſt is Matthæus Pfaffius Doctor & Cancellarius Tubigenſis in Diſſert. de Succeſſ. Epiſcop.

(z) Art. 4. loc. cit. quid autem ſit hæc triplex ſucceſſio, patet ex ipſis terminis.

(a) Art. 5. (b) Art. 6. (c) In Diſſert. de tradit. non ſcriptis.

interregnis, quibus Sedes Pontificia fuit obnoxia? Enumeret quis, ſi poſſit, Pontifices intruſos, ſimoniacos, ſchismaticos & hæreticos, Apoſtaticos, aliisque criminibus infectos; ipſas etiam Electionum Papalium a Canonibus derivationes & mutationes, interregna & ſchismata, quæ aliquoties per plures annos duraverunt (d). Fatentur iſta ipſi etiam Scriptores Catholici Baronius, & Bellarminus (e). Alterum inde deſumit, quod ex mente omnium Catholicorum ad Sacramentum Ordinationis requiratur intentio, ita ut Sacramentum, quod cum intentione poſitive contraria confertur, nullum ſit. Jam unde quis certo novit, quod omnes Pontifices, & Epiſcopi cum debita intentione baptizati, confirmati, & ordinati ſint, & nemo Epiſcoporum Ordinationum contrariam intentionem habuerit? Quo poſito quot quæſo aliorum Epiſcoporum ordinationes fuere irritæ, & nullæ? quot Sacramenta nulliter collata? 3tio, inquit, hæc Pontificum & Epiſcoporum ſucceſſio procul dubio evolvenda foret ex antiquis Epiſcoporum catalogis, Eccleſiarum Diptychis (f), & hiſtoriarum monumentis: Porro autem quantæ difficultatis id foret, in quam innumeras diſcuſſiones hiſtoricas, chronologicas, & criticas abeundum eſſet illi, qui inde certi aliquid vellet eruere? 4to, qua ratione valida eſſe poteſt ordinatio Epiſcoporum apud Catholicos: cum ipſi toties in ſuis formis & ritibus in collatione Ordinis adhibendis variaverint, impoſitionem manuum, quam Chriſtus nec adhibuit, nec ullibi præſcripſiſſe legitur, primitus adoptaverint, & ſucceſſu temporis aſſumptione aliarum formarum adulteraverint? Alia levioris momenti argumenta e. g. de Sacerdo-

(d) Art. 7.

(e) Baronius quidem Tom. X. ad annum 912. ubi Eccleſiæ faciem nigerrimis coloribus depingit, inter alia dicens: *Quæ tunc facies Eccleſiæ Romanæ? quam fœdiſſima, cum Romæ dominarentur ſordidiſſimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, & quod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum Amaſii Pſeudo-Pontifices &c.* Alter eſt Bellarminus dicens: *Omnes Eccleſias Patriarchales habuiſſe per longa tempora Epiſcopos manifeſte hæreticos, ac proinde interruptam eſſe in iis veram ſucceſſionem paſtorum.*

(f) Fuere Diptycha nihil aliud, quam Catalogi, in quibus ſcripta erant nomina virorum celebriorum, & erant multiplicis generis, alii vivorum, & alii mortuorum, de quibus vid. Graveſon in Præfat. Hiſt. ad Sæc. V.

cerdotio novæ Legis omnibus Chriſtianis communi, utpote centies a noſtris Theologis excuſſa, non moramur (g).

Sed jam Catholicos noſtros DD. audiamus, ſimul & oppoſita breviter diluamus: 1mo nondum a parte adverſa demonſtratum eſt, nec demonſtrari poteſt, quod in ſua Eccleſia ſit *ſucceſſio doctrinalis*, dum econtra apud ipſos potius graſſari novationes, nova, eaque falſa dogmata ab ipſis aſſumpta; antiquiora vero fuiſſe adulterata noſtri DD. millies demonſtraverint. 2do Ubinam, & a quibus hæc *ſucceſſio doctrinalis* conſervari, propagari, & ad nos usque transfundi potuit, ſi *ſucceſſionem perſonalem*, & *localem* eliminemus? Profecto Chriſtus non alios conſtituit Doctores, & Cuſtodes veritatis, quam Petrum, & cæteros Apoſtolos: & per horum Succeſſores doctrinas revelatas conſervari, & propagari voluit. Quod ſi ergo in ſedibus Epiſcopalibus Principalioribus maxime Eccleſiæ Romanæ, quam Chriſtus velut centrum unitatis & veritatis conſtituit, hanc ſucceſſionem deſiiſſe dicamus, in aliis vero Eccleſiis talem dari oſtendi nequeat, ubinam jam veritas inveniri poterit? Aut ſi illos, quos conſtituit Chriſtus regere Eccleſiam DEI, deſiiſſe; alios vero in ipſorum locum ſubintraſſe probari non poſſit, quomodo ullo argumento conſervatio purioris & ſanctioris doctrinæ oſtendi poterit? Nunquid, ipſo fatente Adverſario, antiquiores Patres occaſione enatarum hæreſum ad Eccleſias *Matrices*, ad *ſucceſſionem Epiſcopalem* appellarunt, provocarunt (h)? 3tio, habent principaliores Eccleſiæ ſuos Catalogos, in quibus ſeriem, acta & geſta Epiſcoporum accurate deſcripta legimus, quos eſſe ſinceros & genuinos ferme omnium Sæculorum Scriptores agnoverunt, quin unquam alicujus falſitatis convinci potuerint. Quod ſi ergo his ſuam fidem denegabimus, nihil tutum, nihil certum erit in tota Hiſtoria. Neque opus eſt tot disquiſitionibus Chronologicis, & Criticis ſæpe ſuperfluis non raro ex oſtentatione; ſæpe inani novitatis pruritu, vel odio Religionis & veritatis provenientibus: His enim ſi nimium indulgeamus, brevi Pyrrhonismus

Refutantur argumenta Pfaffii.

Succeſſio doctrinalis ex perſonali & locali demonſtratur.

(g) Ajunt enim Proteſtantes, Sacerdotium eſſe omnibus commune, & omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes.

(h) Vid. ipſe Pfaffius art. 2. ubi plures adducit textus Patrum, ſpecialiter Irenæi l. 3. c. 3. N. 1. adverſ. hæreſ. dicentis: *Habemus enumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt.* Et Tertulliani de Præſcript. c. 32. ſcribentis: *edant ergo origines ſuarum Eccleſiarum: evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita ut per ſucceſſiones ab initio &c.*

niſmus intrabit in orbem univerſum, & vacillabit fides omnium hiſtoriarum. 4to. Eſto innumera ſchismata ſciderint Sedem Romanam; varia, eaque enormia prorſus crimina infecerint Sedem Apoſtolicam; plures intruſi fuerint Pſeudo-Pontifices; diutius aliquando vacaverit Sedes Romana; & inde ſcandala publica redundaverint in Eccleſiam univerſam, anne propterea *ſucceſſionem legitimam* Pontificum defeciſſe dicemus? Sceptrum Judæ non fuit a Judæa ablatum, licet peſſimi Reges rexerint Rempublicam Hebraicam. Conſervantur jura Regnorum, & ſucceſſio legitima Regum, licet frequenter extrema vi invadantur, injuſti invaſores intrudantur, & legitimi Succeſſores ad tempus Regno, Sceptro, & Regalibus exuantur. Certe neminem in omni hiſtoria ita peregrinum eſſe exiſtimamus, qui ignoret in mediis tenebris Eccleſiæ affulſiſſe veritatem, in mediis fluctibus naviculam Petri a naufragio mirabiliter fuiſſe conſervatam, ſchismata omnia curante extraordinaria DEI Providentia extincta, ſchismaticos confuſos, injuſtos invaſores turpiſſime univerſo orbi factos ludibrio. Aliud eſt ceſſare ſucceſſionem, & aliud ad tempus non adeſſe ſucceſſorem; aliud Sedem Petri deſinere, & aliud ad tempus vacare.

Opus Divinæ Providentiæ eſt conſervatio Eccleſiæ.

Atque hoc ipſum eſt, quod velut opus ſingularis Providentiæ bono Eccleſiæ invigilantis adorare debemus, quod, licet Hæretici Acheronta contra illam moverint, Schismatici turmatim eam invaſerint, Reges & Principes ſchismata foverint, & promoverint, nihilominus nec portæ inferi adverſus eam prævalere potuerint. Fidelis nempe DEUS eſt in ſervandis promiſſis ſuis: *Ego pro te oravi, Petre, ut non deficiat fides tua &c. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Portæ non prævalebunt adverſus eam* (i). De intentione hactenus non multum fuit ſolicita Eccleſia, quamquam illam ſemper requiſiverit. Supremi Numinis eſt infallibilem ſuam aſſiſtentiam, atque indefectibilitatem ſuæ Eccleſiæ promittentis in ſimilibus providere. Et quid ſi quis ſententiam graviſſimorum Theologorum, quam Synodus Tridentina neutiquam damnavit, amplectatur, quod valeat Sacramentorum adminiſtratio etiam cum retentione intentionis facta (k)? De impoſitione manuum ab ipſis Apoſtolis certe ex mandato Chriſti, & poſthac ſemper ab Eccleſia adhibita paſſim ſcribunt noſtri Theologi, ad quos Adverſarium remittimus, qui certe nunquam probabit, quod Eccleſia ritus ſuos ſubſtantiales mutaverit: licet hinc inde ritus quosdam eſſe-

(i) Luc. 22. v. 32. Matth. 18. Matth. 16. v. 18.

(k) Vid. Caſpar. Juenin in Comment. Hiſtor. de Sacram. Diſſertat. 1. quæſt. 5. cap. 2. art. 3.

effectuum Sacramentalium magis expreſſivos vel addiderit, vel anteriores alteraverit (l).

§. VII.

Catalogus Pontificum.

Pro aliquali notitia Diſcipulis noſtris apprime neceſſaria liceat jam pertexere Catalogum Pontificum, qui hactenus rexerunt Eccleſiam addito ſingulis anno æræ Chriſtianæ vulgaris, quo ex mente meliorum Chronologorum ſuum Pontificatum inceperunt. Deprompſimus illum ex obviis Authoribus, quin de accuratiori Chronologia multum ſoliciti fuerimus.

1. S. Petrus	A. C.	25. Sixtus II.	257
2. Linus (m)	65	26. Dionyſius	259
3. Cletus	67	27. Felix I.	269
4. Clemens	77	28. Eutychianus	275
5. Anacletus	83	29. Cajus	283
6. Evariſtus	95	30. Marcellinus	296
7. Alexander I.	108	31. Marcellus	308
8. Sixtus I.	116	32. Euſebius	310
9. Teleſphorus	126	33. Melchiades	310
10. Hyginus	137	34. Silveſter	314
11. Pius I.	141	35. Marcus	336
12. Anicetus	151	36. Julius	337
13. Soter	161	37. Liberius	352
14. Eleutherius	170	38. Felix II.	355
15. Victor	185	39. Damaſus	366
16. Zephyrinus	197	40. Siricius	384
17. Calliſtus I.	217	41. Anaſtaſius I.	398
18. Urbanus I.	222	42. Innocentius I.	401
19. Pontianus	230	43. Zoſimus	417
20. Anterus	235	44. Bonifacius I.	418
21. Fabianus	236	45. Cœleſtinus	422
22. Cornelius	251	46. Sixtus III.	432
23. Lucius	252	47. Leo I.	440
24. Stephanus I.	253	48. Hilarius	461

49. Sim-

(l) E. g. in Collatione Ordinum porrectionem inſtrumentorum retenta utique impoſitione manuum ſemper adhiberi conſueta.

(m) Alii Scriptores poſt S. Petrum immediate ponunt Clementem; alii Linum, Clementem, & tunc Cletum.

49. Simplicius	468
50. Felix III.	483
51. Gelaſius	492
52. Anaſtaſius II.	496
53. Symmachus	498
54. Hormisdas	514
55. Joannes I.	523
56. Felix IV.	526
57. Bonifacius II.	530
58. Joannes II.	532
59. Agapetus	535
60. Silverius	536
61. Vigilius	537
62. Pelagius I.	555
63. Joannes III.	560
64. Benedictus I.	574
65. Pelagius II.	578
66. Gregorius M. I.	590
67. Sabinianus	604
68. Bonifacius III.	607
69. Bonifacius IV.	608
70. Deusdedit	615
71. Bonifacius V.	619
72. Honorius I.	625
73 Severinus	640
74. Joannes IV.	640
75. Theodorus	642
76. Martinus I.	649
77. Eugenius I.	654
78. Vitalianus	657
79. Adeodatus	672
80. Donus I.	676
81. Agatho	678
82. Leo II.	682
83. Benedictus II.	684
84. Joannes V.	685
85. Conon	686
86. Sergius I.	687
87. Joannes VI.	701
88. Joannes VII.	705
89. Siſinnius	708
90. Conſtantinus	708
91. Gregorius II.	715
92. Gregorius III.	731
93. Zacharias	741
Stephanus tantum Electus.	752
94. Stephanus II.	752
95. Paulus I.	757
Conſtantinus Antip.	767
96. Stephanus III.	768
97. Hadrianus I.	772
98. Leo III.	795
99. Stephanus IV.	816
100. Paſchalis	817
101. Eugenius II.	824
102. Valentinus	827
103. Gregorius IV.	827
104. Sergius II.	844
105. Leo IV.	847
106. Benedictus III.	855
107. Nicolaus I.	855
108. Hadrianus II.	867
109. Joannes VIII.	872
110. Martinus II.	882
111. Hadrianus III.	884
112. Stephanus V.	885
113. Formoſus	891
114. Bonifacius VI.	896
115. Stephanus VI.	896
116. Romanus	897
117. Theodorus II.	898
118. Joannes IX.	898
119. Benedictus IV.	900
120. Leo V.	903
121. Chriſtophorus	903
122. Sergius III.	904
123. Anaſtaſius III.	911
124. Lando	913

125. Joan-

125.	Joannes X.	914
126.	Leo VI.	928
127.	Stephanus VII.	929
128.	Joannes XI.	931
129.	Leo VII.	936
130.	Stephanus VIII.	939
131.	Martinus III.	942
132.	Agapetus II.	946
133.	Joannes XII.	956
	Leo VIII. Antip.	963
134.	Benedictus V.	964
135.	Joannes XIII.	965
136.	Benedictus VI.	972
	Bonifacius Antipapa.	
137.	Donus II.	974
138.	Benedictus VII.	975
139.	Joannes XIV.	984
	Joannes Roberti filius Electus	
140.	Joannes XV. al. XVI.	985
141.	Gregorius V.	996
	Joannes XVI. al. XVII. Antip.	997
142.	Silveſter II.	999
143.	Joannes XVII. al. XVIII.	1003
144.	Joannes XVIII. al. XIX.	1003
145.	Sergius IV.	1009
146.	Benedictus VIII.	1012
147.	Joannes XIX, al. XX.	1024
148.	Benedictus IX.	1033
	Silveſter Antip.	1044
149.	Gregorius VI.	1044
150.	Clemens II.	1046
151.	Damaſus II.	1048
152.	Leo IX.	1049
153.	Victor II.	1055
154.	Stephanus IX.	1057
	Benedictus X. Antip.	1058
155.	Nicolaus II.	1058
156.	Alexander II.	1061
157.	Gregorius VII.	1073
158.	Victor III.	1086
159.	Urbanus II.	1088
160.	Paſchalis II.	1099
161.	Gelaſius II.	1118
	Gregorius Antip.	1118
162.	Calliſtus II.	1119
163.	Honorius II.	1124
164.	Innocentius II.	1130
	Anacletus Antip.	1130
	Victor Antip.	1138
165.	Cœleſtinus II,	1143
166.	Lucius II.	1144
167.	Eugenius III.	1145
168.	Anaſtaſius IV.	1153
169.	Hadrianus IV.	1154
170.	Alexander III.	1159
	Victor Antip.	1159
	Paſchalis Antip.	1164
	Calliſtus Antip.	1167
	Innocentius Antip.	1178
171.	Lucius III.	1181
172.	Urbanus III.	1185
173.	Gregorius VIII.	1187
174.	Clemens III.	1187
175.	Cœleſtinus III.	1191
176.	Innocentius III.	1198
177.	Honorius III.	1216
178.	Gregorius IX.	1227
179.	Cœleſtinus IV.	1241
180.	Innocentius IV.	1243
181.	Alexander IV.	1254
182.	Urbanus IV.	1261
183.	Clemens IV.	1265
184.	Gregorius X.	1271
185.	Innocentius V.	1276
186.	Hadrianus V.	1276
	Vicedominus Electus	1276

187.	Joannes XX. al. XXI.	1276
188.	Nicolaus III.	1277
189.	Martinus IV.	1281
190.	Honorius IV.	1285
191.	Nicolaus IV.	1288
192.	Cœleſtinus V.	1294
193.	Bonifacius VIII.	1294
194.	Benedictus XI.	1303
195.	Clemens V.	1305
196.	Joannes XXI. al. XXII.	1316
	Nicolaus Antip.	1328
197.	Benedictus XII.	1334
198.	Clemens VI.	1342
199.	Innocentius VI.	1352
200.	Urbanus V.	1362
201.	Gregorius XI.	1370
202.	Urbanus VI.	1378
	Clemens Antip.	1378
203.	Bonifacius IX.	1389
	Benedictus Antip.	1394
204.	Innocentius VII.	1404
205.	Gregorius XII.	1406
206.	Alexander V. 1409	Hi duo plerumque numerantur inter legitimos Pontifices.
207.	Joañes XXIII. 1410	
208.	Martinus V.	1417
	Clemens Antip.	1424
209.	Eugenius IV.	1431
	Felix Antip.	1439
210.	Nicolaus V.	1447
211.	Calliſtus III.	1455
212.	Pius II.	1458
213.	Paulus II.	1464
214.	Sixtus IV.	1471
215.	Innocentius VIII.	1484
216.	Alexander VI.	1492
217.	Pius III.	1503
218.	Julius II.	1503
219.	Leo X.	1513
220.	Adrianus VI.	1522
221.	Clemens VII.	1523
222.	Paulus III.	1534
223.	Julius III.	1550
224.	Marcellus II.	1555
225.	Paulus IV.	1555
226.	Pius IV.	1559
227.	Pius V.	1566
228.	Gregorius XIII.	1572
229.	Sixtus V.	1585
230.	Urbanus VII.	1590
231.	Gregorius XIV.	1590
232.	Innocentius IX.	1591
233.	Clemens VIII.	1592
234.	Leo XI.	1605
235.	Paulus V.	1605
236.	Gregorius XV.	1621
237.	Urbanus VIII.	1623
238.	Innocentius X.	1644
239.	Alexander VII.	1655
240.	Clemens IX.	1667
241.	Clemens X.	1670
242.	Innocentius XI.	1676
243.	Alexander VIII.	1689
244.	Innocentius XII.	1691
245.	Clemens XI.	1700
246.	Innocentius XIII.	1721
247.	Benedictus XIII.	1724
248.	Clemens XII.	1730
249.	Benedictus XIV.	1740
250.	CLEMENS XIII.	1758

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Quæſtio hic examinanda eſt nova.

Cum ſucceſſio Pontificum in genere ad fidem pertineat, & fide Divina credendum ſit ad finem usque mundi fore viſibile Caput Eccleſiæ, haud paucorum Theologorum ingenia vexat ea quæſtio, num ad fidem pertineat hæc propoſitio: *Hic aut ille eſt verus Romanus Pontifex, Vicarius Chriſti, & Succeſſor Petri.* Nova ſane hæc eſt quæſtio, de qua altum ſilent Patres, & antiquiores Theologi. Sunt, qui eam immediate; ſunt, qui mediate credendam cenſeant: neutram ſententiam hucusque Eccleſia ſuo calculo approbavit. Exiſtimamus deciſionem hujus quæſtionis principaliter dependere a deciſione alterius, & quidem duplicis quæſtionis univerſalis, quibus quæritur 1mo, an *concluſio Theologica* ex duabus propoſitionibus, quarum una eſt de fide, & altera phyſice, vel moraliter certa, legitime deducta conſtituat *objectum materiale* fidei, & dogma quoddam fidei particulare illis ſaltem credendum, quibus talis concluſio ſufficienter eſt explicata (n). 2do Et principaliter, an & quomodo propoſitiones particulares in propoſitionibus univerſalibus contentæ, in ſe vero clare & diſtincte non revelatæ fide Divina credi debeant? Exemplum prioris ponunt in hac propoſitione: *Chriſtus eſt riſibilis*, quæ deducitur ex his duabus propoſitionibus: *Omnis homo eſt riſibilis: Chriſtus eſt homo: ergo riſibilis.* Jam ajunt, propoſitio major eſt phyſice certa, altera omnino de fide: ergo etiam concluſio: *Chriſtus eſt riſibilis* erit de fide illi ſaltem, cui connexio concluſionis cum præmiſſis erit ſufficienter explicata. Exempla poſterioris dant ſequentia: *Omnis Pontifex legitime electus eſt verus Succeſſor Petri: ergo Clemens XIII. eſt verus Succeſſor Petri.* Item *omne Concilium legitime congregatum & celebratum eſt infallibile: ergo Concil. Trident. eſt infallibile. Omnis hoſtia rite conſecrata eſt adoranda: ergo hæc numero hoſtia adoranda erit. Omnis infans legitime baptizatus eſt immunis a peccato originali: ergo hic numero infans taliter immunis erit.*

Illius deciſio dependet a deciſione aliarum quæſtionum.

Utrum concluſio Theologica pertineat ad fidem?

Prior quæſtio non eſt tanti momenti & rarius occurrit, nobisque opinio, quæ tales concluſiones ad certitudinem fidei elevat, ſemper viſa fuit minus probabilis: tum quod ad dogma fidei indiſpenſabiliter

(n) Notanter dicunt: *Dogma particulare*, quale foret, ſi DEUS homini privato doctrinam aliquam revelaret, quam Eccleſiæ non revelavit. Non enim poſſunt dicere tales concluſiones eſſe dogma univerſale: cum deſit declaratio neceſſario requiſita ad univerſalitatem dogmatis: & quia alias contrarium ſentientes dicendi forent hæretici.

Digitized by Google

requiratur, ut ſit *immediate* revelatum: id quod de concluſionibus ſimilibus dici nequit, hoc ipſo, quod tanquam proprietates ex eſſentia fluant, & ſaltem virtualiter (ut Scholæ loqui amant) diſtinguantur: tum quod eſſentia abſolute loquendo poſſit eſſe ſine proprietatibus, & ſic certitudo illa phyſica ſit inferior, & quodammodo deprimat omnimodam certitudinem metaphyſicam ad dogma fidei requiſitam. Exciperemus caſum, quo ipſa etiam proprietas eſſet immediate revelata (o).

Num particulares in Univerſalibus contenta? Longe majoris momenti & ferme quotidiana eſt altera quæſtio, prout ex allatis exemplis conſtat: nam, ut ajunt, niſi tales propoſitiones particulares fide Divina eſſe credendas dicamus, quamplurima dogmata fidei periclitabuntur, actum erit de infallibilitate Conciliorum & Pontificum, de veritate plurium dogmatum, de ſucceſſione Pontificum &c. plura alia graviſſima mala Eccleſiæ erunt pertimeſcenda, ut infra audiemus.

Diverſæ ſunt Authorum ſententiæ. In enucleanda hac quæſtione mirum in modum ſe torquent Doctores Theologi. Quidam abſolute cenſent tales propoſitiones neutiquam pertinere ad fidem: cum a DEO non ſint immediate revelatæ, & illarum veritas dependeat a variis circumſtantiis, quæ facile fallere poſſunt (p). Alii diſtinguunt inter propoſitiones univerſales, quarum aliquæ revelantur propter particulares; aliæ vero ex alio fine. Exemplum ponunt in his duabus propoſitionibus: *Omnis legitime electus eſt verus Succeſſor Petri*, & in hac: *Omnis infans legitime baptizatus eſt immunis a peccato originali.* Prior propoſitio non tam propter ſe, quam propter hanc particularem: *Hic vel ille Pontifex eſt legitimus Succeſſor Petri*, eſt revelata; altera vero non tam propter hanc particularem: *Ergo hic infans eſt immunis a peccato originali*, quam in ordine ad demonſtrandam efficaciam & virtutem Baptiſmatis. Alii aliter diſtinguunt dicentes dari propoſitiones univerſales, in quibus particulares tanquam

(o) Sicut in hac propoſitione: *Omnis homo habet voluntatem propriam: ſed Chriſtus fuit homo: ergo habuit voluntatem propriam.* Nam duplex in Chriſto voluntas hinc inde legitur eſſe revelata in Scripturis e. g. Luc. 22, verſ. 24. per verba: *Non mea ſed tua fiat voluntas.*

(p) E. g. Hæc propoſitio: *Hic vel ille numero Pontifex eſt verus Succeſſor Petri*, dependet ab eo, an talis ſit rite baptizatus, ordinatus, & electus, an nihil contra formam electionis actum fuerit &c. Hujus opinionis ſunt Turrecremata lib. 4. ſummæ part. 2. cap. 9. Cajetanus 2. 2. q. 1. art. 3. Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 2. ad 2. 9.

quam *partes in toto* ita continentur, ut ſine reſpectu ad has vel illas circumſtantias hæc continentia primo mox intuitu cognoſcatur. Tali modo, ajunt, hæc propoſitio: *Ergo DEUS Petrum vult ſalvum*, continetur in hac propoſitione: *DEUS vult omnes homines ſalvos facere.* Sunt aliæ univerſales, in quibus particulares tali modo non continentur, ita ut illarum incluſio aliter cognoſci non poſſit, niſi expendantur variæ extrinſecæ & contingentes circumſtantiæ, a quibus dependent: tales propoſitiones ſunt illæ *de infante baptizato*, & *de hoc vel illo Pontifice electo.* Eſto enim utraque contineatur ſub univerſali: *Omnis infans &c. omnis legitime electus &c*, iſta tamen incluſio vi univerſalis huic vel illi individuo applicatæ non mox ſe manifeſtat: niſi ad varias circumſtantias fallibiles fiat reflexio, adeoque medium aliquod fallibile in adjutorium aſſumatur. Nam ut dictæ propoſitiones dici poſſint contineri in ſuis univerſalibus, debet in prima propoſitione conſtare de *materia* & *forma Baptiſmi* debite applicata, de *intentione Miniſtri &c.* in altera vero, quod hic vel ille Pontifex ſit *Mas*, *baptizatus*, *legitime electus*, & *ordinatus.* Jam ajunt, prioris generis propoſitiones ſunt de fide, hoc ipſo quod ſint partes: quia una cum toto immediate etiam revelari partes neceſſe eſt: cum ſine partibus totum eſſe vel cognoſci nequeat, Inde manifeſtum ſequitur diſcrimen inter hanc propoſitionem *Chriſtus eſt riſibilis;* & iſtam: *Petrum vult ſalvum facere:* prior enim continetur in univerſali tanquam proprietas in ſua eſſentia ſaltem virtualiter indiſtincta *identice* tantum; altera tanquam pars in toto non tantum *identice*, ſed etiam *formaliter*, ut loquitur Tournelius (q). Econtra poſterioris generis propoſitiones particulares nullo modo ad fidem pertinent: hoc ipſo quod a circumſtantiis fallibilibus dependeant, niſi alio quodam principio ſuperiori & infallibili ſuſtententur, quale foret *pacifica acceptatio univerſalis Eccleſiæ.* Et hinc dicunt, quod hæc propoſitio: *hic vel ille Pontifex &c.* ſit de fide, quia eſto dependeat a principio fallibili, nempe a variis circumſtantiis *Baptiſmi*, *Electionis*, *Ordinationis*, alio tamen infallibili principio nempe *acceptationis univerſalis Eccleſiæ*, quæ falli nequit, ſuffulcitur. Atque hæc diſtinctio & applicatio nobis videtur omnino probabiliſſima, & ad varia difficultates & quæſtiones reſolvendas aptiſſima (r).

 Alii

(q) In Appendice ad loca Theologica pag. mihi 186. edit. Colonien. ubi pro hac ſententia citat Panormo, Gravina, Cardin. de Laurea.

(r) E. g. poſſumus dare rationem, cur e. g. hæ propoſitiones (ſaltem ex probabili ſenten-

Alii aliter diſcurrunt, quorum tamen principia diſcutere non vacat (s).

Examinatur quæſtio principalis de hoc vel illo Pontifice in individuo. Eſſe de fide multis argumentis oſtenditur.

Ad principalem quæſtionem veniamus, & utriusque ſententiæ fundamenta audiamus. Qui præfatam propoſitionem *de hoc vel illo Pontifice* immediate ad fidem pertinere exiſtimant, duabus præcipue ducuntur rationibus, quarum prima in eo conſiſtit, quod propoſitio particularis, qualis eſt hæc: *hic vel ille Pontifex eſt legitimus Succeſſor*, includatur in hac univerſali: *Omnis legitime electus Pontifex eſt verus Succeſſor Petri*; ferme eo modo, quo propoſitio, qua dicimus: *Salomon peccavit in Adam*, includitur in hac: *omnes homines peccaverunt in Adam*: ergo utraque erit immediate revelata, & hoc ipſo de fide. Et quamquam propoſitio intermedia, alterius univerſalis applicativa, hæc nempe: *ſed hic eſt legitime electus*, dependeat a circumſtantiis extrinſecis non undequaque certis: quia tamen eſt ſuffulta alio ſuperiori ordinis principio infallibili, hoc nempe, quod electus Pontifex *ut talis* a tota Eccleſia agnoſcatur, & ipſa electio approbetur, conſurgit in vim principii infallibilis, & tali modo refundit infallibilitatem in propoſitionem particularem: *ergo hic numero Pontifex eſt legitimus Succeſſor Petri*, & verum erit dicere, quod una cum hac univerſali: *omnis legitime electus &c.* etiam altera particularis: *hic vel ille &c.* ſit revelata, licet hæc propoſitio revelata usque nunc veluti ſub modio latuerit ferme eo modo, quo aliæ propoſitiones fidei, quas Eccleſia poſt plura Sæcula occaſione exurgentium hæreſum credendas declaravit (t). Atque hac ratione ſolvitur præcipua difficultas in ſimilibus quæſtionibus occurrens,

ſententia) *hic vel ille numero Pontifex eſt legitimus Succeſſor; hoc vel illud Concilium fuit legitimum*, ſint de fide; non vero ſequentes: *hæc hoſtia eſt adoranda, hic infans eſt immunis a peccato originali.* Licet enim in eo conveniant, quod in univerſalibus contineantur, & a particulari fallibili applicante dependeant e. g. ab hac: *ſed iſte eſt legitime electus, hæc hoſtia eſt legitime conſecrata*, priores tamen ſuſtentantur ſublimiori quodam infallibili principio *univerſalis acceptationis Eccleſiæ*: id quod de poſterioribus dici nequit.

(s) Vid Tournelius loc. cit.

(t) E. g. hæc propoſitio: *in Chriſto ſunt duæ voluntates*, ſemper fuit revelata ſed non niſi occaſione hæreſis Monothelitarum tanquam dogma fidei declarata. Similiter hæ propoſitiones: *Sancti ſunt colendi, uſus imaginum eſt licitus, datur tranſubſtantiatio* ſemper fuere revelatæ, at primum poſt longum tempus contra Hæreticos e. g. Iconoclaſtas, Berengarianos, Petrobruſianos ad credendum propoſitæ.

rens, quæ in eo eſt poſita, quod non dentur in Eccleſia novæ revelationes, ſed omnes prorſus veritates a Chriſto ſint revelatæ: ne dicere cogamur, quod Chriſtus ſuæ Eccleſiæ mancam, & mutilam reliquerit doctrinam (u). Altera ratio eſt ſequens: niſi enim fide certi ſimus de hoc numero Pontifice legitime electo, qua ratione demonſtrare poterimus exiſtentiam Capitis viſibilis in Eccleſia, adimpletionem Promiſſionis Chriſti: *tu es Petrus*, legitimam ſucceſſionem Pontificum ad nos usque traductam: eo quod de nullo Pontifice certo ſciamus juxta adverſa principia, an fuerit legitimus Pontifex? An non nutabit Eccleſia, Fides, & Religio? Dubitare ergo licebit de Decretis Pontificum ad dogma pertinentibus, in dubium vocare electionem eorum, ſententias ipſorum repudiare. Hæc quam periculoſa ſint, quis non videat?

Sed pars adverſa non minus ingenti argumentorum apparatu inſtructa incedit: dicit enim 1mo, non ſat evidenter evidentia fidem Divinam operante conſtare de illa ipſa propoſitione univerſali: *omnis legitime electus eſt verus Succeſſor Petri;* an ſit a DEO revelata: cum adhuc dubium ſit, an electio ſit Juris Divini (x)? Neque ſeu per Scripturam ſeu per Traditionem revelatum ſit, quod Succeſſores Petri per viam Electionis ad Sedem Pontificiam ſublimari debeant. Imo negotium Electionis ſubſtare humanæ directioni, regulis, & circumſtantiis fallibilibus, ac mutationibus, atque revera hinc inde ab Eccleſia quoad formam eſſe alteratum, ac mutatum aliunde conſtare. Si hoc verum eſt, & ipſa propoſitionis univerſalis fides vacillat, qua ratione propoſitioni particulari ſua ſtabit firmitas, infallibilitas, & revelatio Divina? Dicit 2do, multo minus evidenter conſtare, quomodo in propoſitione univerſali, eſto hæc ſit immediate revelata, includatur propoſitio particularis immediate quoque revelata: cum hæc propoſitio particularis inde firmiſſime deduci; vel tanquam intime incluſa cognoſci nequeat, niſi in adjutorium aſſumatur alia propoſitio intermedia, pariter incerta, & dubia, nempe ſequens: *ſed hic eſt legitime electus*, quam nemo ad fidem pertinere dixerit. Et quomodo jam ad fidem pertinebit propoſitio, quæ inde conſequitur? Igitur, licet detur, quod propoſitio univerſalis: *omnis legitime electus &c.* ad fidem ſpectet, illa tamen propoſitio

Contrarium oſtenditur.

(u) Ferme omnes Theologi docent, quod non dentur novæ revelationes in Eccleſia, & ſic, quando Eccleſia aliquid de novo definit, Eccleſiæ non ſit nova revelatio, ſed ipſa ſolummodo dogma revelatum declarat.

(x) Vid. dicta ſuperius §. IV.

Digitized by Google

tio intermedia, & applicativa propoſitionis univerſalis ad particularem, utpote fallibilis, incerta, & dubia impediet, quo minus propoſitio particularis evidenter in ea incluſa, vel infallibili conſequentia ex ea deducta dici valeat. Neque illa pacifica acceptatio univerſalis Eccleſiæ infallibilitatem & evidentiam ſive in unam ſive in alteram propoſitionem particularem deductivam, vel deductam influere poteſt: quia non conſtat, utrum Eccleſia per modum dogmatis illam propoſitionem: *hic eſt legitime electus* acceptet, & fide Divina credat, electionem hujus vel illius Pontificis eſſe legitime peractam: cum Eccleſiæ ſatis ſit de legitima Electione habere certitudinem moralem, ut mox dicetur. Dicit 3tio, apertius oſtendendum fore, an non revelatio nova contra mentem plerorumque Theologorum in Eccleſia admittatur, ſi hæc propoſitio: *hic, vel ille &c.* immediate a DEO eſſe revelata dicatur: duplex enim ſolummodo datur revelatio, quarum una reſpicit veritates æternas, & facta DEI ac hominum jam conſummata; altera vero facta quædam in Eccleſia conſummanda. Jam revelatio iſta non poteſt reduci ad priora, uti clarum eſt; nec ad poſteriora: alias enim Spiritus S. prædicere & revelare debuiſſet, e. g. Clementem, vel Benedictum fore legitime eligendos; ſed ubinam hoc prophetice prædixiſſe legitur? Quod ſi vero dicatur, præfatam propoſitionem: *hic vel ille &c.* eſſe immediate revelatam una cum propoſitione univerſali, in immenſum abibit eorum numerus, quæ impoſterum erunt credenda (y). Affert 4to, crudele exemplum Stephani VII. qui Formoſum legitimum Pontificem ab univerſa Eccleſia ſuſceptum exhumari, per urbem circumduci, & in Tyberin projici curavit, & e Catalogo legitimorum Pontificum expunxit: & tamen nemo hactenus Stephanum Hæreticis adſcripſit, aut falſum dogma e Cathedra propoſuiſſe credidit, neque ipſa Eccleſia hactenus inter hæreticos recenſuit illos, qui illam propoſitionem: *hic, vel ille &c.* non eſſe immediate de fide ſcripſerunt, & docuerunt. Neque, dicit 5to, Eccleſiæ ullum metuendum eſſe periculum ex illis, quorum ſupra fuit facta mentio: ſatis enim eſt, quod habeatur certitudo moralis, cui ſine temeritate, & præſumpta hæreſi contradici nequit: Hac enim ratione ipſa dogmata erunt in ſalvo. Stat enim dogma fidei (idem dicendum de aliis) de colendis parentibus, de obedientia

Factum Stephani VII. examinatur.

(y) E. g. hunc vel illum Sanctum Canoni Sanctorum adſcriptum regnare in cœlis, Archi-Epiſcopum Pariſienſem eſſe legitimum Epiſcopum, ſingulas hoſtias populo exhibitas continere verum Corpus Chriſti &c. ita ratiocinatur Ludov. Murat. in Opuſc. de Ingen. moder. lib. 1. cap. 18.

dientia Superioribus præſtanda, etſi fides non doceat, hos vel illos eſſe legitimos Parentes, vel Superiores. Profecto ſi in ſimilibus revelationem vel fidem Divinam deſideremus, actum erit non tantum de Eccleſia, ſed etiam de tota hujus Univerſi Republica. In hunc ferme modum diſcurrit Ludov. Murat. (z) Ex quo multa depromſimus: non pauca tamen ex noſtris addidimus. Interim admittit præfatus Author, quod talis propoſitio ſalem mediate ad fidem pertineat: quatenus ille, qui illam negaret, dogmata fidei mediate læderet, ac illud præcipue, quod Chriſtus peculiari providentia regat Eccleſiam, eique in neceſſariis non deſit. *In ſimilibus non requiritur revelatio Divina.*

CAPUT II.

De authoritate & poteſtate Pontificis qua Primatis & Legislatoris.

§. I. *Quænam ſint præcipuæ controverſiæ de authoritate & poteſtate Pontificia?* II. *Quandonam potiſſimum hæ controverſiæ moveri cœperint?* III. *Modeſte diſſeritur de poteſtate Pontificis qua Primatis, in ſpecie de authoritate & ſuperioritate illius in Conciliis remiſſive.* IV. *De Infallibilitate in decidendis dogmatibus fidei;* V. *Reſolvendis quæſtionibus facti & juris;* VI. *Qualificandis propoſitionibus;* VII. *Ferendis legibus univerſalibus pro tota Eccleſia diſciplinam Eccleſiaſticam concernentibus.* VIII. *De Poteſtate directa vel indirecta in Reges & Principes & bona illorum;* IX. *Item in electionibus & confirmationibus Epiſcoporum & collationibus beneficiorum.*

§. I.

Controverſiæ de poteſtate, authoritate & Jurisdictione Pontificis moveri conſuetæ, & potiſſimum a Theologis Scholaſticis excogitatæ hodie ſunt innumeræ, ut vix in numerum cogi poſſint. Ex his præcipuæ ſunt illæ, quas ad init. hujus Capitis recenſuimus, & nunc non nihil accuratius diſcutiemus: de *Superioritate ſupra Concilia*, *infallibilitate*, & *poteſtate illius ſeu directa ſeu indirecta in Reges & Principes.* Jam a tribus *Recenſentur præcipuæ controverſiæ de poteſtate Pontificis ab aliquot ſæculis potiſſimum agitatæ.*

(z) Vid. cit. Auth. loc. cit.

a tribus & ultra Sæculis ingenti animorum contentione hæ quæſtiones inter DD. Gallos præcipue & Italos agitantur. Itali cum Germanis pro Superioritate, Infallibilitate, & ſuprema Authoritate Pontificis; Galli econtra pro ſuis libertatibus Gallicanis (a), iuribus ſuorum Regum, obſervantia antiquorum Canonum Eccleſiæ usque nunc zelarunt. Quos motus controverſiæ iſtæ in Eccleſia excitaverint, qui libri deſuper editi, quis ſatis edicat? & certe in hodiernum usque diem controverſiæ iſtæ mirum in modum DD. colliſos tenent, ut vix ulla ſit quæſtio, quæ majori fervore, zelo, ac ſtudio agitatur, ac iſtæ.

Ha controverſia non ſine prædominante affectu agitantur.

Utraque pars ingenti argumentorum ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis præcipue depromptorum apparatu incedit. Ducuntur non pauci inani ſuperbiæ vento, putantes ſe locum inter hodiernos Eruditos non mereri, niſi contra Pontificem egregie declament, illius poteſtatem e ſuo throno deponant, & ferme ad ima detrudant. Agitantur alii zelo prorſus indiſcreto, actum eſſe exiſtimantes de Eccleſiâ, Religione & Fide Catholica, niſi Pontificis authoritatem ſupra omnem poteſtatem extollant. Et hinc non raro contrarium ſentientes cenſuris etiam Theologicis perſtringere, varia fidei dogmata in ſuo intellectu cudere, & doctrinas nec a Chriſto revelatas, nec ab Eccleſia ad credendum propoſitas, quæ vix limites probabilitatis excedunt, multo minus apicem veritatis fidei attingunt, inſtar dogmatis & veritatis Evangelicæ plenis buccis deprædicare non erubeſcunt. Inter vindices poteſtatis Pontificiæ præter innumeros alios jure merito numerandi veniunt Cardin. Bellarminus in ſuo Tractatu contra Barclajum ſcripto; Card. Sfondrati in ſuo Regali Sacerdotio & Gallia vindicata; Cardin. de Aquirre; & noviſſime Math. Petitdidier. Celebriores Libertatum Gallicanarum vindices, & Pontificiæ poteſtatis impugnatores ſunt Joannes Gerſon, Richerius, Fervetus, Petrus de Marca, Launojus, Natal. Alexander, & celeberrimus Epiſcopus Meldenſis Benignus Boſſuet, contra quem noviſſi-

Defenſores poteſtatis Pontificiæ quinam?

Impugnatores illius.

(a) Libertates Gallicanæ ex mente Gallorum nihil ſunt aliud, *quam uſus Juris antiqui.* Eaque teſte Tournelio tract. de Eccleſ. Tom. 2. a. 2. in duobus verſantur capitibus. Primum eſt, quod Pontifex prorſus nihil poſſit in res Regum temporales, & ſubditos. Secundum, quod licet Pontifex in ſpiritualibus ſit ſupremus, poteſtas nihilominus illimitata in Gallia locum non habeat, ſed antiquioribus Eccleſiæ Canonibus, & Regulis in Gallia receptis coanguſtetur. Ex hoc duplici trunco, ait cit. Author, ſubnaſcuntur quidam ſurculi circa varia, quorum jure merito referimus doctrinas Gallorum de Superioritate, & Infallibilitate Pontificis.

Digitized by Google

noviſſime calamos ſtrinxerunt ſummæ eruditionis Viri Joſephus Orſi S. R. E. Cardinalis & Gallus Cartier &c.

Igitur jam in Gallia inſtar dogmatis inconcuſſi, quod nemini impugnare licet, habentur ſequentes doctrinæ in variis Comitiis Gallicanis ab Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, & Clero Gallicano celebratis, & a Parlamento Regio, ac ipſo Rege confirmatis, a Facultate etiam S. Pariſienſi, & ſingulariter ab ampliſſimo conſeſſu Epiſcoporum Galliæ Anno 1682. celebrato in ſuis, quas fecerunt declarationibus deciſæ, 1mo, quod Pontifex nec directam nec indirectam habeat poteſtatem in res Regum temporales, illorumque ſubditos, hosque nullo prætextu ab homagio Regibus præſtito abſolvere poſſit. 2do, Quod Pontifex non ſit ſupra Concilium, adeoque inſiſtendum decretis Concilii Conſtant, Seſſ. 4. & 5. 3tio, Quod non ſit infallibilis prævie ad conſenſum Eccleſiæ. 4to, Quod, cum Pontifex ſit executor Canonum Eccleſiæ, eispue omnino quodammodo ſubjectus, nihil poſſit diſponere, quod eſſet Canonibus antiquioris Eccleſiæ in Gallia receptis, & libertatibus Gallicanis contrarium. 5to, Quod Epiſcopis ſalva debeant eſſe ſua Jura; & ideo Pontifex non habeat immediatam Juriſdictionem in Diœceſes aliorum Epiſcoporum exceptis caſibus, in quibus illam ex longo uſu Eccleſiæ Gallicanæ exercere potuit. En! præcipuas controverſias de Authoritate Pontificis, quæ tot motus in Eccleſia excitarunt, integras Nationes inter ſe colliſerunt, & tot doctiſſimorum Virorum induſtriam provocarunt, quorum non pauci in præmium laborum ſuorum ſupremas dignitates Eccleſiaſticas; multi vero *Excluſivam* ab illis perpetuam reportarunt. (b).

Doctrinæ Gallorum de poteſtate Pontificis.

§. II.

De ortu, & progreſſu harum controverſiarum paucis videamus. Res aliunde nota eſt, quod ex uſu Theologiæ Scholaſticæ velut ex equo Trojano innumeræ prodierint quæſtiones, & controverſiæ, de quibus antiquior Eccleſia ne quidem ſomniavit. Inde factum eſt, ut lites & jurgia ſcholaſtica in immenſum accreſcerent numerum, quæ poſtea Scholas in plures Sectas diviſerunt, & integras Nationes, & Ordines colli-

Ortus & progreſſus controverſiarum.

U u 2

(b) Vid. Liber inſcriptus : *Les Loix Eccleſiaſtiques de France par Me lous de Hericourt, Premier Partie de la Juriſd. Eccleſ. chap. IV. du Pape.* Tournelius de Eccleſ. loc. cit. Author Anonymus libri de libert. Eccleſ. Gallic. Leodii An. 1689. editi.

Digitized by Google

colliſerunt. Pluſne utilitatis vel damni ex hujusmodi quæſtionibus in immenſum multiplicatis, ſæpe inanibus, & ad nihil ferme niſi ad clamoroſas diſputationes valentibus, aliquoties periculum errandi in dogmatibus certis, aut dogmata incerta pro certis vendendi occaſionem ſupeditantibus, in Eccleſiam redundaverit, aliis decidendum relinquimus.

Hæ controverſiæ olim ignotæ.

Sed ut ad ſcopum noſtrum veniamus, id nobis certum videtur, quod prædictæ quæſtiones de poteſtate Pontificis ſub iis terminis generalibus, ſub quibus hodie examinari ſolent, in Eccleſia primitiva nunquam in controverſiam venerint: ubinam enim, quando, vel qua occaſione diſputatum fuit de ſuperioritate ſupra Concilia & Infallibilitate Pontificis, & Poteſtate in Reges & Principes? Sane difficillimum eſt illud temporis punctum definire, quo hæ quæſtiones prima vice moveri cœperunt. Id unum ſcimus, quod tempore Concil. Conſtant. & Baſileenſis controverſia de Superioritate Pontificis ſupra Concilium ingenti animorum contentione fuerit agitata.

In Concil. Conſtant. motæ.

Ex mente Gallorum Eccleſia antiqua credidit Pontificem eſſe fallibilem.

Si Doctoribus Gallis fides adhibenda. tunc antiquior Eccleſia ipſorum ſententias tanquam certas ſuppoſuit, ſibique perſuaſiſſimum habuit, Pontificem eſſe fallibilem, & Conciliis inferiorem. Cum his apertiſſime ſentit van Eſpen, qui in brevi ſuo Commentario ad Decretum Gratiani (c) referens Decretum Gregorii III. vel ut Jacobus Sirmondus vult, Greg. II. in quo marito propter infirmitatem uxoris conceditur facultas nubendi (d), ſimul citat verba ipſius Gratiani dicentis, quod hoc Decretum ſacris Canonibus; imo Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ ſit adverſum: & demum concludit, inde manifeſte colligi, quod Gratianus fallibilitatem Pontificis in doctrinis fidei ſuppoſuerit. Pergit dein ulterius, opinionem Gratiani eo tempore fuiſſe communem Theologorum, & Canoniſtarum, quin ullus inter Decreta *Cathedratica*, & non *Cathedratica* Pontificis de Cathedra loquentis diſtinctionem fecerit, adeoque ſententiam hodiernam de Infallibilitate Pontificis eſſe novam, antiquiori Eccleſiæ adverſam, & ultimis noſtris temporibus adoptatam (e).

Tempore Gratiani ignorabatur diſtinctio inter Decreta Cathedratica & non Cathedratica.

Bellar-

(c) Ad 2. part. Decret. ad cauſ. 32. quæſt. 7. Can. 18.

(d) Verba Greg. ad Bonif. Epiſc. ſunt ſequentia: *Si mulier infirmitate corrupta non potuerit viro debitum reddere, quid ejus faciet jugalis?* & reſpondet: *bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret, ſed quia hoc magnorum eſt, ille, qui ſe non poterit continere, nubat magis &c.*

(e) Ibidem.

Bellarminus putat, controverſias iſtas cœpiſſe tempore Concilii Piſani, Conſtant. & Baſileenſis (f), cui ſe opponit Joan. Launojus aſſerens, quod PP. Concilii nunquam amplecti, multo minus decidere auſi fuiſſent ſententiam, quæ Pontificem Concilio ſubjicit, ſi hæc quæſtio tanquam nova moveri cœpiſſet (g). Chriſtianus Lupus originem quæſtionis de Infallibilitate Pontificis refert ad Sæc. 3. quo tempore cauſa de reiterando baptismo hæreticorum acerrime fuit agitata, & pertinaciter contra Stephanum Pontificem a SS. Cypriano & Firmiliano defenſa. Quis autem credat, quod Cyprianus & Firmilianus ſuæ opinioni tam pertinaciter adhæſuri fuiſſent, ſi in Pontifice Infallibilitatem ſuſpexiſſent? Inde factum eſt, ait, ut hæc opinio in totam Eccleſiam Orientalem dimanaverit. Id quod exinde probare contendit, eſt, quod Pelagiani a Pontifice damnati appellaverint ad Concil. Epheſin, non ex alia certe ratione, quam quod ſperarent judicium Pontificis fore reformandum: eo quod Epiſcopi Græci, qui hoc Concilium conſtituerunt, aliunde Pontificis Infallibilitatem negarent. Ex his jam apparet, certam Epocham ſtatui non poſſe, quandonam quæſtiones iſtæ moveri cœperint, neque ex antiquioribus Sæculis aliquid certi poſſe erui, & hoc ipſo prævalere opinionem, quæ has quæſtiones inter noviores, ultimis tribus Sæculis excuſas reponit.

Origo quæſtionis de infallibilitate Pontificis eſt incerta.

§. III.

Jam de ipſis his controverſiis in ſpecie, & quidem primitus de authoritate Pontificis in Conciliis agendum. Monemus autem prævie, quod in his controverſiis non tam noſtras, quam aliorum doctrinas pro utraque parte ſimus allaturi, non ex alio fine, quam ut diſcipuli noſtri ſciant diſtinguere inter album & nigrum, & non patiantur ſe præoccupari aliorum præjudiciis, qui in elevanda authoritate Pontificis prorſus ſunt exceſſivi, ſuas doctrinas mere probabiles, aut demus probabiliores

Agitur de poteſtate Pontificis ſupra Concilia.

(f) Rationem petit Bellarminus ex hiſtoria. Cum enim duo Pontifices Greg. XII. & Benedict. XIII. ſedentes in ſchismate Pontificatum deponere nollent, Cardinales Piſam ſeceſſerunt, & deliberarunt, an non invitis Pontificibus liceat convocare Concilium, & illos deponere. Ferme idem contigit in Concil. Conſtant. nam ubi Joan. XXII. clam a Concilio diſceſſit, tractare cœperunt Patres, an Concilium poſſit invitum Pontificem judicare. Controverſia crevit tempore Concilii Baſileenſis: quia enim Eugenius IV. Concilium diſſolvere volebat, quæſierunt PP. an teneantur obedire ipſi, vel Pontifex ipſis?

(g) Tom. 1. part. 1. epiſt. 10.

Digitized by Google

biliores, tanquam veritates Evangelicas venditant, contrarium ſentientes gravibus cenſuris perſtringunt, & ferme hæreticos faciunt, aut ſaltem de hæreſi ſuſpectos habent, timentes Eccleſiæ periculum, ubi non eſt, cæteroquin minime conſiderantes, quod aliquoties Eccleſiæ Catholicæ plus obſint, quam proſint, & Eccleſiam & ſe irriſioni Acatholicorum exponant, ſi in probationibus convincentibus deficiant, prout §. ult. hujus Capitis dicemus. An & quomodo Pontifici competat jus convocandi, præſidendi Conciliis, eaque confirmandi jam in 3. Quæſt. diximus (h). Expendamus jam argumenta Doctorum, quibus poteſtatem Pontificis ſupra Concilia vel defendunt, vel negant.

Argumenta, quibus ſuperioritas Pontificis ſupra Concilia probatur.

Ex Scriptura.

Affirmantes ſequentibus ducuntur rationibus: 1mo provocant ad Scripturam, ad verba Chriſti: *Tu es Petrus &c.* ergo reſpectu Eccleſiæ Pontifex ſe habet ut fundamentum, & fidelium cœtus velut ædificium: conſtat autem ratione & experientia, firmitatem ædificii a fundamento, & non contra pendere. Et nunquid Chriſtus his verbis prorſus emphatice locutus fuit? certe verba hæc, ſi corticem inſpiciamus, nihil aliud dicere volunt, quam hoc: *ſupra tuam, & non aliam authoritatem ædificabo Eccleſiam meam.* Ulterius dixit Chriſtus: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Claves iſtæ quid ſignificant, niſi ſupremam poteſtatem? Jam vero Petro. & non Eccleſiæ, vel Concilio dedit claves Chriſtus: Petrus ergo habet ſupremam poteſtatem, non Concilia. Et quid aliud Chriſtus Petro dare voluit per verba, ſingillatim ad ſolum Petrum directa: *quidquid ligaveris*, niſi ſupremam prorſus poteſtatem? Demum Chriſtus Petro commiſit curam ovilis per verba: *paſce oves meas* (i). Quis autem ignorat Paſtorem eſſe præpoſitum gregi? Monſtroſus foret ordo, ſi Paſtor a grege, & non grex a Paſtore regeretur. Nullibi legitur Chriſtus poteſtatem Conciliorum tam nervoſe, clare, & emphatice expreſſiſſe. Luſtremus enim loca Script., in quibus Conciliorum authoritas fundatur 1mo in illo Matth. 18. *Ubi duo vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* 2do In illo Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnia &c.* Ac 3tio Act. 15. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Sed num hi textus adeo ſunt prægnantes, tam emphatici, ſicut priores de poteſtate Pontificis? Nunquid hi textus varias ſuſtinent expoſitiones? & quidem primus aliunde nimis eſt generalis, & æque de Conciliis particularibus, ac univerſalibus poteſt intelligi. Et quid obſtat, quo minus textus magis in favorem Pontificis, quam Conciliorum exponi valeant? dicitur enim: *ibi ſum in medio*

(h) Cap. II. §. 2. & 3. (i) Joan. ult.

dio eorum nempe per Vicarium meum, id eſt per Pontificem. Neque certe ex eo, quod Patribus Conciliorum aſſiſtentia ſit promiſſa, Pontifici ſua erepta cenſeri debet præeminentia. Altera promiſſio in cit. textu Joan. 16. facta eſt non integro collegio Apoſtolorum, ſed etiam ſingulis diſtributive ſumptis. Tertius textus facillimæ eſt expoſitionis, ſi verba *viſum eſt nobis*, hoc modo intelligantur: viſum eſt nobis ſub legitimo Capite Petro congregatis. Denique hæc omnia non niſi infallibilitatem Conciliorum; non vero authoritatem eminentialem ſupra Pontificem probant: magis ergo, inquiunt, ſtandum erit authoritati eminentiali Pontificis clarius in Scripturis expreſſæ, quam Conciliorum obſcure ſatis, & non niſi in genere declaratæ.

Ex Traditione.

Fundant ſe 2do in Traditione, & quidem ſi de tribus primis Sæculis ſit ſermo, notum aliunde eſt, quod in his nulla Synodus Generalis fuerit celebrata, ſed aliquæ hæreſes in Synodis particularibus; pleræque autem ſolius Pontificis authoritate ſint confixæ (k). Si loquamur de ſubſequentibus temporibus, quibus Synodi Generales ſunt celebratæ, conſtat ex hiſtoriis Eccleſiaſticis 1mo, quod multæ hæreſes ſine Synodo Generali fuerint damnatæ. Sic Pelagianos nulla Synodus Oecumenica, ſed fulmen Innocentii I. ultimato proſtravit: Origeniſtas damnavit Anaſtaſius Epiſtol. 3. ad Joan. Jeroſolym. Priſcillianiſtas Leo I. &c. (l) Conſtat 2do, quod hæreſes quamplurimæ primitus ad Pontifices delatæ, & ab his fuerint damnatæ; & primum poſtea ad Concilia Generalia fuerint devolutæ: non ideo ut Concilia ultimatum ferant judicium, ſed ut hæreſes majori quaſi authoritatis pondere penitus obruerentur (m). Et nunquid Monothelitas Petri Sedes prima & ſola damnavit ante Synod. Oecum. 6tam, quam ideo tantum congregatam volunt, ut peſtis hæc, ſicut ab Occidente, ita etiam ab Oriente eliminaretur (n). Idem conſtat de Iconomachorum hæreſi, cui ante omnem Synodum anathema a Greg. III. dictum fuerat (o). Conſtat. 3tio quod licet non raro hæreſes Pontificio fulmine percuſſæ iterum in Synodis Generalibus fuerint reaſſumptæ, id tamen factum non ſit per viam appellationis, ſed ſupplicationis; Eccleſia id fecerit, non hæreticorum arbitrio appellantium, ſed ſuo; non quia neceſſe erat, ſed quia ſibi expedire videbatur, non juris rigore conſtricta,

Hæreſes ſine Synodo damnatæ a Pontifice.

Rationes, ob quas aliquoties Synodi convocatæ.

(k) Thomaſ. Diſſert. 18. in Synod. Rom. (l) Idem ibid.

(m) E. g. Arianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum &c.

(n) Conſtat id ex Act. 4. Synod. 6. quam citat Thomaſ. loc. cit.

(o) Idem ibid.

Digitized by Google

Eccleſia non nunquam uſa fuit prudenti œconomia.

Synodi vim acceperunt a conſenſu Pontificis prævio, concomitante, vel ſubſequente.

cta, ſed diſcretione uti volens, quatenus cum Capite membra concordarent, atque dogma fidei non a Capite tantum declaratum, ſed ab univerſo Eccleſiæ corpore palam approbatum Adverſantium ora prorſus obtunderet, impetus retunderet, & ita, qui pondere definitionis Apoſtolicæ ſe opprimi non paterentur, multitudine obruerentur. Dein prudenti œconomia utendum eſſe cenſuit Eccleſia: cum enim animadverteret, Orientales non nunquam frigide agere cum hæreticis, ſuo ſilentio potius, quam aperto ſuffragio accedere damnationi hæreticorum, negligentius Decreta Pontificis urgere; ipſos vero Hæreticos vel maxime in viſceribus Eccleſiæ Orientalis graſſari, atque in dies majores agere radices, hinc, ut & Orientales in unione conſervaret, hæreſes radicitus extirparet, & præcipue Epiſcopis Orientalibus majorum Eccleſiarum ad fortiter reſiſtendum hæreticis ſtimulum adderet, communi utriusque Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis ſuffragio cauſas fidei decidendas eſſe exiſtimavit. Inde eſt, quod præcipue hæreſes diutius & vehementius viſcera Eccleſiæ Orientalis, quam Occidentalis depaverint, longe citius ſupprimendæ, ſi Orientales cum Pontifice apertius & efficacius concentraſſent (p). Dein, an unquam Synodus aliqua a ſententia Pontificis deflexit? an non ſumma ſemper unitas inter ſententiam Pontificum & Conciliorum? an non Pontifices in his ipſis Conciliis noviter coactis præcipuas tenuerunt partes præſidendo, vel per ſe, vel per ſuos Legatos, illisque ſua confirmatione ultimum dando robur? Nullum, inquiunt, hactenus celebratum fuit Concilium, quod non ſuam præcipuam vim a conſenſu Pontificis vel *prævio*, vel *concomitante*. vel *ſubſequente* habuit. Aut enim Pontifices controverſias *prævie* ad Concilium definierunt (q), & ipſorum judicio Patres in Conciliis congregati ſe omni modo conformarunt: aut ſi Conciliis interfuerunt, pondere ſuæ authoritatis negotia tum direxerunt, tum cæteros in ſuam ſententiam traxerunt (r): aut celebrata fuit Synodus ſine præſentia Pontificis: decreta Synodi ad ſupremam authoritatem eluctari

(p) *Quod enim*, ait Thomaſ. loc. cit. *Orientales ægre, aut ne quidem ægre inducerent in animum ſententiæ Petri ſubſcribere, in varia errorum abrupta transverſi acti ſunt &c. Cui ſi acquieviſſent, non tamdiu illos Ariana jactaſſet procella: non Macedoniana, non Neſtoriana, non Eutychiana lues ipſorum viſcera depaſta eſſet: non Monothelitarum, non Iconomachorum cladibus attriti fuiſſent &c.*

(q) Uti Monothelitarum, Iconoclaſtarum &c.

(r) Conſtat id ex omnibus Conciliis.

eluctari nequierunt, usque dum ſuum robur ex conſenſu Pontificis obtinuerunt (s). Ad hæc, ſi authoritas Pontificis non ſit ſupra Concilium, quo fundamento Eccleſia hæreticis ad Synodum Generalem provocantibus illam denegare potuit, uti fecit pluries (t)? An non ſupremam authoritatem ſuſpexit S. Auguſtinus, dum poſt reſcriptum ab Innocent. Pont. contra Pelagianos editum ſcribere non dubitavit (u): *Jam hac de cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam: inde etiam reſcripta venerunt. Cauſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error.*

Præterea ad quem Judicem delatæ ſunt dubiæ fidei quæſtiones & propoſitiones, niſi ad Summum Pontificem? Ad judicium Stephani Pont. devoluta eſt controverſia de reiterando baptismo; ad Victoris tribunal cauſa Quartodecimanorum; ad Hormisdam quæſtio dubia de ſenſu propoſitionis: *Unus de Trinitate paſſus eſt* (w). Item *an MARIA DEI Mater dicenda eſſet.* Optabat Hieronymus, ut quæſtio dubia, an *una vel tres dicendæ ſint Hypoſtaſes in DEO*, ad Damaſum Papam devolveretur, ſancte conteſtans, ſe cum Pontifice tres profeſſurum hypoſtaſes, etſi a confeſſione trium hypoſtaſeon animus vehementiſſime abhorreret (x). Quin & Orientales Epiſcopi communionem cum Damaſo ambiebant, ut ſub ejus authoritate *tres hypoſtaſes* dicerent. In famoſa cauſa trium Capitulorum Eccleſia ferme unice in Vigilii authoritatem confidebat, & hujus judicium finale exſpectabat (y). Denique quem latet illud antiquum jamjam in Sæc. IV. in Concilio Sinueſſano uſurpatum: *Summa Sedes a nemine judicatur?* Et licet fides hujus Synodi vacillet (z), eodem tamen axiomate uſi ſunt Patres in aliis occaſioni-

Controverſia præcipuæ ad Pontifices delatæ.

(s) Sic Synodus Conſtantinop. I. & II. pondus œcumenicæ authoritatis non obtinuit, donec prior a Damaſo; poſterior a Vigilio reciperetur.

(t) Sic teſte Auguſt. Pelagiani quaſi non ſatis diſcuſſo negotio audientiam, & Orientis Occidentisque Synodum poſtulantes exſibilati ſunt.

(u) Serm. 2. de verb. Apoſtol.

(w) Propoſitio illa graves motus excitavit in Eccleſia Sæcul. VI., quam quidam Catholici velut faventem hæreſi Eutychianorum proſcindebant: econtra Monachi quidam Scythæ omnibus eſſe credendam paſſim inculcabant, qui cum ſe per contemptum tanquam Eutychianos traduci viderent, Romam ad Hormisdam Papam legationem miſerunt.

(x) Vid. Thomaſ. cit. Diſſert. (y) Idem ibid.

(z) Aliunde famoſa eſt hiſtoria de lapſu Marcellini, & Concilio Sinueſſano, quæ hodie communius tanquam anilis fabula rejicitur.

caſionibus: Idem enim repetitum legitur in Synodo Romana ſub Sylveſtro (a), & in cauſa Symmachi; & faſſi ſunt Epiſcopi & Proceres Francorum in cauſa Leonis III. (b). Hæc & his ſimilia cum evidenter demonſtrent, quod Eccleſia in configendis hæreſibus, dirimendis controverſiis principaliſſime ad ſententiam Pontificis ſuum obtutum fixerit, hoc ipſo ſupremam authoritatem in illo ſuſpexit, ut adeo, ſive ad Scripturam, ſive Traditionem retroſpiciatur, ſententia pro Superioritate Pontificis militans, ſi non evidenter inde eruatur, ſaltem in gradibus probabilitatis rigidiorem Gallorum ſententiam cum ingenti exceſſu ſuperare videatur. Quid quod Thomaſſinus contra Gallos Novatores, uti vocant, & oſores authoritatis Pontificiæ multis graviſſimorum argumentorum momentis aperte ſatis commonſtret, antiquiores Eccleſiæ Gallicanæ Doctores huic ipſi ſententiæ adhæſiſſe (c).

Ex his videtur ſententia pro Superioritate Pontificis militans probabilior.

Argumenta Gallorum aliorumque contraria.

Sed jam audiatur & altera pars haud minori, ſi non majori argumentorum pondere ſuffulta. Ecquid enim, inquiunt Galli, a Pontificiæ Superioritatis Defenſoribus inaniter jactitatur authoritas Scripturæ, in qua Chriſtus ſuam aſſiſtentiam, infallibilitatem, ac indefectibilitatem principaliſſime & toties ſuæ Eccleſiæ; nullibi vero, ſaltem verbis claris, promiſit Pontifici? Ad omnes in unum congregatos dixit Chriſtus: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem Sæculi* (d). Ad omnes in unum congregatos *miſit Spiritum Sanctum* (e). Quis autem ignorat, quod Apoſtoli in unum congregati repræſentent totum cœtum Eccleſiæ? Et poſtea primum Chriſtus ſecundum leges ſuæ providentiæ Hierarchiam, & in hac diverſos majoris, vel minoris authoritatis gradus conſtituit, eminentioris poteſtatis plenitudinem in Petrum, quam in cæteros Apoſtolos diffudit, & illum Caput *Eccleſiæ*, non vero *ſupra Eccleſiam* fecit (f). Profecto ſi omnes ab adverſa parte allati textus non nihil accuratius excutiantur, patebit, quod diverſos patiantur ſenſus, explicationes, & interpretationes, ut adeo certi aliquid inde erui nequeat. Quæſo, qua arte ex illo textu: *Ego pro te orabo, ut non deficiat fides tua*, Superioritas ſuprema Pontificis ſupra Eccleſiam argumen-

Ex Scriptura.

Dilucidantur textus S. Scripturæ.

(a) Etiam hæc ſuppoſitionis arguitur.

(b) Vid. Petrus de Mar. de Concor. lib. 1. cap. 11. & Natal. Alex. in Hiſtor. Eccleſ. Sæc. XI. Differt. 16.

(c) Loc. cit. in fine. (d) Math. 28. verſ. 20.

(e) *Erant omnes pariter in eodem loco.*

(f) Aliud enim, inquit Launojus, eſt eſſe Caput *Eccleſiæ*; & aliud ſupra Eccleſiam.

argumento Theologico vel a longe deduci valet? promiſit Chriſtus, fateri neceſſe eſt, ſe rogaturum, ut fides Petri non deficiat. Quibus autem mediis fidem Petri ſive internam in Petro illiusque Succeſſoribus, ſive externam in ipſa univerſali Eccleſia velit conſervare, num per ipſos Pontifices tanquam ſupremos Judices, ſive per Concilia, non expreſſit. Stabit immota fides Petri interna, ſi ſola gratia interna ſuſtentetur; externa Eccleſiæ, ſi DEUS ſuæ Eccleſiæ in Conciliis tam univerſalibus, quam particularibus congregatæ ſuam non deneget aſſiſtentiam. Et *quis cognovit ſenſum illius* (g)? Habet DEUS innumera media in abyſſo ſuæ Divinæ Providentiæ occulta, queis labantem Petri & Eccleſiæ fidem ſuſtentare poſſit.

Alter textus *paſce oves &c.* inſpiciendo corticem verborum præter Primatum Petri in Eccleſia, ac ſpecialem eamque in certo ſenſu ſupra explicato ſupremam curam authoritate eminentiali ſuffultam tam in Epiſcopos inferiores, & cæteros fideles, quam in Eccleſias tam particulares, quam Eccleſiam univerſalem nihil aliud prorſus innuere videtur. Aliam inde conſequentiam Theologicam nec verborum proprietas, nec ſenſus illorum admittit. Neque tantum ponderis ineſt verbis illis: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* manebit Petrus *Petra* (demus enim, quod per Petram intelligatur Petrus, quamquam Authores alii alias expoſitiones æque fundatas afferre ſoleant) etiamſi ſupremam authoritatem in Concilia transfundamus: quia manebit *Primas* & *Caput* Eccleſiæ, Præſes & Director Conciliorum, qui pondere ſuæ authoritatis valorem, effectum, & infallibilitatem Conciliorum ſuſtentabit.

Quid probet argumentum ex illo: *quidquid ligaveris &c.* depromptum, ex ſupra dictis colligitur (h). Quod ſi Chriſtus ſupremam poteſtatem ſupra Eccleſiam in Petrum, illiusque Succeſſores derivare voluiſſet, id vel expreſſiſſet verbis claris; vel demonſtraſſet exemplis, ut Eccleſia ſciret, quorſum in cauſis fidei appellandum, a quo finale illudque irreformabile judicium ſit exſpectandum. Porro autem verba clara nullibi leguntur: exemplum de Superioritate Pontificis exſtat nullum: imo exſtat contrarium, quod Chriſtus Dominus in Petro, & Petrus ſuo exemplo reliquit, ſublimiori certe ſpiritu agitatus, ut illud Eccleſia poſthac in dirimendis controverſiis majoris momenti æmularetur,

(g) Iſaiæ 40. v. 13.

(h) Varias expoſitiones hujus textus affert Natal. Alexand. Diſſert. 4. in Hiſtor. Eccleſ. Sæcul. XVI. & Joannes Launojus part. 2. Epiſt. 6.

Digitized by Google

retur, nempe Actor. 15. Unica in tota Script. controverſia fidei ad Petrum devoluta legitur, nempe de abroganda vel permittenda legalium obſervantia. Sed num Petrus ſolus eam dirimere, num ſolo ſuo finali judicio velut ſupremo eidem finem imponere auſus eſt? minime gentium. Convocavit præſentes Apoſtolos & Seniores, exploravit illorum vota & ſuffragia, atque non tam ſuo quam totius Eccleſiæ nomine finalem ſententiam pronuntiavit: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.*

Traditio militat contra Superioritatem Pontificis. Quæ rationes, cur tot controverſiæ ad Pontificem delatæ?

Cum pars adverſa præcipuum ſuum argumentum ex Traditione, uſu, conſuetudine Eccleſiæ & factis Hiſtoricis depromere conſueverit, traditioni traditionem longe evidentiorem, ut ajunt, opponamus. Quid enim omnia partis adverſæ argumenta & exempla ex præfatis fontibus derivata probant, niſi quod plures hæreſes a Pontificibus fuerint confixæ, controverſiæ gravioris momenti ad Sedem Petri delatæ: ipſæ autem deciſiones, judicia, ac ſententiæ ab Eccleſia ſingulari in honore habitæ, & communiter vel in Conciliis expreſſe, vel per tacitam acceptationem Eccleſiæ fuerint receptæ. Sed quis inde ſupremam Authoritatem reſidere in Pontifice arguet? Nam plures hæreſes in Synodis particularibus in primis non tantum tribus, ubi Synodi Generales nondum invaluerant, ſed etiam ſubſequentibus ſæculis fuerunt confixæ, num propterea Synodi particulares evaſere in arcem ſupremæ in Eccleſia poteſtatis? Si cauſa quæratur, cur ergo hæ provocationes, appellationes &c. potiſſimum ad Pontifices, & potius ad illos, quam ad Concilia fuerint factæ; Cur ſententiæ Pontificum tanti, & velut finales, ac ſupremæ fuerint habitæ, ita ut Eccleſia illis ferme ſemper aſſurrexerit, cauſa in promptu eſt: Eminuit nempe in Eccleſia ſemper Eccleſia Romana velut *primaria*, *Matrix*, & *centrum* aliarum. Suſpexit Eccleſia ſemper Pontificem velut Primatem: ipſe Pontifex longe lateque ſuam Juriſdictionem circumtulit, atque ſuum Primatum in variis occaſionibus exercuit, ut quid ergo mirum, ſi criminum rei ad ipſum provocaverint Epiſcopi, tunc præcipue, quando ipſi in ſuis judiciis inter ſe fuerunt ſciſſi, quæſtiones dubias ad ipſum devolverint, & illius ſententiæ acquieverint? Ad hæc provocare ad judicium Conciliorum univerſalium vel nolebant vel non poterant: eo quod vel non ignorarent quantæ difficultatis negotium ſit convocatio Concilii Generalis & Epiſcoporum per orbem Chriſtianum omnem diſperſorum, vel prævidebant ſuas provocationes fore exſibilandas.

Pontifices usque nunc non adeo fuere poten-

Quod ſi pars adverſa quidquam convincenter probare vellet, id præcipue probandum foret, quod Pontifices hactenus *ſupremam* authoritatem in controver-

ſiis

ſiis fidei dirimendis; configendis hæreſibus revera exercuerint, atque Eccleſia illorum judicium tanquam *ſupremum* certo agnoverit, ita ut huic judicio non modo ipſi Hæretici, verum etiam Catholici acquieverint, & poſthac omnis controverſia non modo inter ipſos hæreticos, ſaltem ut ad ſuperius tribunal provocare vel appellare auſi non fuerint, ſed etiam inter Catholicos ceſſaverit, quin amplius hæreticis vel ipſorum doctrinæ patrocinari auſi fuerint.

tes, ut controverſiis potuerint ultimum finem imponere.

Atque hic Rhodus, hic ſaltus, quem pars adverſa usque nunc ſuperare non potuit. Unde patroni hujus ſecundæ ſententiæ argumentum ſuum palmare hoc modo inſtruunt: Non eſt veroſimile, quod Chriſtus Dominus illum ſupremum Judicem in Eccleſia conſtituerit, qui hactenus non fuit inventus ſat potens ad terminandas controverſias, ad decidendas finaliter cauſas, & damnandas hæreſes eo effectu, ut ab hoc judicio non daretur provocatio, appellatio, eidemque omnes & hæretici & Catholici acquieſcerent, ita quidem, ut nec illi altius appellare; neque iſti amplius ſe opponere aut errantium patrocinium aſſumere auderent: porro autem an non tales Judices eſſe Pontifices usque nunc continuata Traditio docuit? Quidquid egerat Stephanus intentato etiam fulmine excommunicationis contra Cyprianum & Patres Eccleſiæ Africanæ in cauſa rebaptizantium: quidquid tentaverat Victor contra Polycratem & Patres Aſiaticos in cauſa Quartodecimanorum, controverſiam finire & cum effectu terminare non potuerat; ſola potuit Nicæna Synodus, cui & Patres Africæ & Aſiæ acquieverunt. Damnavit Melchiades in Synodo Romana Donatiſtas, Num propterea a ſchiſmate & inſectatione Cæciliani ceſſabant? neutiquam, ſed malos ſe judices fuiſſe paſſos conquerebantur. Quid ad hæc Auguſtinus? Urgetne, judicium Melchiadis fuiſſe peremptorium, quod retractare nefas eſſet? neutiquam, ſed potuiſſe Donatiſtas plenarium Concilium adire, reformationem petere, quatenus ſententia Pontificis reſcinderetur (i). En! Judicium Magni Auguſtini.

Eſt hoc argumentum principaliſſimum contra Pontificem.

Notiſſima eſt cauſa Apiarii Presbyteri ab Epiſcopis Africanis damnati. Confugit hic ad Zoſimum, mittuntur a Zoſimo Legati in Africam, celebratur Concil. Carthag., in eo Legati Pontificii urgent appellationes transmarinas, & decretam a Pontifice Apiarii executionem. Anne Patres Africæ detulerunt Pontificis judicio? Neutiquam, ſed reſcripſerunt, ſe admiſſuros appellationes ad Pontificem, ſi id Canonibus Concilii Nicæni eſſe ſtatutum probari poſſit, unaque ſupplicarunt, ne

(i) Vid. Nat. Alex. Diſſert. 4. in Sæc. XVI. ubi epiſtolam S. Auguſtini recitat.

Digitized by Google

ne Apiarius in communionem reciperetur. En! quomodo Patres iſti authoritatem Pontificis Conciliorum authoritati poſthabuerint, & judicio Pontificis ſe conſtanter oppoſuerint.

Hactenus præcipuæ hæreſes non niſi in Synodis confixæ, nec aliter configi potuerunt.

Progrediamur ulterius: hactenus ferme omnes, & quidem præcipuæ hæreſes non niſi authoritate Conciliorum tanquam judicio ſupremo, & finali fuere terminatæ: nec aliter ſola Pontificum authoritate terminari potuerunt: atque huic Judicio Conciliorum acquieverunt & hæretici, qui ad tribunal ſublimius provocare non fuerunt auſi; & ipſi Catholici, qui Judicio Conciliorum tanquam ſupremo ſe ſimpliciter ſubmiſerunt: id quod ſignum manifeſtum eſt, quod & Chriſtus in Concilia ſupremam authoritatem transfuderit: ſecus enim non ſat providiſſet ſuæ Eccleſiæ: eo quod talem ſupremum Judicem conſtituerit, cujus Authoritas facile poſſet elidi, & Eccleſia antiqua in ſolis Conciliis Generalibus eam ſuſpexerit.

Præcipuæ certe in Eccleſia hæreſes fuere Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, Iconoclaſtarum, & ſi ad ultima Eccleſiæ tempora ulteriorem gradum faciamus, Huſſitarum, Wicleſiſtarum, Lutheranorum, Calviniſtarum: ſed nunquid hæ omnes authoritate Conciliorum Generalium fuerunt proſtratæ, & earum pleræque nullo fulmine vaticano Pontificis, aut modo quocunque alio definiri, configi, & terminari potuerunt. Damnavit Neſtorium Cœleſtinus I. in Synodo Romana, & in ea ſententiam excommunicationis & depoſitionis contra illum pronuntiavit. Sed num Hæreſiarcha acquievit ſententiæ, num error in Eccleſia fuit finitus? neutiquam. Provocavit Neſtorius ad Synodum Generalem, & auditus eſt, & de novo ſententia finali condemnatus. Damnavit Eutycheten Flavianus Conſtantinop. Epiſcopus, & illius ſententiæ ſubſcripſit, & novam hæreſin confodit S. Leo Pont. in celeberrima ſua Epiſtola ad Flavianum data. Sed quo effectu? non alio, quam quod Eutyches ad Coucilium provocaverit, illud tam a Pontifice, quam Imperatore obtinuerit, & demum in Concilio Chalcedonenſi, poſtquam pſeudo-Synodus Epheſina II. in irritum abiit, ultimam ſubierit ſententiam. Num putamus ipſum Pontificem tam facilem fuiſſe futurum in concedenda facultate cogendi novam Synodum, ſuamque epiſtolam ad Flavianum ſcriptam de novo examinandi, & ſi viſum fuerit, eam reformandi? num id paſſi eſſent ipſi Legati Pontificis præſentes, num ipſi Patres congregati id auſi fuiſſent, niſi una omnium fuiſſet ſententia, ſupremum & ultimum totius Eccleſiæ tribunal reſidere penes Concilia, & in his Rom. Pontificis judicium poſſe retractari? Equidem negari nequit, quod ipſe Leo cenſue-

Videntur Pontifices, Patres, & Epiſcopi crediſſe penes Pontificem non eſſe ſupremam poteſtatem.

Digitized by Google

cenſuerit, rem *non indigere ſynodali tractatu:* annuit tamen, ut, ſicut ipſe ſcribit, *pleniori judicio poſſet error aboleri.* Porro autem ex eo, quod neceſſitatem Synodi non agnoverit, non ſequitur, quod Leo crediderit, ſuum judicium eſſe ſupremum, ſed id ex alio capite credidiſſe præſumptio eſt fortiſſima: eo quod putaverit, hæreſin Eutychetis eſſe adeo liquidam, tam ſolide a Flaviano convulſam, ſimulque tam accurate diſcuſſam, ut inſtitutio novi examinis videatur eſſe fruſtranea, & huic ſuo judicio ſimpliciter ſtare deberet univerſalis Eccleſia non modo Occidentalis, ſed etiam Orientalis. Certe niſi Leo majorem authoritatem in Conciliis, quam in ſe ipſo ſuſpexiſſet, num credimus, quod cauſam ad inferius tribunal perferri permiſſurus fuiſſet? Ad quid dixit, ut *pleniori judicio error poſſet aboleri?* anne a *judicio inferiori* validius & efficacius opprimitur iniquitas, & pleniori judicio cauſa deciditur? Ajunt Oeconomiæ cauſa id permiſſum eſſe a Pontifice, ut & petitioni Imperatoris ſatisfaceret, & Epiſcopis Orientalibus occaſionem ſeſe opponendi ſubtraheret, & ipſa hæreſis majoris authoritatis pondere, ſi judicio Pontificis accederet judicium totius Orientis, ſupprimeretur. Sed quid tum? eſto enim Leo precibus Imperatoris, ſicut ipſe fatetur, indulgere voluerit, & Oeconomiæ cauſa id feciſſe dicatur, quemadmodum plura alia (k) ex ſimili cauſa feciſſe Pontifices leguntur (l), attamen non eſt veroſimile, quod id feciſſet, ſeque totum, ſuamque epiſtolam examini, & reformationi Patrum ſubjeciſſet, ſi Concilio ſe eſſe ſuperiorem ſibi perſuaſum habuiſſet, aut certe ſuæ authoritati modo quocunque conſuluiſſet. Altera cauſa non videtur habere fundamentum ſolidum: cum non conſtet, quod Orientales contra Pontificem Eutychianorum errori adhæſerint. In eo patroni prioris ſententiæ verum dicunt, hanc etiam fuiſſe cauſam permittendi Synodum, ut error *pleniori judicio* & majori authoritatis pondere ſupprimeretur: ſed unde hoc majus authoritatis pondus, niſi a Concilio, in quo niſi majorem vel æqualem ſaltem authoritatem agnoviſſent, parum ponderis ex hoc acceſſu ſperandum fuiſſet.

Fruſtra provocatur ad Oeconomiam Eccleſiæ.

Tranſitum faciamus ad Sæc. 6tum, quo labente cauſa trium Capitulorum ingentes motus concitavit in Eccleſia. Longum nimis foret totam rei ſeriem exponere. Urgebant nempe Origeniſtæ apud Imperatorem,

Ulteriora argumenta ex Traditione.

(k) Dum ſcribit: *Verum quia etiam talium non eſt negligenda cura, & pie, ac religioſe Chriſtianiſſimus Imperator haberi voluit Epiſcopale judicium.*

(l) Sic dicunt, quod Pontifices Imperatoribus jus convocandi Concilia Oeconomiæ cauſa concesserint.

ratorem, ut Theodori Mopſueſteni, Theodoreti Cyrenſis, & Ibæ Edeſſeni ſcripta, quæ a Concil. Chalced. approbata videbantur, pro conciliaanda pace damnarentur. Annuit Imper. Juſtinianus, & Synodum Conſtantinop. convocat, quæ tamen aliquoties fuit turbata: eo quod Vigilius Pont. intereſſe recuſaverit. Edidit Imperator Edictum, & præfata Capitula damnavit, quin Vigilius, ut Edicto ſubſcriberet, perſuaderi potuerit. Paulo poſt Vigilius *Judicatum* ad Mennam Patriarcham Conſtantinop. miſit, & in eo *tria Capitula*, mutata derepente ſententia, damnavit cum clauſula: *ſalva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonenſis*. Sed novas turmas hæc ſententia excitavit fremente & tumultuante contra Judicatum Vigilii univerſo Occidente, ad quas ſopiendas Oecumenica Synodo opus eſſe Pontifex & Imperator optime intelligebant. Itaque Synodus Conſtantinop. convocatur etiam conſentiente ſaltem ſub certis conditionibus Vigilio: quoniam vero conditiones pactæ in ea non ſervabantur, Vigilius ſuum *Conſtitutum* publicavit, & in eo perſonam Theodori Mopſueſteni, & ſcripta Theodoreti mirum in modum defendit. Quo non obſtante Synodus & *tria Capitula*, & Theodorum Mopſueſtenum damnavit, & diro anathemate percuſſit, cujus ſententiæ ipſe poſtea Pontifex ſubſcripſit (m). Jam ſi Patres in Pontifice ſupremam poteſtatem agnoviſſent, quomodo auſi fuiſſent illius reformare judicium? Num ipſum Vigilium ſe Concilii judicio ſubjecturum fuiſſe credemus?

Sæc. VIII. duæ hæreſes Monothelitarum, & Iconoclaſtarum turbarunt Eccleſiam. Priorem tres Pontifices Joannes IV., Theodorus, & Martinus I. In Synodis Romanis una cum *Ectheſi* Heraclii, & *Typo* Conſtantis Imperat.; poſteriorem Greg. III. in Synodo Romana 93. Epiſcoporum confixerunt (n). Sed num error fuit finitus? neutiquam. Ad profligandos Monothelitas authoritate Concil. General. VI. ſeu Conſtantinop. III.; ad compeſcendos Iconoclaſtas judicio Synodi VII. ſeu Nicænæ II. opus erat.

Variæ expoſitiones decreti Synodi Conſtant.

Haud difficile foret demonſtrare etiam per Sæcula ſubſequentia ad Concil. usque Trident. hæreſes ſaltem famoſiores non niſi in Conciliis Generalibus fuiſſe terminatas (o), niſi pagellarum anguſtiæ prohiberent. De ſolo Concil. Conſtant. pauca differere liceat, in cujus Seſſ.

(m) Vid. Nat. Alex. Graveſon, aliique hiſtorici, qui de hac materia ſcribunt.

(n) Sunt typus & Ectheſis duo decreta Imperatorum, quibus declararunt, a duplici voluntate eſſe abſtinendum.

(o) E. g. Huſſitarum, Wicleffiſtarum, Lutheranorum, Calviniſtarum &c.

Seſſ. 4. & 5. Superioritatem Concilii eſſe definitam nemo ignorat. Equidem non ignoramus diverſas Doctorum reſponſiones, quibus harum Seſſionum vim infringere laborant: dum quidam ajunt, genuina Concilii Acta ad nos non perveniſſe (p); alii Synodum defectus cujusdam ſubſtantialis arguunt, eo quod Eccleſiam univerſalem non repræſentaverit (q); alii vero definitionem intelligi volunt pro caſu graſſantis ſchismatis. Utrum vero hæc & ſimilia cum ſolido fundamento opponantur, aliis judicandum relinquimus. Vid. deſuper Nat. Alexander, aliique (r).

Quædam deſuper animadverſiones.

Unam tamen alteramve deſuper animadverſionem facere liceat. Quidquid igitur ſit de authoritate legali hujus Decreti, id ſaltem inde eruitur, quod tempore Concilii Conſtant. ferme communis fuerit opinio, Concilium eſſe ſupra Pontificem: ſecus quomodo auſi fuiſſent Patres congregati facere definitionem? 2do, Quod erroris argui non poſſint illi, qui hanc Patrum ſententiam defendunt, quam in præfato Concilio ferme univerſalis Eccleſia in Concilio congregata (demus non fuiſſe verum cœtum Univerſalis Eccleſiæ) defendit. 3tio, Huic ſententiæ ſepoſita certitudine fidei ſaltem plurimum authoritatis ex unanimi tot Patrum conſenſu accedere.

Poteſtas Pontificis non fuit ſufficiens ad controverſias ſupprimendas.

Illud, quod ſupra dictum fuit, non nihil dilucidare liceat: nempe, quod hactenus non raro authoritas Pontificis non adeo potens fuerit & valida, ut ſuo judicio velut ſupremo potuerit definire cauſas, eisque finalem imponere exitum, eo effectu, ut controverſia inter ipſos etiam DD. Catholicos ceſſaret. Confixit errores Origenis Anaſtaſius Pont. (s), & tamen Origenes habuit ſuos defenſores etiam Viros Catholicos, usque dum a Synodo Generali V. fuerit damnatus. Quidquid egerunt Pontifices per ſuas Bullas, quibus propoſitiones Janſenii, & Quesnelli variis cenſuris perſtrinxerunt, tantum nihilominus authoritatis illorum Bullæ non habuerunt, ut illarum ſententiis univerſalis Gallia aſſurgeret, & Janſenius cum Quesnellio ſuos non haberet defenſores, prout hodiernæ ingenti animorum motu non ſine periculo ſchismatis agitatæ controverſiæ teſtantur. Num putamus, quod Galli ne quidem Concilio Generali ſe forent ſubmiſſuri? Hæc neutiquam eum in finem dicta ſunto, ac ſi patrocinium Janſeniſtarum ſuſcipere foret animus: enormiter enim exceſſiſſe, ac temerarie prorſus egiſſe, & adhucdum agere Janſe-

Illuſtratur exemplo Janſeniſtarum.

(p) Emanuel Schelſtrate, uti teſtatur Natal. Alex. Sæc. XVI. Diſſert. IV.
(q) Idem ibid. (r) Loc. cit. (s) Epiſt. 3.

Janſeniſtas nemo Catholicorum negaverit; ſed ideo tantum, ut, quantum etiam apud Catholicos prævaluerit authoritas Conciliorum, clarius conſpiciatur.

Quid ad hoc reſpondeat prior ſententia, ex argumentis illorum patet, nempe hæc omnia Oeconomiæ, & pacis conſervandæ cauſa conniventibus Pontificibus, ita ſuadentibus rerum circumſtantiis fuiſſe facta, & ideo etiam potiſſimum, ut hæreſes majori authoritatis pondere conquaſſarentur, & citius, ac potentius terminarentur. Verum ſi quis ſepoſitis præjudiciis ad ſequentia reflectat, difficiliter in animum inducet, quod vel Pontifices, vel Eccleſia per omnia ſæcula in ea fuerint opinione, ut crederent, Pontificum Judicium eſſe ſupremum. Num enim credibile eſt, quod Pontifices ſuam authoritatem ſine contradictione & reſervatione quaſi peſſumdare, ſuis juribus nullo modo conſulere, ſeque Synodis ſubmittere voluerint, & cauſas a ſe deciſas examinari, retractari, & ſub incudem vocari permiſerint? Provocarunt, fateri neceſſe eſt, & hæretici & Catholici ad Sedem Pontificiam, confixere Pontifices hæreſes, approbarunt communiter ipſa Concilia Pontificum ſententias. Verum tamen ſæpius a Pontificum ſententiis fuit provocatum ad Concilia, & ab his controverſiæ ultimato Judicio terminatæ. Damnarunt (ulterius fateri neceſſum eſt) ſoli Pontifices Innocentius & Zoſimus hæreſin Pelagianorum: ſed num hæc damnatio habuerit vim ineluctabilis ſententiæ a ſolo Ponfice ante acceptationem Eccleſiæ ſupervenientem, necdum demonſtratum eſt (t). Edixit S. Auguſtinus poſt ſententiam Pontificis: *Cauſa finita eſt, utinam finiatur & error.* Sed in quo ſenſu? nempe vel in hoc, ut quidam volunt, quod Romæ tantum fuerit finita; vel in hoc, quod, poſtquam cauſa Pelagianorum in Synodis Africanis ſufficienter fuit diſcuſſa, & deciſa, huic deciſioni acceſſerit Judicium Summorum Pontificum, & conſenſus Univerſalis Eccleſiæ; non vero in eo, quod ſola deciſione Pontificum pro univerſali Eccleſia finalem exitum obtinuerit. Hactenus dicta & quidem efficacius dicta neutiquam in eum ſenſum intelligi volumus, ac ſi poſteriori huic ſententiæ noſtro calculo accedamus; ſed ideo majori cum emphaſi proponere placuit: tum ut diſcipuli noſtri videant, quid utraque pars ſentiat, & quomodo patroni ſententiæ prioris aliquoties in modo ſaltem excedant, dum ſuam opinionem inconcuſſi inſtar dogmatis habent; contrarium ſentientes diriſſime habent, & hinc

adducuntur alia exempla.

(t) Addit Natal. Alex., quod cauſa Pelagianorum ſupremo eoque peremptorio judicio finita fuerit in Synodo Oecumenica Epheſina.

Digitized by Google

& hinc inde indiſcretis cenſuris perſtingunt. Nos hæremus in æquilibrio, & neutri ſententiæ firmo hactenus adhæſimus judicio, parati ad priorem ſententiam ambabus manibus amplectendam, ſi de illius veritate convincamur, & eo paratiores, quod illam aliunde hactenus in Scholis publicis docuerimus.

§. IV.

De infallibilitate Pontificis.

Ab uno Oceano in alium devolvimur. Priorem quæſtionem ob inſeparabilem connexionem preſſo pede ſequitur quæſtio de *Infallibilitate* Pontificis, an videlicet ſententia Pontificis de *Cathedra* loquentis, ut loqui amant, in materia fidei ſit infallibilis, & indefectibilis regula fidei? Solent nempe DD. in Pontifice diſtinguere duplicem perſonam, *Doctoris univerſalis de Cathedra loquentis*, & *Doctoris privati* ſuam particularem doctrinam proponentis; item duplicis generis Decreta *Cathedratica*, & non *Cathedratica*, quæ, quid ſint, ex terminis patet. Duo hic quærunt DD., 1mo, quid ſit loqui *de Cathedra*, & 2do, quandonam *modus iſte loquendi* in Eccleſia invaluerit.

Duplex perſona in Pontifice.

Quid ſit loqui de Cathedra?

Quoad primum, ajunt, tunc Pontificem *loqui de Cathedra*, quando adhibita omni morali diligentia, qualis in negotiis ſummi momenti adhiberi conſuevit, vel per ſe, vel per alios Viros undequaque doctiſſimos quam diligentiſſime in ſenſum Scripturæ, & Traditionem, utpote quæ ſolæ ſunt infallibiles regulæ & Cynoſuræ, ad quas in definiendis fidei dogmatibus Eccleſiæ, & Pontifici reſpiciendum eſt (u) inquiſivit, & adhibito conſilio Cardinalium, Epiſcoporum, aliorumque doctiſſimorum Virorum, invocata Spiritus Sancti gratia, fuſis ad DEUM precibus demum ſententiam finalem de controverſia fidei pronuntiat: eo quod Chriſtus promittendo ſuam infallibilem aſſiſtentiam media humana neutiquam excludere voluerit.

Quandonam modus iſte loquendi invaluerit?

Quoad alteram quæſtionem Joannes Launojus integram ſcripſit epiſtolam in qua inquirit tum in originem tum in ſenſum hujus Phraſis *loqui de Cathedra* (x). Ubi ſimul oſtendit Phraſin hanc eſſe antiquiſſimam, ſed non eundem habuiſſe ſemper ſenſum. In genere igitur loqui de Cathedra ex mente hujus authoris nihil eſt aliud, quam *docere*.

 In

(u) Ita enim hactenus Eccleſia agere conſuevit, & debuit: cum Eccleſiæ non fiant novæ revelationes, ſed a Chriſto omnia ſint revelata; & Eccleſia non faciat nova dogmata, ſed hactenus latentia ſolummodo declaret.

(x) Lib. 3. Epiſt. 5.

In hoc ſenſu, ait, illud uſurpat Scriptura (y), & uſurparunt antiquiſſimi Patres (z). Specialem ſenſum autem eidem primus attribuit S. Greg. M., ita ut tunc aliquis de Cathedra Petri loquatur, quando verum dicit: dum econtra hodierni Authores hac phraſi ſimplex non errandi privilegium denotari exiſtimant (a). in alio vero iterum ſenſu proxime accedente ad ſenſum, quem hodierni Scriptores eidem accommodant, illud accepiſſe Greg. II. ulterius docet Launojus, quatenus *loqui de Cathedra* idem eſt, atque *loqui ex inſtinctu Spiritus S.* Sub Clemente V. vero per hæc verba nihil aliud ſignificatum fuiſſe aſſerit, quam aliquid decidere ſacro approbante Concilio. Ab anno 1310. pergit idem, nihil occurrit, quo iſtud: *loqui de Cathedra* in ſenſu, quo hodie accipitur, poſſit defendi, adeoque anni ſint abhinc plus, minus ducenti, in quo defenſores Sedis Pontificiæ huic phraſi: *loqui de Cathedra*, novum ſenſum affinxerunt: quatenus putant in his verbis contineri *privilegium infallibilitatis*, & idem eſſe *loqui de Cathedra*, ac *eſſe infallibilem*, ſeu *indubitatum dogma fidei declarare* (b). Paulo aliter diſcurrit Alex. Nat. qui hanc loquendi formulam de Pontifice putat eſſe depromptam ex epiſtolis Ivonis Carnotenſis, ubi alludens ad illa verba: *ſuper Cathedram Moyſi ſederunt*, illa applicat *Præceptis Præſidentium ad Cathedram pertinentibus &c.* (c). Quidquid ſit de opinionibus horum authorum, putamus hanc formulam: *loqui de Cathedra* ſuum ſenſum, in quo hodie accipitur, a novioribus Theologis Scholaſticis accepiſſe: non enim legimus, quod antiquiores Theologi tam ſubtiliter in Pontifice duplicem perſonam & duplicis generis Decreta diſtinxerint (d).

Exponitur ſtatus quæſtionis. Itaque ſtatus quæſtionis hic diſcutiendæ in eo conſiſtit, an ſententia Pontificis ſine ullo Eccleſiæ conſenſu *antecedente*, *concomitante* vel *ſubſequente* in decidendis quæſtionibus fidei ſit infallibilis, eique ſimpliciter velut regulæ fidei ſit aſſurgendum (e)? Habet hæc quæſtio connexio-

(y) *Super Cathedram Moyſi ſederunt &c.*

(z) S. Hieronym., Euſeb. apud cit. Auth.

(a) Lib. 6. Epiſt. 37. lib. 8. epiſt. 42. uti habet Launojus.

(b) Loc. cit. in fine epiſt.

(c) In Hiſt. Eccleſ. Sæc. VII. Differt. 2. Propoſ. 2.

(d) Nempe Doctoris publici *de Cathedra loquentis*, & *privati*; & Decreta *Cathedratica*, & *non Cathedratica*

(e) Quandonam habeatur conſenſus Eccleſiæ *antecedens*, *concomitans*, vel *ſubſequens*, explicat Nat. Alex. loc. cit. *antecedens habetur*, dum Pontifex veritatem

nexionem cum priore, & utraque fenne iisdem argumentis probatur, vel refutatur. Pro infallibilitate Pontificis militant iidem textus ſupra jam citati: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c.* Emphatice loquitur Chriſtus in hoc textu, & ad ſolum Petrum, & non ad Eccleſiam: non enim, uti quidam volunt, nomine *Petræ* intelligitur Eccleſia: ſecus verba Chriſti facerent ſenſum ridiculum hunc: *ædificabo Eccleſiam meam ſupra Eccleſiam.* Quod ſi demus Petrum illiusque Succeſſores eſſe fallibiles, hæc *Petra* non erit firma, ſtabilis, inconcuſſa, ſed poterit ſcindi, rumpi, concuti, imo corruere, qua corruente nunquid & Eccleſiam deſuper ædificatam corruere neceſſe eſt? Addidit Chriſtus: *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quid aliud in his verbis continetur, quam firmitas Judicii inconcuſſa, immutabilis, indefectibilis, nulla ratione infirmanda? Haud ſecus myſteriis plena, & ſoli Petro aptanda ſunt verba: *Simon, Simon, ecce! ſatanas expetivit vos &c. ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (f). En! infallibilitatem Pontificis luculenter expreſſam: niſi dicere velis inanem & vacuam fuiſſe orationem Chriſti. Si autem oratio fuit efficax: ergo fides Petri erit indefectibilis. Addidit Chriſtus mox: *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quid per *fratres* intelligitur niſi Apoſtoli & Epiſcopi? hi ergo a Petro ſunt confirmandi tam collective, quam diſtributive ſumpti: ergo illorum judicium eſt inferius: & ſi Petrus non ſit infallibilis, qua ratione confirmabit *fratres*, ut etiam illorum judicium obtineat firmitatem indefectibilem? Addunt textum, quo Chriſtus dixit: *paſce oves meas, paſce agnos meos* (g). Si ergo poteſtatem paſcendi

Infallibilitas ex Scriptura oſtenditur.

ritatem variis Conciliis eliquatam univerſæ Eccleſiæ tanquam dogma Catholicum proponit: ſic Innocentius I. damnavit hæreſin Pelagianorum jam variis Synodis in Palæſtina & Africa celebratis damnatam. *Concomitans* adeſt, quando Pontifex in Concil. Oecumenico ut Caput Præſidens *ſacro approbante Concilio* quidquam definit. *Subſequens* eſt, quando Pontifex de fidei quæſtione judicat, & ſuam ſententiam mittit vel ad Synodum Oecumenicam, vel ſi Synodum non putat neceſſariam, ad omnes orbis Epiſcopos, & hi ſuo calculo ſententiæ Pontificis vel expreſſe, vel tacite accedunt. Sic in Conciliis Epheſin. Chalcedon. Conſtantinop. III. & Nicæno II. controverſiæ fidei ſecundum ſententias & epiſtolas dogmaticas Cœleſtini I. S. Leonis, Agathonis & Hadriani I. ſunt judicatæ. Sic Novatianorum hæreſis ſecundum judicium Cornelii; Donatiſtarum ſecundum ſententiam Melchiadis ubivis terrarum ſunt damnatæ. Idem dicendum de 5. propoſitionibus Janſenii damnatis.

(f) Luc. 22. v. 32. (g) Joan. 21. v. 12.

Digitized by Google

ſcendi non modo gregem, ſed etiam cæteros paſtores inferiores accepit, neceſſum eſt, ut Petro fuerint communicata ea media, quæ ad paſcendum ſunt neceſſaria, inter quæ eſſe Infallibilitatem nemo negaverit, ne grex una cum ſuis cæteris paſtoribus a recto tramite deflectat, atque in deſerta viarum aberret.

Ex Traditione. Provocant iterum & principaliter ad uniformem ad nos usque traductam traditionem, quam ex omnibus retroactis Sæculis de Sæculo ad Sæculum ex omnibus Conciliis tam univerſalibus, quam particularibus, factis Pontificum, indubitatis SS. Patrum, aliorumque doctiſſimorum Virorum documentis, & communi fidelium ſenſu demonſtrare nituntur. Quoniam vero ferme omnia hæc argumenta in idem recidunt cum illis, quæ pro Superioritate Pontificis ſupra Concilia §. *Ex factis hiſtoricis.* præced. allata ſunt, ea in compendium redigere placuit. Ajunt nempe, quod Pontifex plures hæreſes e. g. Priſcillianiſtarum, Pelagianorum ſolus confixerit, quin ulteriori examini fuerint ſubjectæ, aſſurgente illius judicio univerſali Eccleſia; quasdam in Conciliis examinari, & ſub incudem vocari permiſerit, ita tamen, ut ipſe vel per ſe, vel per legatos præfuerit, neque unquam factum fuerit, ut Synodus aliqua ſententiam Pontificis vel reformaverit, vel damnaverit (h). Sed nunquid ex hac uniformi concentratione Eccleſiæ & Epiſcoporum ſive in Conciliis, ſive extra Concilia, ex eo nempe quod Eccleſia univerſalis nunquam a ſententia deflexerit, illudque ſemper approbaverit, argumentum pro infallibilitate Pontificis deducitur validiſſimum? Profecto argumentum ex factis continuis, & uniformibus depromptum eſſe invicti roboris, & pro demonſtrando dogmate fidei, ſtabiliendis Juribus & Privilegiis fortiſſimum, nemo eſt, qui ignoret (i). Dein quærere liceat, utrum hæretici, de hæreſi ſuſpecti, vel ipſi etiam Catholici ad Pontificium judicium provocantes agnoverint in Pontifice infallibilitatem, vel non agnoverint? ſi dicatur primum: habemus, quod volumus. Si ſecundum: quare ergo provocarunt, & appellarunt ad Pontificem? quare quæſtiones dubias, controverſias diſputatas ad tribunal Ponti-

(h) Ita factum eſt in cauſis Neſtorianorum, Eutychianorum, Iconoclaſtarum, Monothelitarum, quæ prius a Pontifice deciſæ iterum in Conciliis Epheſ. Chalcedon. Conſtantinop. III. & Synodo Nicæna II. novo examini ſubjectæ conformiter Judicio Pontificum fuerunt terminatæ.

(i) Sic e. g. ex eo quod Pontifex in Eccleſia ſemper Primatum exercuerit, bene inferimus: ergo ipſi ex Jure Divino competiit: idem dicunt alii de convocatione Conciliorum, & præſidentia in illis.

Digitized by Google

Pontificis detulerunt? eccur ab illo deciſionem finalem, declarationem dogmatis, definitionem doctrinæ requiſierunt? Nunquid hoc modo ſeſe periculo erroris expoſuerunt, ſi in Pontifice nullam infallibilitatem ſuſpexerunt? quare ergo non mox ad Concilia provocarunt? ad quid opus fuit tot ambagibus primitus ad Pontificem, & tunc iterum provocare ad Concilia? Porro autem ipſos etiam Pontifices in ſe agnoviſſe infallibilitatem dicere neceſſe eſt: alias non potuiſſent denegare provocationes ad Concilia. At vero denegarunt aliquoties (k). Ex his autem quid ſequitur, niſi quod Judicium Eccleſiæ ſemper concentraverit cum judicio Pontificis, eidemque ſe conformaverit; Pontifex nunquam erraverit, atque in Sede Romana tam Hæretici, quam Catholici, atque ipſi Pontifices in ſe ipſis privilegium infallibilitatis agnoverint, ut adeo hæc ſententia communem ſenſum fidelium, & conſenſum univerſalis Eccleſiæ pro ſe habere videatur.

Neque his obſtat provocatio & appellatio ad Concilia, in quibus cauſæ a Pontifice deciſæ novo examini ſubjiciebantur: quid enim non tentant & audent homines refractarii, rebelles, & in ſuis judiciis contumaces? Nunquid enim etiam a Conciliis ad Concilia provocarunt (l), num propterea Concilia deſierunt eſſe legitima? Sed nec Conciliis tantum ineſt roboris, quantum ad continendos homines in ſuo officio, ſupprimendos hæreticorum motus, & ad finiendas, & ultimato terminandas cauſas eſt neceſſarium: anne enim Conciliis acquieverunt hæretici? Num per ſolam ſententiam Concilii error cum cauſa fuit finitus? Quid non tentarunt Ariani poſt Nicænam Synodum, Neſtoriani poſt Epheſinum, Eutychiani præcipue poſt Chalcedonenſem (m)? Tantum abeſt, ut error fuerit finitus, ut potius Eutychiana hæreſis in hanc usque diem apud Græcos graſſetur. Vel ergo etiam Conciliis ſua deneganda eſt ſuperioritas & infallibitas; aut utrique tam Conciliis, quam Pontifici adſtruenda.

Nihil videtur officere conſenſus antecedens, concomitans, vel ſubſequens.

De illo conſenſu Eccleſiæ *antecedente*, *concomitante*, vel *ſubſequente* quem ſententia mox explananda tantopere jactitat, quid dicemus? quærere liceat, quid ergo iſte conſenſus debeat operari, vel ex mente AA. operetur? *Antecedens* ab authoritate Synodorum particularium antecedentium ſententiam Pontificis emendicatus non poteſt influere infalli-

(k) Sic Innocent. I. Pelagianis denegavit audientiam in nova Synodo.

(l) E. g. Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, Donatiſtæ &c.

(m) Nempe turbarunt Eccleſias, convenerunt in conciliabulis, ad Judicium Imperatorum, ad novas Synodos provocarunt.

infallibilitatem in judicium Pontificis: cum nemo hactenus dixerit, quod Synodi particulares ſint authoritatis infallibilis, aut univerſalem repræſentent Eccleſiam. *Concomitans* hactenus vel ſemper concentravit cum conſenſu Pontificis, quo in caſu præcipuam ſuam vim mutuavit ex judicio Pontificis dirigentis, præſidentis, & definientis: vel ſi una alterave vice contigit, ut eſſet ſciſſio inter Pontificem & Concilia, conſenſus ille *concomitans* vel potius diſſenſus & judicium Concilii Pontifici contrarium ad authoritatem infallibilem eluctari non potuit: usque dum cum Concilio conſpiraverit Pontifex, & ipſe ſuo conſenſu deciſioni cauſæ ultimum robur dederit (n). Conſenſus autem ille *ſuperveniens* exigui prorſus roboris eſſe videtur: eo quod Epiſcopis, aliisque Eccleſiæ Præſulibus, quos Eccleſia tanquam Judices in Conciliis reveretur, extra Concilia agentibus infallibilis aſſiſtentia nullibi promiſſa legatur; neque ipſi ea, qua neceſſe eſt, diligentia quæſtiones, controverſias & dogmata examinare conſueverint. Si quid ergo infallibilitatis ineſt judicio Pontificis, id totum habetur ab ipſa authoritate Pontificis ea, qua par eſt, diligentia, conſulta traditione, explorato ſenſu Scripturæ, poſt fuſas ad DEUM preces cauſam ultimato ſuo judicio decidentis. Profecto, fateri neceſſum habemus, iſtud ratiocinium, quod ſua ſponte, dum hæc ſcribimus, ſe calamo obtruſit, vix non in hanc ſententiam occulta aliqua vi nos pertraxit. De conſenſu Patrum, aliorumque doctiſſimorum Virorum a primis Sæculis ad noſtra usque tempora in hanc ſententiam, uti volunt, conſpirantium vid. Matthæus Petititdier (o). De conſenſu autem fidelium ex ſupra dictis conſtat, de quo vid. idem Author.

Accedit pro infallibilitate argumentum ex ratione.

Hiſce defenſores infallibilitatis Pontificiæ ſuperaddunt argumentum ex ratione quaſi ad hominem petitum, putantes, neutiquam eſſe conſultum neceſſitatibus Eccleſiæ, ſi Pontifici ſua denegetur infallibilitas, & tota quanta refundatur in Concilia. Quid enim ſi hæreſis aliqua ab orco erumpat? quid ſi periculum ſit in mora, ne hæreſis ulterius ſerpat, graſſetur, & integras provincias veneno inficiat? quid ſi convocatio Concilii ſit quaſi impoſſibilis? Quorſum ſe vertere debent fideles

(n) Exemplum eſt in cauſa trium Capitulorum, quæ a Concilio Conſtantinop. fuerunt damnata, quin tamen hæc damnatio effectum obtinuerit, donec Vigilius Pontifex ſuo conſenſu damnationem ratihabuerit. Simile exemplum eſt in Concil. Conſtantinop. I. quod plenum effectum non habuit ante conſenſum Pontificis.

(o) Tract. de Authorit. & Infallibilit. Sum. Pontif.

fideles, quis Eccleſiam vacillantem ſuſtentabit &c. niſi in Pontifice infallibilitas agnoſcatur? profecto convocationem Concilii eſſe difficillimam, & hodiernis potiſſimum temporibus ſerme impoſſibilem, nemo eſt, qui ignorat.

Hiſce contrarium ſentientes opponunt, quod ſententia de infallibilitate Pontificis nec ex S. Script. nec Traditione ſufficienter ſit demonſtrata. Non ex Script., quæ nullo textu claro, & evidenti infallibilitatem adſtruit: non ex Traditione, undecunque iſta mutuetur, ſive ex conſenſu univerſalis Eccleſiæ, & communi ſenſu fidelium, ſive ex teſtimoniis Patrum, Scriptorum, aliorumque doctiſſimorum Virorum. Sanctuarium Scripturæ ſi ingrediamur, in eo duo vel tres occurrunt textus, quibus pars adverſa ſuam ſuſtentat ſententiam, nempe: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* & iterum: *ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua &c.* & demum: *paſce oves meas: paſce agnos meos.* Nam præterquam quod diverſiſſimæ ſint horum textuum apud DD. expoſitiones, illa certe expoſitio communiter a DD. adoptata ſolito caret fundamento, dum dicunt, *Petrum* eſſe *Petram,* ſuper quam extructa eſt Eccleſia, qua corruente, neceſſe eſt, ut tota ædificii moles corruat. Tollamus ergo infallibilitatem, corruet Petra, & cum petra tota moles Eccleſiæ. Sed inde quid conſequitur, niſi, quod ad hoc, ut moles Eccleſiæ ſtet firma, & immobilis, fundamentum, & ædificium ita debeat eſſe conſtructum, ut unum ſine altero immobiliter ſtare nequeat. Demus enim fundamentum eſſe immobile, fixum, & inconcuſſum, an non ex alio capite moles ædificii poteſt corruere? quid enim ſi lapides angulares non adeo firmo nexu conglutinati diſſolvantur? quid ſi compago rumpatur? ſicut ſine fundamento nec conſurgit, nec ſtat ædificium, ita ſine ædificio fundamentum non meretur nomen fundamenti. Ut ergo Eccleſiæ ædificium ſit firmum & immobile, & neque portæ inferi adverſus illud prævaleant, talis conglutinatio inter fundamentum & ædificium requiritur, qua omnis partium diſſolutio præcavetur. Profecto ſolum fundamentum non ſuſtentat ædificium, niſi reliqua compages, & moles ſuperinſtructa debite ſit coordinata, ſuiſque lapidibus angularibus ſuffulta: imo ipſa ſoliditas & immobilitas fundamenti a mole ſuperſtructa ſuam mutuat conſervationem, quatenus effodi, vel deſtrui nequit, quamdiu eidem moles ædificii incumbit. In eo ergo ſenſu Petrus eſt *Petra,* & fundamentum, quatenus niſi ſtructura Eccleſiæ eidem innitatur, atque indiſſolubili conglutinatione eidem conjungatur, facile ſit caſura in nihilum; non vero in illo, quaſi vero ſola *Petra* tanquam fundamentum, etiamſi moles

Sententia contraria exponitur.

Refutatur argumentum ex Scriptura depromptum.

In quo ſenſu Petrus ſit petra.

les Eccleſiæ illi ſuperædificata ſuis etiam lapidibus angularibus deſtituatur, ſuoque fundamento nexu indiſſolubili neutiquam cohæreat, nihilominus illius immobilem firmitatem ſuſſulciat. Itaque immobilitas hujus fundamenti inde præcipue habetur, quod Chriſtus ſe ita ſuæ Eccleſiæ proviſurum promiſerit, ut, quoties illius neceſſitas id exigit, inter Pontifices, & Patres Conciliorum ſumma ſemper concentratio, & conteſſeratio ſit futura.

Sola concentratio inter Concilium & Pontificem controverſiis hactenus finem impoſuit.

Et certe id experientia hactenus edocti ſumus, quod, quamdiu non fuit concentratio inter Pontifices, & Concilia, tamdiu nulla fuerit pax in Eccleſia, neque controverſiæ, lites, & cauſæ hæreſum terminari potuerint, usque dum cum Pontifice ſe Eccleſia, & Pontifex ſe conjunxit cum Eccleſia. Cauſa rebaptizantium & quartodecimanorum finiri non potuit, usque dum Eccleſia in Concilio Nicæno congregata, ſuo calculo Pontificum judicio acceſſit. Cauſa trium Capitulorum citius finem obtinere non potuit, donec Vigilius Pontifex cum PP. Concilii Conſtantinop. II. & hi cum Vigilio in unum conſpiraverint.

Alius Scripturæ textus exponitur.

Alter textus: *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos*, §. præced. fuit eliquatus: firma ſtabit fides Petri, id eſt Catholica, etiamſi Succeſſorum Petri aliquem in fide errare contingat. Cætera verba: *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, & illa demum: *paſce oves meas, paſce agnos meos* quid ſignificant niſi Primatum & ſupremam curam ovium Chriſti, & agnorum, id eſt Epiſcoporum in particulari; non vero ſupra totam Eccleſiam & univerſos Epiſcopos in Concilio congregatos, &, ut cum Scholis loquar (p) collective ſumptos: & hinc Chriſtus non dixit: *paſce gregem ovium & agnorum;* ſed *paſce oves, & agnos.* Et, demus quod dixerit: *paſce gregem*, inde plus non ſequitur, quam quod ſit ſupremus Paſtor, ita tamen ut ipſe ſolus paſcendo gregi, ne a via recta aberret, non

(p) NB. Severiori criſi neſcio quis hanc propoſitionem: *ut cum Scholis loquar*, qua in primis noſtris theſibus jam uſi ſumus, perſtrinxit, opponendo, quod utique alio modo loqui non oporteat Profeſſorem quam cum Scholis, & more Scholarum. Quaſi vero Profeſſor, Jurium præcipue, omnes prorſus terminos ſcholaſticos, & modos loquendi Ariſtotelicos, exoticos, ſubtiles, obſcuros, & antiquatos adoptare deberet, maxime ſi rem clarius & melius aliis loquendi modis purioribus explicare poteſt. O egregiam Theologiam, & Jurisprudentiam, quæ ſe modis loquendi Scholaſticorum tantum alligare debet!

non ſit ſufficiens, niſi cæteri, quos Chriſtus ſimul Paſtores conſtituit, juncta opera gregem a viis peſſimis, & perverſis abducant.

Pro ſtabiliendo argumento ex Traditione contra infallibilitatem Pontificis petito ſufficiet, ſi argumenta §. præced. allata recapitulentur. Si enim antiquior Eccleſia infallibilitatem Pontificis agnovit, quare Cyprianus, & Firmilianus, & Patres omnes Africæ Stephani ſententiæ non acquieverunt, eſto putaverint quæſtionem ſpectare ad ſolam diſciplinam Eccleſiæ, de quo tamen adhuc ſub Judice lis eſt? Quare Quartodecimani Victori Traditionem Apoſtolicam alleganti contradixerunt? Eccur toties a Pontifice etiam definiente ad Concilia, & nunquam a Conciliis ad Pontifices fuit provocatum? Quare non tantum hæretici, ſed etiam Catholici Pontificum definitionibus ſimpliciter ſe non ſubmiſerunt? quomodo auſi ſunt Patres in Conciliis congregati Decreta Pontificum in materia fidei emanata ad incudem vocare, de novo examinare, imo contra mentem Pontificis decidere (q)? Eccur hæc omnia Pontifices diſſimularunt, nunquam vel contradictionem, vel proteſtationem interpoſuerunt, ſuisque juribus hoc modo conſuluerunt, ſi ſuum judicium eſſe infallibile, irreformabile, & ſupremum eſſe crediderunt? En! conſenſum Eccleſiæ, Patrum, & fidelium potius in hanc, quam contrariam opinionem ingenti pondere inclinantem.

Refutantur argumenta ex Traditione.

A Pontifice ad Concilia, non vero e contrario ſæpe fuit provocatum.

Infallibilitati obſtant facta hiſtorica.

Memoria repetamus, quod ſupra ex Bernardo Van Eſpen attulimus. Non erubuit Gratianus Pontificem in ſuo Decreto ab Eccleſia acceptato, purgato, & laudato erroris in fide arguere (r): et tamen nemo Gratianum caſtigavit. Quare Correctores Romani iſtud Capitulum infallibilitati Pontificis directe contrarium e Decreto non exterminarunt, expunxerunt, & proſcripſerunt? cur Greg. XIII., cujus juſſu illa correctio fuit inſtituta, illud non annotavit, imo decretum ita approbavit, ut nemini aliquid demere, addere, vel corrigere liceret (s)? Si dicant, quod Pontifex tanquam Doctor privatus locutus fuerit, faciunt petitionem principii: reſcripſit enim Pontifex ad quæſtionem dubiam ſibi a Bonifacio Epiſcopo tanquam Pontifici propoſitam: imo non ad ſolum Bonifacium, ſed ad totam Germaniam reſcripſiſſe videtur. Aut ergo dicendum erit, quod Gregorius in Scripturam

Item textus in Decreto Gratiani.

Zz 2

(q) Factum eſt id in Concil. Conſtantinop. II. in cauſa trium Capitulorum, eſto poſtea Pontifex ſuo calculo Patribus acceſſerit.

(r) Verba Gratiani jam ſupra citavimus, & ſunt hæc: *Illud Gregorii SS. Canonibus, imo Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ penitus invenitur adverſum.*

(s) Vid. Bulla Greg. XIII. Decreto Gratiani præfixa.

ram & Traditionem ſuſſicieni diligentia non inquiſiverit, & ita temere reſcripſerit; aut ſi inquiſivit, & tamen erravit, non erit infallibilis. Haud ignoramus alias aliorum DD. reſponſiones, illam præcipue, qua dicunt, quod illa fœmina laboraverit impedimento impotentiæ antecedentis: verum hæc reſponſio in Capit. cit. non habet fundamentum, quod loquitur ſimpliciter de *infirmitate*, qua mulier fuit correpta. Et quis credat, quod Bonifacius non aliunde ſciverit, impotentiam antecedentem conſtituere impedimentum dirimens, & ex hoc capite pro deciſione Pontifici ſupplicaverit, ut adeo cit. Van Eſpen recte ſcripſiſſe videatur, dum ſcripſit, Theologos & Canoniſtas illius ævi nullam in Pontifice agnoviſſe infallibilitatem. Quidſi hiſce addantur Patres in Concil. Conſtant. congregati: eſto enim, ut §. præced. obſervavimus, ipſorum definitio de Superioritate Conciliorum ſupra Pontificem non fuerit *Conciliaris*, nihilominus fortiſſimum inde depromitur argumentum, quod eo tempore opinio, quæ Pontifici ſuam infallibilitatem & ſuperioritatem abnegat, apud doctiores, & univerſam ferme Eccleſiam invaluerit: quis enim prudenter ſibi perſuadeat, tantum temeritatis inſediſſe animis illorum Patrum, ut opinionem aliquam quaſi novam contra communem ſenſum Eccleſiæ, Patrum, Scriptorum, & cæterorum fidelium in vim *Conciliaris* definitionis adoptare auderent, cum periculo evidenti, ne ſe toti Eccleſiæ irridendos exponerent?

Synodus etiam Conſtantienſis.

Ex Patribus ſolus Primatus probatur.

De SS. Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis, quos Petitidier magno in numero de Sæculo ad Sæculum allegat, quid dicamus? vix aliud ex iis extundes, quam Primatum honoris, authoritatis & juriſdictionis; nullo modo privilegium infallibilitatis. Quid quod plures PP. contrariæ fuiſſe opinionis paſſim Galli, aliique demonſtrent. Neque certe iſta infallibilitas ſeparatim a Concilio tantopere Eccleſiæ eſſe neceſſaria videtur: demus enim exurgere hæreſin, & convocationem Concilii Generalis eſſe impoſſibilem, an non alio modo Eccleſiæ vacillanti ſuccurri poſſe exiſtimamus, quam per infallibilitatem Pontificis? Ad prima tria Sæcula retroſpiciamus, quibus ingens hæreſiarcharum turba invaſit Eccleſiam, quin aliqua Synodus Generalis fuerit celebrata vel celebrari propter graſſantes perſecutiones potuerit. Num ergo ſola infallibilitas Pontificis hiſce malis medelam tulit? Nullo modo: licet enim aliquæ a Pontificibus, plures tamen hæreſes per Synodos particulares fuerunt confixæ, ita tamen, ut utriusque tam Pontificum quam Synodorum particularium ſententiæ vim dogmatis per ſupervenientem conſenſum Eccleſiæ obtinuerint. Quodſi ergo talem caſum emergere contingat, habeantur Synodi particulares, faciant ipſi Ponti-

Infallibilitas Pontificis non videtur eſſe neceſſaria.

Qua arte in Caſu extraordinario Eccleſiæ ſubveniendum.

Pontifices ſuas definitiones, & mittant ſua decreta ad alias Eccleſias, communicent, ſicut olim, cum aliis Epiſcopis, & hoc modo ex ſuperveniente conſenſu tacito Eccleſiæ brevi hæreſis, quæ communiter unam alteramve provinciam inficere ſolet, non modo ex hac illave provincia, ſed ex toto orbe Chriſtiano auxiliante Deo, qui conformiter ſuæ promiſſioni Eccleſiæ non deerit, exterminabitur, niſi talis ſit hæreſis, quæ torrentis inſtar omnes aggeres perrumpit, ita ut nulla poteſtas nec Eccleſiaſtica nec ſæcularis tam ſit potens & valida, ut illorum impetum coërcere valeat, quo in caſu erit adoranda abyſſus Divinorum Judiciorum. Saltem Eccleſiæ in genere & fidelibus in particulari in ſua fide perſiſtentibus erit hoc modo conſultum, quatenus ipſis declaratur, quid ſit, vel non ſit fide Divina credendum, damnandum, vel approbandum. Neque ex eo, quod Pontifex non ſit infallibilis, hiſce decretis quaſi proviſionalibus, usque dum plenius controverſia eliquetur, refragari licebit; ſed eisdem omnino ſtandum erit, quin ſine maxima temeritate (plus dico) ſine ſuſpicione erroris & hæreſeos ea reſpuere, contemnere liceat, haud ſecus ac parentibus & ſuperioribus parendum eſt, licet metaphyſice non ſimus certi, eſſe legitimos parentes, & ſuperiores. Etſi enim certi non ſimus, an Pontifex ſit infallibilis, certi tamen ſumus ex fide ſupernaturali, quod Deus non ſit defuturus ſuæ Eccleſiæ in neceſſariis: quippe quam usque in ævum perduraturam ex revelatione ſcimus: deeſſet autem, ſi in tali neceſſitate Eccleſia non haberet privilegium infallibilitatis. Sic e. g. non ſumus certi certitudine omnimoda & ſupernaturali, an omnes vel plerique Patres in Concilio congregati fuerint veri Epiſcopi, & tamen illorum Canonibus tanquam regulis fidei eſt aſſurgendum: Certi non ſumus, an libri SS. PP. non ſint interpolati, corrupti, adulterati, & tamen Eccleſia inde haurit ſuam tradionem infallibilem (t).

Obediendum Decretis Pontificum, licet non ſint infallibiles.

Quid denique ſi factis Hiſtoricis infallibilitas Pontificis expugnetur, & ingens Pontificum catalogus afferatur, qui diverſorum errorum in fide incuſantur (u): Ajunt enim: erravit ipſe Petrus judaizando &

Recenſentur Pontifices: qui erroris in fide arguuntur.

(t) Vid plura de hoc argumenti genere apud Lamindum Pritanium lib. 1. c. 18. propterea inexcuſabiles ſunt Janſeniſtæ, & Quesnelliani, quod decretis Pontificum ſeſe oppoſuerint, & hodie maxime opponant, poſtquam ſententiæ Pontificum ferme ab univerſali Eccleſia ſunt receptæ.

(u) Ipſe Bellarminus 14. numerat Pontifices de Hæreſi ſuſpectos.

& hinc a Paulo Apoſtolo recte reprehenſus fuit (x): erravit Zephyrinus dando Montaniſtis literas pacis, & ſic tacite approbando hæreſin: Marcellinus thus adolendo Diis, & propterea in Synodo Sinueſſana damnatus (y): Liberius, qui exilio fractus formulæ Sirmianæ hæreticæ, ac damnationi S. Athanaſii ſubſcripſit, ut S. Hieronymus exclamare non dubitaverit, quod *univerſus orbis ſe eſſe Arianum miratus fuerit:* Zoſimus, qui Cœleſtii & Pelagii hæreticorum librum Catholicum pronuntiavit: Vigilius tam in cauſa Eutychianorum, quam trium Capitulorum: Honorius, quem in hæreſin Monothelitarum incidiſſe, & ideo a ſexta Synodo velut primipilum illorum fuiſſe damnatum aſſerunt: Stephanus VIII. qui Formoſum Pontificem a tota Eccleſia velut *legitimum* agnitum, poſt illius mortem *illegitimum* declaravit, & crudeli ſuo facto ſibi apud omnes Hiſtoricos notam fecit peſſimam: Joannes XXII. docendo animas Sanctorum clare non viſuras DEUM ante univerſalem reſurrectionem.

Equidem neminem latet, qua arte omnes hi Pontifices a labe hæreticali purgari poſſint, & ſoleant. Porro autem quantæ difficultatis rem eſſe exiſtimamus ita illos purgare, ut nullus remaneat ſcrupulus? De ſolo Honorio a Synodo ſexta propter hæreſin Monothelitarum, poſtea a Leone II. præfatam Synodum confirmante, & iterum in Synodo VII. & VIII. damnato, neque ab ullo Scriptorum per plura Sæcula defenſo, imo promiſcue catalogis hæreticorum inſerto (z), videamus. Adeo difficilis hactenus omnibus viſa eſt excuſatio Honorii, ut Scriptores in varias ſententias abire coacti ſint. Ajunt aliqui Acta Concilii a Græcis adulterata (a). Docent alii, Synodum ſextam in

Honorius difficillime defendi poteſt.

Varii modi illum defendendi explicantur, & rejiciuntur.

(x) Continetur tota rei ſeries in epiſt. ad Galat. cap. 2. ubi Paulus de ſe ipſo dicit: *Reſtiti in faciem*, Petro ſcilicet: *quia reprehenſibilis erat.* Hæc controverſia ultra 14. annos SS. Hieronymum & Auguſtinum colliſos tenuit, de quo vid. Quœſt. noſtra 2. cap. 2.

(y) Totum factum una cum Synodo Sinueſſana hodie tanquam ſuppoſititium rejicitur.

(z) Vid. Thomaſ. Diſſert. ad Synod. 20. ubi inter alia oſtendit, quod Honorius per plura Sæcula defenſorem non habuerit, & non modo ab Agathone, ſed etiam ab aliis Succeſſoribus Pontificibus Leone II. Hadriano II. fuerit damnatus.

(a) Ajunt id a Theodoro Epiſc. Conſtantinop., quem Synodus damnaverat, factum: utpote qui expuncto proprio nomine ſubrogavit nomen Honorii. Vid. Thomaſ. loc. cit. ubi hanc ſententiam multis refutat.

in quæſtione facti erraſſe. Aſſerunt alii plures, Honorium non qua hæreticum ſed fautorem Monothelitarum fuiſſe damnatum: eo quod mitius cum ipſis egerit, formulas quaſdam dubias approbaverit, & a confeſſione duplicis voluntatis abſtineri poſſe cenſuerit. Addunt, conſuetudinis tunc fuiſſe, ut non modo Hæretici, ſed etiam ipſorum fautores damnarentur. Exiſtimant alii, & longe veroſimilius, quod Honorius erraverit ut Doctor privatus, non tanquam Doctor univerſalis de Cathedra loquens, id quod Thomaſſinus multis iisque ſat fundatis conjecturis probare nititur. Porro autem ex his ipſis & tot quidem toto cœlo diverſis opinionibus modisque Honorium a labe hæreſos purgandi quis non luce meridiana clarius ferme inſuperabilem ſalvandi honorem Honorii, & Sedis Apoſtolicæ difficultatem perſpiciat? & quidem Primus modus nonniſi a pauciſſimis defenditur, & quam longiſſime a vero aberrat: tum quod impoſſibile fuerit acta Synodi in tot locis, in quibus ſit mentio Honorii corrumpere, & quidem omnia exemplaria, quæ ad Epiſcopos non tantum Patriarchatus Conſtant. ſed etiam cæteros, prout tunc moris erat, Patriarchas ſunt miſſa (b): tum quod nemo Pontificum, aliorumque Scriptorum Eccleſiaſticorum de hac interpolatione ſomniaverit (c). Alter modus vel ex eo capite meretur rejici: quod Synodis ſextæ, ſeptimæ, & octavæ, Agathoni, Leoni II. & Hadriano II. labem inferat indelebilem: quippe quos omnes errori facti ad damnandum Honorium fuiſſe inductos dicere neceſſe eſt. Et certe nemo Scriptorum Eccleſiaſticorum per plura Sæcula hunc modum defendendi Honorium aſſumere auſus fuit, ſed econtra omnes & ſingulos ipſum inſtar hæretici habuiſſe legimus (d). Tertius modus defendendi Honorium ferme iisdem ſubjacet difficultatibus: nam nec Pontifices Leo II. Hadrianus II. neque Anaſtaſius & Humbertus aliique Romanorum Pontificum jurati vindices de iſta purgandi ſolertia cogitarunt. Ad hæc Synodus ſexta illum medium quaſi poſuit inter cæteros Monothelitarum Anteſignanos: at vero injuriam feciſſet Honorio Synodus, ſi illum propter aliqualem conniventiam, ſomnolentiam, formulas dubias, & favores Monothelitis impenſos ad inſtar Monothelitarum damnaſſet. Et nunquid etiam Imperatores Conſtans per typum,

(b) Nam, ut ait Thomaſſinus, *in more poſitum erat, ut Generalium Synodorum Acta quinquies deſcriberentur, & ſingula ſingulis deſtinarentur.*

(c) Hujus interpolationis non faciunt mentionem Pontifices Agatho, Leo II. & Hadrianus II. non Scriptores alii Anaſtaſius, Humbertus &c.

(d) Vid. Thomaſ. loc. cit.

pum, Heraclius per Ecthesin conniventiores erant, ita ut Monothelitis ſat aperte faviſſe videntur, & tamen non ſunt damnati, imo eorum ſolertia fuit laudata (e)? Quare ergo tam diro fulmine Honorii conniventiam perſtrinxerunt? Quando ajunt, eo tempore viguiſſe conſuetudinem damnandi etiam fautores hæreticorum, talis conſuetudo, cum ſit facti, probanda foret. Si per hoc ipſum factum illam probare velint, nihil probant: quia petunt principium: ergo alia facta ad probandam conſuetudinem afferant, neceſſe eſt, qualia vix afferre poſſunt. Sed nec ultimus purgandi Honorium modus omnis difficultatis expers eſt: num enim credibile eſt, quod Honorius inconſulto ſuo Clero tam temere reſcripſerit? conſultus fuit tanquam Pontifex: ergo ut Pontifex reſcripſiſſe videtur.

Eo tempore ignoravit Eccleſia diſtinctionem inter Pontificem de Cathedra loquentem & Doctorem privatum.

Et ſi Eccleſia eo tempore agnovit infallibilitatem Pontificis, vel illam diſtinctionem inter Pontificem qua Pontificem de *Cathedra loquentem*, & *inter Doctorem privatum*, quare illam non adhibuit, ſed Honorium ſimpliciter qua hæreticum damnavit? An non Synodi ſexta, ſeptima, & octava hoc modo debuiſſent, & potuiſſent conſulere honori tum Pontificis, tum Sedis Apoſtolicæ? Quare nemo Scriptorum Eccleſiaſticorum ad excuſandum Honorium duplicem in ipſo perſonam diſtinxit? En! difficultates in defendendo Honorio ferme inſuperabiles. Interim libenter admittimus, Honorium eſſe excuſabilem, & ideo tantum hæc argumenta attulimus, ut difficultas ſalvandi privilegium infallibilitatis Pontificiæ clarius eluceſcat.

Refellitur opinio, quæ infallibilitatem Pontificis ad fidem pertinere aſſerit.

Alterum, quod nobis in hoc §. ſingulariter diſcutiendum aſſumpſimus, eſt, quid ſit tenendum de quorundam ſententia, qui ſententiam de infallibilitate Pontificis eſſe de fide aſſerunt. Nobis hæc opinio videtur omnino improbabilis: nam 1mo nullibi hæc ſententia eſt clare revelata, nec in Script. nec in Traditione: vel ſi ſit revelata, mirum eſt, quod Eccleſia hanc revelationem non perſpexerit, & DD. iſti ſint perſpicaciores, illisque majus lumen ſupernaturale affulgeat quam Eccleſiæ.

Hæc opinio eſt improbabilis, & periculoſa.

2do Nullibi hæc opinio ab Eccleſia ad credendum eſt propoſita. 3tio Potius Eccleſia ſententiam contrariam tolerat, neque illam ulla hactenus cenſura perſtrinxiſſe legitur. 4to Tali modo Galli omnes, & plures Viri doctiſſimi aliarum nationum erunt hæretici. 5to In hac opinione erit ſciſſio in Eccleſia quod ipſam fidem, & quidem una pars Catholicorum erit hæretica: altera pars cum Hæreticis communicabit (f). Neque juvat iſtos DD. ſi dicant, ex his aliud non ſequi, quam

(e) Vid. cit. Auth. loc. cit. N. 32.

(f) Nempe hæretici erunt Galli infallibilitatem negantes: cæteri Catholici econtra

quam quod hæc ſententia non ſit dogma univerſale omnibus & ſingulis ad credendum propoſitum, erit tamen dogma particulare reſpectu illius, cui infallibilitas tanquam revelata ſufficienter eſt propoſita.

Verum ignoſcant Viri undequaque ſapientiſſimi, qui hoc modo diſcurrunt, ſi dicam hanc reſponſionem omni prorſus probabilitate carere. Nam negare non poterunt, quod ad dogma fidei credendum requiratur certitudo metaphyſica, hoc eſt, debeat dogma eſſe revelatum, & certo conſtare de revelatione dogmatis: ſed undenam habent hanc certitudinem, undenam habent hanc revelationem, undenam certo ipſis conſtat de hac revelatione? ſi dicant, de hac ſibi conſtare ex S. Scriptura, & Traditione, quæ ipſis eſſe evidens videtur: Ulterius quærere liceat, quomodo judicium proprium ab intellectu humano innumeris errandi periculis obnoxio fabricatum, quomodo mera apparentia poſſit facere certitudinem metaphyſicam? An non judicium humanum eſt fallibile, ipſa vero, ſana licet, hominis ratio eſt regula fallax, directrix cæca, quam ſi ſequamur, ambo cademus in foveam? quam facile poſſumus fallere & falli? reprobamus in Proteſtantibus ſpiritum privatum, & illud Criterium veritatis, quo velut regula infallibili ſibi ſolis ſapere volentes in exponendis Scripturis, & inquirenda veritate utuntur: eo quod ſit Judex fallibilis, millenis errandi periculis ſubjectus, dum econtra Eccleſia ex promiſſione Chriſti indubitatam poſſidet infallibilitatem. Qua ergo ratione judicio intellectus noſtri tuto fidere poſſumus in quæſtionibus dubiis, quando ipſa Eccleſia, cui ſemper præſto eſt aſſiſtentia Spirtus S., nihil definire audet? num major eſt perſpicacia intellectus noſtri, quam totius Eccleſiæ? num majus lumen ſupernaturale affuſum eſt judicio noſtro, quam Eccleſiæ? An non hoc eſt ſuo modo judicium ſuum elevare ſupra judicium Eccleſiæ? S. Auguſtinus tanti æſtimavit authoritatem Eccleſiæ, ut ſcribere non dubitaverit, *ſe ne quidem Evangelio crediturum, niſi authoritas Eccleſiæ ipſum moveret:* Porro autem defenſores hujus ſententiæ non credunt cum S. Auguſtino: quia non credunt propter authoritatem Eccleſiæ, quæ nihil definivit, ſed propter authoritatem ſui intellectus: quia veritatem certiſſimam, quæ tamen ſolummodo eſt apparens, ſe inveniſſe putant, de qua merito ob defectum ſufficientis authoritatis dubitare poſſunt, an ſit veritas. Satis ſuperque de hac controverſia diximus. Jam

Contrariatur S. Auguſtino.

tra pro infallibilitate dimicantes ex eo ſe reos criminis facient, quod cum ipſis in Fide & Religione communicent.

Jam breviores erimus: quia ita jubent anguſtiæ & temporum & pagellarum.

§. V.

De poteſtate Pontificis in declarandis factis doctrinalibus & qualificandis propoſitionibus.

Duæ adhuc ſuperſunt quæſtiones cum illa, quam ſupra de infallibilitate Pontificis explanavimus, connexæ, & hic breviter diſcutiendæ: 1mo an & quomodo Pontifici competat jus pronuntiandi ſententiam in declarandis factis doctrinalibus, præſertim in declarando ſenſu librorum: & 2do in qualificandis propoſitionibus? Ambæ quæſtiones eo majoris ſunt momenti, quo plures & majores inde controverſiæ occaſione damnationis propoſitionum Janſenii & Quesnellii, in Galliis præſertim, ſunt obortæ, quæ adhuc hodiedum ibidem ingenti animorum contentione ferme ad ſchisma usque (quod DEUS avertat) agitantur. Accedit, quod hinc inde Scriptores etiam Catholici varia dubia movere ſoleant circa proſcriptionem librorum, confixionem theſium, & qualificationem propoſitionum, præcipue circa modum proſcribendi, configendi, & qualificandi, & inde reſultantem obligationem Decretis a Pontifice, vel a Congregationibus S. Officii & Indicis editis, quibus provincia revidendi, prohibendi, & qualificandi ex officio incumbit, aſſurgendi. Quare operæ pretium eſſe duximus, de his ſingulis aliqua pro aliquali notitia diſcipulis neceſſaria diſſerere.

Prohibitio librorum neceſſaria.

Prohibitionem quorundam librorum eſſe neceſſariam, & utilem, eamque apud Gentiles etiam, Romanos & Græcos, Judæos & Catholicos jamjam in primitiva Eccleſia viguiſſe apud omnes in confeſſo eſt: qui enim ſeditionum & rebellionum tumultus, quæ ſcandala in publico, quæ fidei & morum corruptio non metuenda foret, ſi promiſcua librorum hæreticorum, ſeditioſorum, magicorum, diffamatoriorum, obſcænorum, & ſcandaloſorum lectio omnibus & ſingulis permiſſa foret? Nunquid vel ſola *Ratio ſtatus* tam Eccleſiaſtici, quam politici jubet, ut libri quidam vel omnino proſcribantur, vel ſaltem ſupprimantur, & occultentur, ne in omnium manus perveniant? Ipſe Apoſtolus Author fuit Timotheo (g) ut a lectione antiquarum fabularum ſe cohibeat. De prohibitione librorum a gentilibus facta ex Seneca, Tacito, Valerio M. & Suetonio conſtat (h). De Judæis teſtantur,

Demonſtratur ex praxi Judæorum, Romanorum, Imperum & Eccleſiæ.

(g) 1. Timoth. 4. v. 7.

(h) Sic Seneca teſtatur, quod de libris Labieni ſupplicium per ignem fuerit ſumptum. Et Tacitus refert, quod Romani libros Cremutii Cordi per Ædiles concremari juſſerint. Et teſte Valerio M. iidem Romani Græcos quosdam libros

ſtantur, quod licet lectionem Scripturæ ex integro non interdixerint, quædam tamen loca, & inter hæc lectionem Cantici Canticorum nonniſi Viris provectioris ætatis indulſerint; libros vero magicos, & divinatorios ſeveriſſime proſcripſerint. De Romanis ſcribit Arnobius, quod ſcripta Chriſtianorum combuſſerint. De praxi & conſtanti conſuetudine Eccleſiæ infra dicemus. Huc pertinet etiam *Diſciplina Arcani*, quæ in primitiva Eccleſia viguit, vi cujus in præſentia Gentilium & Catechumenorum non modo ſubliniora quædam dogmata occultata, verum etiam libri quidam eorum lectioni ſubtracti fuerunt (i). Accedit praxis Imperatorum Chriſtianorum Conſtantini, Arcadii, Theodoſii, & Valentiniani, qui Eccleſiam in ſuis prohibitionibus egregie adjuverunt, in transgreſſores pœnas etiam capitales ſtatuentes (k). De hodierna praxi quid dicamus? Innumeri ſunt libri, quos hodie non modo Pontifices prohibent, configunt, damnant, & qualificant, verum etiam Imperatores, Reges, aliique Imperantes e ſua Republica velut nocivos, ſeditioſos, Statui Politico adverſos proſcribunt, eliminant, & aliquoties rogo addicunt. Illud hic animadvertere libuit, quosdam libros olim non tam prohibitos, quam velut pretioſa cimelia ita exigente prudenti *Oeconomia* Eccleſiæ vel *Ratione ſtatus* politici fuiſſe occultatos, ne in quascunque manus venirent. Sic apud Romanos Carmina Sibyllina in Capitolio aſſervabantur per cuſtodes ſpecialiter ad id deputatos. Sic apud Judæos & Chriſtianos diſciplinam Arcani viguiſſe ex ſupra dictis conſtat.

Aliud prohibere, & aliud occultare librum.

Hactenus de prohibitione in genere. Jam de ea in ſpecie, in quantum exercetur, & exerceri poteſt ab Eccleſia. Ex dictis facile colligere eſt, quod Eccleſia facultatem prohibendi libros habeat, eamque tum in Conciliis, tum per Pontifices exercuerit: Percurramus enim omnia Concilia antiquiora, media & noviora, luſtremus vitas Pontificum antiquiorum & noviorum, & victas dabimus manus. De Conciliis conſtat ex antiquioribus Nicæno I. Epheſino, Chalcedonenſi, Con-

Eccleſia habet poteſtatem prohibendi libros.

Hanc ſemper exercuit in Conciliis, & extra.

 ſtanti-

bros ad ſolvendam religionem pertinentes per Victimarios in conſpectu populi combuſſerunt. Suetonius ſimiliter de Auguſto Imper. narrat. quod ſupra 12. millia fatidicorum librorum rogo addixerit.

(i) Vid. Schelſtrate in ſpeciali Tract. de Diſciplina Arcani.

(k) Sic teſte Socrate Conſtantinus ſpeciali edicto libros Arii comburi, & occultantes pœna mortis affici juſſit. Simile edictum dedit Arcadius contra Codices Eunomianorum, illorumque occultatores l. 34. Cod. Theod. de Hæret. item Theodoſius & Valentinianus l. 6. Cod. de Hæret. contra Neſtorium.

ſtantinop. II. Nicæno II., novioribus Piſano & Conſtantienſi, quibus condemnati ſunt libri Wicleffi & Joannis Huſs. De Pontificibus idem referunt Hiſtorici: Ita enim Leo I. Romæ comburi juſſit libros quosdam Machabæorum ſpurios: Gelaſius in Concil. Rom. integrum edidit Catalogum librorum prohibitorum, qui legitur in Decreto Gratiani (l), utut iſtud Decretum a multis hodie vocetur in dubium: Zacharias Sæc. VIII. damnavit ſcripta Aldeberti; Hadrianus II. Codicem Photii; Innocentius III. libros Petri Abaelardi, & Arnaldi de Brixia; Leo X. Scripta Lutheri; noviores Pontifices Alexan. VII. & VIII, Innocent. X. & XI. Clemens XI. innumeras propoſitiones in ſpecie 5. Janſenii & 101. Quesnellii. Singulariter vero per Bullam Cœnæ a Clemente VIII. editam inhibita fuit lectio omnium librorum hæreticorum. Inde factum eſt, ut, cum ſæpius dubitatum fuerit, utrum hic vel ille liber revera ſit prohibitus, plures Indices librorum prohibitorum in lucem prodierint, quos inter primum non pauci ponunt Decretum Gelaſii ſupra citatum.

De Indice librorum prohibitorum illius origine &c.

Quoniam vero in illo unice agitur de lectione quorundam librorum publica in Eccleſia, inter quos erant quædam Acta Martyrum dubiæ fidei, ideo Index ille nequaquam dici poteſt librorum prohibitorum juxta ſenſum & phraſin modernæ praxis: utpote cujus nomine venit Index lectionem quorundam librorum tam publicam, quam privatam inhibens. Itaque vera origo hujusmodi Indicum referenda eſt ad Sæc. XVI, quo invaleſcente ſecta Lutheranorum & Calviniſtarum, cum plures libri mentito nomine Authoris, ac hæretico fermento conſperſi lucem publicam ſubirent, varii a Theologis confici cœperunt Catalogi, ne multi ſimpliciores incauta illorum lectione deciperentur. Primum quidem Catalogum juſſu Caroli V. anno 1546. edidit Facultas Theolog. Lovan., quem an. 1556. ejusdem Imperatoris mandato ſecutus fuit alter. Hoc ſtudio excitatus Pontifex Paulus IV. an 1557. Inquiſitoribus Romæ curam demandavit conficiendi ſimilem Indicem, quem intra bennium abſolverunt, & juſſu Pontificis promulgarunt (m).

De Indice, qui dicitur Concil. Trident.

In Concil. Trident. iterum de novo Indice & examine librorum prohibitorum agebatur. Patribus in diverſas opiniones abeuntibus placuit hanc curam quibusdam Viris doctis committere, qui abſoluto ſuo opere illud Patribus obtulerunt. Quoniam vero huic examini accuratius inſuda-

(l) Cap. 3. diſt. 15.

(m) Ajunt hunc eſſe primum Catalogum librorum prohibitorum, qui juſſu Pontificis fuit editus.

inſudare non vacabat, decretum fuit (n), ut ad Pontificem relatio, & illius poſtea nomine & authoritate evulgatio fieret & approbatio. Hoc munere functus eſt Pius IV., qui novum Indicem, quem vocamus Indicem Concil. Trident., una cum regulis Indicis, quas præfati Viri non tam juſſu Concilii, quam conſilio proprio appoſuerunt, in forma Brevis anno 1564. edidit, & promulgavit (o). De hoc Indice plura dicemus alibi.

Prohibitio, confixio, & qualificatio hodie pertinet ad Congregationem S. Officii, & Indicis.

Jam juxta hodiernam praxin prohibitio librorum non tantum, ſed etiam confixio, damnatio, & qualificatio propoſitionum Romæ pertinet ad Congregationem tum Inquiſitionis, ſeu S. Officii, tum Indicis. De utraque accuratius differendi alibi dabitur occaſio. Id unicum hic animadvertiſſe ſufficiat, quod ambæ Congregationes habeant ſuos Conſultores ſeu Qualificatores ex diverſis Ordinibus Religioſis aſſumptos, principaliter vero conſtituantur ex Cardinalibus. Hi ergo ſoli habent votum deciſivum, & eorum nomine nulla facta mentione Pontificis Decreta publicantur, licet ea antea Pontifici per Secretarium exhibeantur. Atque hic ipſe modus prohibendi libros inſuperabilem facit difficultatem, & occaſionem præbuit inquirendi, quid ſit ſentiendum de ſimilibus Decretis prohibitoriis in Congregatione S. Officii, vel Indicis editis; quantæ ſint authoritatis; an & quomodo illis aſſurgendum; & quomodo requiratur famoſum illud *Placitum Regium* (p)?

Modus prohibendi innumeris difficultatibus obnoxius.

 Hanc

(n) Seſſ. ult.

(o) Continet hic Index tres claſſes, in quarum prima nomina ſcriptorum hæreticorum; in ſecunda libri in ſanam fidem vel bonos mores impingentes; in tertia libri perverſi authorum incertorum referuntur. Quoad hunc Indicem ſequentia ſunt notanda: 1. Quod a Concilio Tridentino ipſo non ſit approbatus, & eatenus dicatur eſſe Concil. Tridentini, quatenus illius juſſu conficiendi cura fuit demandata Viris doctis. Ipſæ vero regulæ Indicis appoſitæ nullo modo ſunt Concilii: quia Doctores illi conſilio proprio eas appoſuerunt. 2. Multum diſputari, an & quomodo iſte Index in Germania ſit receptus quoad lectionem S. Scripturæ, & ipſas regulas Indicis.

(p) Ajunt hoc Placitum Regium nihil aliud eſſe, quam literas patentes, quibus aliquis Princeps permittit publicationem & executionem Bullarum, quæ in ſuas Ditiones e Curia Romana introducuntur: Adeoque competere Principibus facultatem examinandi tales Bullas, eas ſupprimendi, vel illarum publicationem permittendi, prout viſum fuerit. Si quæratur, quo titulo illis conve-

Hanc quæſtionem movet, & fuſe examinat Van Eſpen (q), qui ut praxin Belgii & Galliæ, ubi hoc Placitum viget, juſtificet, totus quantus in deprimenda illorum authoritate eſt ocupatus; imo etiam in promulgatione Decretorum Dogmaticorum hoc Placitum exigit. Priusquam hanc difficultatem cum duabus aliis, quas moverunt Janſeniſtæ, examinemus, ipſam principalem quæſtionem dilucidemus, qua quæritur: An penes Eccleſiam & Pontificem ſit jus pronuntiandi in factis doctrinalibus, ſpeciatim declarandi ſenſum theſium & propoſitionum, & an hoc judicium ſit errori obnoxium?

Ad Eccleſiam pertinet poteſtas pronuntiandi in factis doctrinalibus.

Eſt neceſſaria.

Cum Eccleſiæ & Pontifici moles Eccleſiæ in rebus fidei, morum & diſciplinæ gubernandæ incumbat, debet ei a Chriſto eſſe conceſſa poteſtas ad id neceſſaria, cujus appendix indiſſolubili nexu cohærens procul dubio eſt jus pronuntiandi in factis doctrinalibus de vero vel falſo ſenſu verborum, ſine quo nullum dogma tuto valet conſiſtere, & innumeras doctrinas falſas fidei & morum corruptivas intrare in Eccleſiam neceſſe eſt, Ecquis enim ignorat, ſæpe hæreticos ſub involucro dubiorum verborum perverſos occultaſſe ſenſus? An non aliquoties a recta intelligentia unius verbi ipſa dogmatis dependet ſubſtantia? Tolle vocem *conſubſtantialis*, & ſuſtuliſti Divinitatem Verbi: tolle verbum *DEIpara*, & ſuſtuliſti unitatem perſonæ in Chriſto. Quam ſæpe de una voce per plura Sæcula ferme usque ad colliſionem animorum fuit diſputatum? Quas non turbas excitavit ſola vox ὁμουσιον, quæ aliter a Paulo Samoſateno, aliter ab Ario, aliter a Catholicis accipiebatur: & quis genuinum illius ſenſum declaravit, niſi Eccleſia? De ſenſu librorum Origenis multum fuit diſputatum inter Viros doctiſſimos Euſebium, Didymum, Rufinum, Epiphanium, Hieronymum, usque dum ab Eccleſia fuerint damnati. Neſtorii perverſa doctrina ferme ſub unico verbo Δεοτοκον occultabatur, & de mente ac ſenſu Neſtorii obſcuro, & tecto ferme usque ad ſchiſma fuit pugnatum, & tamen ſententiam damnationis ſubire debuit. Pelagius & Cœleſtius ſua ſcripta variis ſenſibus colorabant, & vix non Zoſimo Pontifici oblato ſuo libello affabre certe compoſito impoſuerunt: nihilominus libri

conveniat? Dicunt: Jure Regalium convenire, & eſſe illius appendicem neceſſario cohærentem: cum Principis ſit invigilare, ne pax in ſuo regno turbetur, introductæ conſuetudines legitimæ tollantur, vel novi mores introducantur, & hoc ipſo illi incumbere curam inquirendi, an non talis Bulla in bonum politicum impingat.

(q) Tom. 2. part. 2. cap. 1.

Digitized by Google

bri illi ſententiam damnationis ſubterfugere non potuerunt. Cauſa *trium Capitulorum* aliunde famoſa eſt. Multum ſane inter ipſos Catholicos diſputabatur, an erroneus Neſtorii ſenſus in illis contineretur, donec Eccleſia in Synodo Generali V. errorem deprehenderit, & finali judicio tria Capitula damnaverit. Plura de hoc diximus alibi (r).

Duæ aliæ controverſiæ examinantur.

Ex his iterum conſurgunt duæ novæ difficultates, quas moverunt Janſeniſtæ, poſtquam varii Pontifices famoſas quinque propoſitiones Janſenii damnarunt, & de ſenſu illarum judicarunt: primo an Eccleſiæ judicio de ſenſu alicujus propoſitionis judicanti ſatisfiat ſolo religioſo ſilentio, vel requiratur etiam mentis, & judicii adhæſio? ſecundo de quali ſenſu Eccleſia judicet, abſoluto, vel reſpectivo? Has igitur difficultates cum illa, quam ſupra ex Van Eſpen attulimus, examinemus.

Examinantur argumenta, quibus Van-Eſpen decreta Congregationum impugnat.

Quantum ad primam, cit. Author totus quantus in eo eſt, ut vim Decretorum, quibus in Congregationibus Romæ prohibentur libri quidam, deprimat; & econtra neceſſitatem & authoritatem ſui *Placiti Regii* elevet. Rationes illius ſunt ſequentes: Hæc Decreta, ait, uti notum eſt ex ſtylo Curiæ Romanæ, prodeunt nomine Cardinalium & non Pontificis. Jam quinam ſunt illi, qui iſta Decreta concipiunt? Sunt nempe partim Qualificatores, partim Cardinales: illi libros examinant, hi ſine ulteriori examine ſua vota dant, Pontifici ſimpliciter referunt, & Decretum prohibitionis emittunt. Dein quinam ſunt illi Qualificatores? Communiter ſunt Religioſi ex diverſis Ordinibus religioſis aſſumpti. Hi autem quid? quam non ſæpe, pergit idem, hi tales aguntur zelo indiſcreto timentes periculum, ubi non eſt? quam ſæpe pertinacius inhærent ſententiis ſuarum ſcholarum, vel ſectarum, quibus innutriuntur, hæreſeos vel erroris inſtar habentes, quidquid principia ſuæ ſcholæ non redolet.? Et quam non eſt facile, ut modo quocunque hi tales corrumpantur? Ad hoc experientia notum eſt, quod ſæpe interveniant ſtudia partium, æmulationes, Magnatum preces, ambitioſorum importunitates, fraudes & doli, prout vel ex ſola cauſa Queſnelliana & Janſeniana conſtat. Ipſe etiam modus prohibendi libros talia Brevia facit ſuſpecta: cum juxta ſtylum Curiæ libri ſimpliciter prohibeantur nullo expreſſo errore, qui prohibitioni locum dare potuiſſet, ex quo ſæpe graviſſima diſſidia oriuntur inter Theologos. Et quis neſcit, propter *Rationem Status* in Curia Romana militantem

(r) Quæſt. 3. cap. 3. §. 3.

tantem multos libros duriorem experiri ſortem? cum enim Romæ vel maxime ad id intendatur, ut authoritas Pontificis in ſalvo maneat, communiter rigidiorem ſententiam experiuntur illi, qui authoritati Pontificis non velificantur; & econtra poteſtatem, jura & privilegia Epiſcoporum attollere ſatagunt. Videtur ipſe Benedictus XIV. pro ſua immenſa ſapientia hanc rem optime inſpexiſſe: quare ſapientiſſime ordinavit, quemadmodum in aliqua Epiſtola ab Eminent. Cardinale Quirinis edita nos legiſſe meminimus, ut poſthac liber Authoris cujuscunque Catholici, dummodo alias ſit bonæ famæ, non proſcribatur, niſi deſuper vel ipſe audiatur, vel ex Qualificatoribus quidam aſſumatur, qui illius cauſam defendendam ex profeſſo ſuſcipiat.

Benedictus XIV. præſcribit regulas in prohibitione obſervandas.

Et demus talia Decreta nomine Pontificis emanare, ille communiter acquieſcit relationi Cardinalium, & illorum ſuffragiis accedit: cum enim in millena alia majoris momenti negotia ſit diſtractus, talia decreta rarius examinare conſuevit. Quare talibus decretis non ſat authoritatis & ponderis ineſſe videtur, ut illis ſimpliciter aſſurgatur. Et quis ignorat Viros etiam piiſſimos & doctiſſimos ad delationes quorundam ſuis paſſionibus potius indulgentium, quam bonum Eccleſiæ ſincera mente quærentium rigidiorem expertos fuiſſe ſententiam? Inde ſit, quod hodie pauci ſint, qui ſibi ſcrupulo ducunt tales libros ſimpliciter, ſine qualificatione ſaltem, prohibitos legere.

Demum poteſt aliquis liber eſſe perniciosus in hac vel illa Provincia & Diœceſi, quin alibi locorum vel minimum immineat periculum ſalutis animarum: & hoc ipſo illius prohibitio non ubivis locorum erit promulganda (s). Poſtea deſcendit hic Author ad praxin Belgii, & Galliæ, atque quam plurimas recenſet Bullas Pontificias in variis materiis editas, ac Decreta, queis libri aliqui fuerunt proſcripti, quæ ex ſolo defectu *Placiti Regii* non ſunt recepta (t).

Reflexiones ad argumenta Van-Eſpenii.

Nobis ad iſta ſecundum ordinem reſpondere non vacat: liceat ergo deſuper quaſdam facere animadverſiones, & reflexiones. Et primo quidem facile damus, talia decreta prohibitoria ſimplicia non mox eſſe

(s) E. g. Ponamus librum aliquem fortaſſis precatorium ab Epiſcopo ſuæ plebi eſſe vehementer commendatum, & ab hac avide receptum, & uſurpatum, nunc vero in alia Diœceſi ex ſingulariſſima ratione prohibitum. Num expedire putamus, ut hæc prohibitio etiam in altera Diœceſi promulgetur?

(t) E. g. Index Tridentinus, Bulla Clementis VIII. proſcribens opera Caroli Molinæi; item variæ Bullæ, quæ contra Janſenium emanarunt &c. Vid. cit. Author Tom. 2. part. 4. de uſu Placiti Regii cap. 1. & ſeq.

eſſe recipienda per modum dogmatis: cum hæc neque ſit intentio Pontificis talia Decreta ſimpliciter approbantis; neque Cardinalibus & Qualificatoribus ullibi conceſſa legatur infallibilis aſſiſtentia Spiritus S. aut poteſtas condendi dogmata. Nihilominus tamen cum debita reverentia & reſpectu ſunt acceptanda, nec ſimpliciter rejicienda ſub prætextu, quod cauſa non ſat fuerit diſcuſſa, ordo debitus non obſervatus, prohibitio ob- vel ſubreptitie fuerit obtenta. Stat enim præſumptio pro authoritate Congregationis, usque dum per fortiores præſumptiones elidatur. Tertio attendendum tum ad praxin communem Virorum proborum & Doctorum, quomodo nempe talia decreta ſuſpiciant, & an tales libros legere ſibi ducant conſcientiæ; tum ad conſuetudines Diœceſium & Provinciarum, an & quomodo illa recipi, an promulgatio per Epiſcopos facienda exſpectari ſoleat &c.? Quarto cum in noſtra Germania ne quidem Index librorum prohibitorum quoad omnia capita ſit receptus, non tam facile peccati arguendus eſſe videtur, ſi quis librum ſimpliciter ſine qualificatione prohibitum legeret. Quinto an iſta, quæ refert Van-Eſpen, de modo procedendi in Curia ita ſe habeant, aliis dijudicanda relinquimus.

Singulariter ad Placitum Regium.

Quantum ad illud *Placitum Regium*, ſi rem bene examinemus, comperiemus, quod omnes diſcordiæ circa receptionem Bullarum & Decretorum exortæ inde ſuam trahant originem: quod ſciant & Doctores & Magnates hoc *Placitum Regium* ex ſuggeſtione Politicorum eſſe ſuſceptum. Ex hoc ipſo enim audaciores fiunt, ut omnia decreta, quæ ſuo palatui non ſapiunt, ſugillare, carpere, & vilipendere non curent. Certe in illis provinciis, in quibus *Placeti Regii* uſus non viget, nihil tale unquam aut raro fuit auditum. Fœtus Politicorum eſt iſtud *Placetum Regium*, qui adulandi, placendi, atque jurisdictionis & propriæ & ſuorum Principalium ampliandæ ſtudio, & fortaſſis occulto livore, invidia, & odio, quo in authoritatem Eccleſiaſticam feruntur, neſcio, quæ pericula, præjudicia, & damna bono publico metuenda fingunt, & ſuis Principibus ſub ſpecioſiſſimis rationibus ante oculos ponunt. Atque hi ipſi ſunt, qui motus, & turbas excitant in publico.

Potius leges politicæ deberent ſubjacere Placeto Epiſcopali, quam Eccleſiaſticæ Placeto Regio.

Res profecto mira, quod ſolæ leges Eccleſiaſticæ & Bullæ Pontificiæ tam ſint periculoſæ, ut *Placeto Regio*, & judicio Politicorum ſubjacere debeant, qui bonum Eccleſiæ parvi habentes ſolum bonum politicum ex principiis non raro Pſeudo-Chriſtianis & rationibus futilibus ſæpe ſæpius a ſiniſtra paſſione agitati ob oculos habent. Quæſo, ſi Imperantes Eccleſiaſtici, quos *poſuit Chriſtus regere Eccleſiam DEI,*

ſuum quoque *Placetum* urgerent, quoties Decreta emanant Politica, quæ non raro Statui Eccleſiaſtico ſunt præjudicioſa, libertatibus Eccleſiæ inimica, Jurisdictioni Pontificum & Epiſcoporum adverſa, imo aliquoties ipſa Sancta Sanctorum invadunt (u), quid dicturi forent? quidquid contradicant Epiſcopi, reclament Pontifices, cedendum eſt præpotentiæ Magnatum. Sola *Ratio Status Politici* inſtar imperioſæ Saræ dominatur: dum econtra *Ratio Status Eccleſiaſtici* velut humilis Agar ſervire cogitur.

Perſtringitur abuſus Politicorum. Si tantum haberent curæ zelantes iſti pro Decretis politicis, ne in bonum publicum impingant, quantum pro Decretis Eccleſiaſticis, longe melius conſultum foret *Rationi Status Politici.* Si modo aliqui Politici, de quibus pene certi ſumus, quod in nulla alia re tantum curæ & diligentiæ impendant, quantum in excogitandis rationibus externe ſpecioſis, interne occulto veneno plenis: quatenus hoc modo poteſtas Eccleſiaſtica infringatur; & econtra Politica amplietur, hanc vel illam legem Eccleſiaſticam, Decretum & prohibitionem Pontificiam in Rationem Status Politici impingere aſſerant, ſatis eſt, ut ipſorum judicium velut Oraculum Delphicum adoretur.

Moderatus uſus Placeti Regii probatur. Interim aliquoties *Placetum Regium* poſſe habere rectum uſum, tunc præcipue, quando leges Pontificiæ poſſent turbare publicum, juribus Principum vel conſuetudinibus legitime introductis, quas abrogare non eſſet conſultum, forent contrariæ, haud diffitemur. De abuſu intelligi volumus, illo præcipue, quem Van-Eſpen tantopere tuetur, docendo, quod *Placetum Regium* requiratur non modo, quando agitur de promulgatione Decretorum, quibus libri aliqui proſcribuntur; verum etiam pro caſu, quo decreta etiam dogmatica ſunt promulganda.

De religioſo, ut vocant, ſilentio remiſſive. Alteram quæſtionem; qua quæritur, an Eccleſiæ judicio ſenſum alicujus libri, propoſitionis, vel verbi etiam declarantis ſolo religioſo ſilentio, uti voluere Janſeniſtæ, ſatisfiat, cum ſit potius Theologica, quam Juridica, intactam relinquimus, & remittimus Lectorem ad Eruditiſſ. Tournelium (x), qui hanc quæſtionem ſuſe & ſolide examinat, unaque oſtendit, hanc expoſitionem eſſe contrariam menti SS. Patrum: quippe qui ſemper authoritatem Eccleſiæ ſuo privato judicio poſt-

(u) E. g. Dum aliqua diſponunt in materia Sacramentorum, prout ſæpe in Gallia maxime quoad Sacramentum matrimonii eſſe ſcimus, qua in re vel ſolum edictum Bleſſenſe nominaſſe ſufficiat.

(x) De Eccleſ. quæſt. 5. art. 3. part. 2.

poſthabuerunt (y); tale religioſum ſilentium ſine adhæſione mentis eſſe purum mendacium, & ſæpe perjurium, injurioſum Eccleſiæ, ſuperbiæ ac temeritatis plenum, & favere rebellioni ac inobedientiæ ſubditorum in Principes, ſervorum in dominos, filiorum in parentes, & ſemper ab Eccleſia Gallicana reprobatum. Nobis ſufficiat, quod Clemens XI. expoſitionem Janſeniſtarum damnaverit, & ipſi rigidiores Janſeniſtæ teſte cit. Tournelio illam reprobent (z).

Quem ſenſum reſpiciat Eccleſia in judicandis libris?

Tertia non minus quæſtio, qua quæritur, quem ſenſum reſpiciat Eccleſia in judicandis libris & propoſitionibus, eſt diſquiſitionis Theologicæ. Nobis igitur ſtatum quæſtionis & inde emanantes difficultates inſinuaſſe potius, quam dilucidaſſe ſufficiat: Difficultas inde oritur, quod quælibet propoſitio & ſenſus illius poſſit conſiderari vel in ſe ipſo, & ſecundum ſuum ſenſum *abſolutum*, obvium, & communi uſu receptum; vel reſpective ſecundum ſenſum *reſpectivum*, quem habet relative ad mentem Authoris ſcribentis. Iſtud autem eſt diſcriminis inter propoſitionem abſolute, & reſpective conſideratam, quod prior habeat ſenſum unicum ſimplicem, obvium vel verum vel ſalſum; poſterior vero poſſit eſſe æquivoca, & habere duplicem ſenſum, unum verum, alterum falſum. Ille ipſe autem ſenſus obvius in propoſitionibus tam abſolute quam reſpective conſideratis poteſt eſſe vel naturalis & proprius; vel externus, improprius & alienus. In propoſitionibus abſolutis ille eſt verus, proprius, & naturalis, quem verba ex communi hominum æſtimatione præſeferunt; improprius econtra, quem homines eidem affingunt: econtra in reſpectivis ille eſt proprius, qui ab ipſo authore eſt intentus, & ad quem Eccleſia in ſuis declarationibus reſpicit; externus vero, quem ipſe Author male detorquet, & inflectit.

Senſus alius abſolutus, & alius reſpectivus.

Diſcrimen inter utrumque.

Eccleſia aliquoties de ſenſu abſoluto, aliquoties de reſpectivo pronuntiat.

Jam ſolet Eccleſia aliquoties pronunciare de ſenſu *abſoluto*, quemadmodum fecere Pontifices Alexand. VII. & VIII. Innocent. X. & XI. qui integram laxiorum propoſitionum farraginem ſine reſpectu ad Authores, & mentem illorum damnarunt; aliquoties de ſenſu *reſpectivo*, uti factum eſt in damnatione propoſitionum Baji a Pio V., Janſenii ab Innocentio X. & Alexand. VII.; Queſnellii a Clemente XI.: cum enim Janſeniſtæ multifarios ſenſus diſtinguerent, & omni modo urgerent,

(y) Sic S. Chryſoſtom. cum urgeretur, ut damnationi Origenis conſentiret, repoſuit nihil eſſe agendum ante definitionem Concilii: & S. Auguſt. ne quidem Evangelio credere voluit, niſi Eccleſiæ commoveret authoritas &c.

(z) Loc. cit.

ut Pontifex reſcriberet, in quo ſenſu eas damnaverit, in reſponſis tulerunt, quod Pontifex eas damnaverit in ſenſu ab Authore intento. Jam vero, quando Pontifex pronuntiat de propoſitione in ſe, & ſenſu illius abſoluto, res caret difficultate. At vero ubi de propoſitione æquivoca, & ſenſu *reſpectivo* dicit ſententiam, difficultas oboritur, qua ratione Eccleſia id facere poſſit, & aliquando fecerit. Profecto Eccleſiam non raro de propoſitione æquivoca, & ſenſu illius *reſpectivo*, quem habet relative ad intentionem authoris nulla prorſus habita ratione ſenſus veri vel falſi pronuntiaſſe, innumera probant exempla: An non Eccleſia hanc propoſitionem Joannis Huſs: *Duæ naturæ Divinitas & Humanitas ſunt unus Chriſtus*, quæ ſecundum ſuum ſenſum abſolutum eſt Catholiciſſima, damnavit? Sed quomodo? nempe in ſenſu reſpectivo relative ad mentem authoris, docentis unamquamque naturam eſſe Chriſtum. An non eadem vox *conſubſtantialis* ab Eccleſia rejecta fuit & approbata? rejecta in ſenſu Pauli Samoſateni diviſionem naturæ Divinæ inferre volentis; approbata in ſenſu Concilii Nicæni Divinitatem Filii inde inferentis.

Quomodo Eccleſia de ſenſu reſpectivo poſſit judicare?

Igitur ad id cardo difficultatis devolvitur, quid de hoc modo declarandi propoſitionem & ſenſum illius *reſpectivum* ſit tenendum? Videtur enim ex una parte *impoſſibile*, ſenſum authoris in mente retentum attingere; ex altera vero *periculoſum*, propoſitionem æquivocam damnare, & quidem ſine diſtinctione ſenſus veri & falſi, neglecto ſenſu naturali, & obvio illius, & habita ſola ratione ſenſus privati ab authore intenti. Dixi *impoſſibile:* qua enim arte Eccleſia poterit intellectum inſpicere, & ſenſum in mente retentum deprehendere: cum ipſa de mere internis judicare non poſſit, & internum judicium ſibi ſoli DEUS, utpote Scrutator cordium, reſervaverit? num ex integro libro, doctrina, contextu, ſerie, connexione propoſitionum illum expiſcabitur? Sed quam hoc eſt difficile, impoſſibile, & fallibile? ſolent enim hujuſmodi authores communius ſuam doctrinam variis coloribus illinire, tegere ſenſum, verbis æquivocis uti &c. Num ab ipſo authore? ſed hic communius non auditur, & ſimpliciter obedire, ſuo errori renuntiare, atque formulæ ſibi propoſitæ ſubſcribere compellitur: imo aliquoties ne quidem audiri poteſt: cum ſæpe etiam mortui judicio Eccleſiæ ſubjiciantur, prout ipſi Janſenio factum eſſe ſcimus. Dixi *periculoſum:* quia exinde periculum imminet fidelibus, ne forte veritatem cum falſitate, ſenſum abſolutum cum reſpectivo confundant, & ſcandalum patiantur.

His

Digitized by Google

His neutiquam obſtantibus Eccleſia hactenus nulla vel facta vel admiſſa diſtinctione & explicatione propoſitiones æquivocas juxta ſenſum reſpectivum ex rationibus graviſſimis damnavit; & recte: quia alias nullus finis foret litium: Experientia enim docuit, quod hæretici in omnes partes ſe gyraverint, varios ſenſus ſuis doctrinis affinxerint, aliquoties etiam Pontificibus impoſuerint (a), tantum, ut judicium Eccleſiæ eliderent. Dein cavendum Eccleſiæ, ne ſua dogmata tandem ad grammaticales quæſtiones delabantur, ipſius authoritas periclitetur, & Hæreticis occaſionem elidendi ſua judicia, & gloriandi in ſua malitia ſuppeditare videatur. Neque certe vel difficile, multo minus impoſſibile, aut periculoſum id videri debet: non enim deerit Eccleſiæ ſpiritus ille, qui Apoſtolos docuit omnem veritatem. *Defenditur poteſtas Eccleſiæ judicandi de ſenſu reſpectivo.*

Quare eſto Eccleſiam ſimpliciter loquendo in deprehendendo ſenſu latente falli poſſe dicamus, neutiquam tamen falli poteſt, ſi adhibita morali diligentia, facta accuratiſſima inquiſitione in totam doctrinam authoris, inſtituta collatione doctrinæ cum doctrina, propoſitionum cum aliis propoſitionibus nihil non egerit, ut veritas detegatur. Ipſos vero authores audire res oppido periculoſa foret: utpote qui in omnes dolos & fraudes intenti facile vel Eccleſiæ imponere, illius judicium elidere, vel controverſiam in immenſum protrahere poſſent. Interim tamen crederemus aliquoties eſſe audiendos, ſi alias ſint bonæ famæ, non ſuſpecti, nullis ſiniſtris præſumptionibus gravati, & de cætero parati ſe Eccleſiæ ſententiæ ſubmittere. Prætenſo illi periculo facile contravenitur, dummodo Pontifex in ſua ſententia exprimat, in quo ſenſu propoſitionem damnaverit.

§. VI.

Jam de qualificatione propoſitionum agendum. Solet nempe Eccleſia ſæpe non ſimpliciter tantum quoſdam libros prohibere, theſes damnare, ſenſum propoſitionis declarare, ſed etiam propoſitiones *qualificare.* Eſt autem *qualificare* propoſitiones nihil aliud, quam illas variis cenſuris Theologicis, vel ſeverioribus, vel mitioribus perſtringere. Numerantur hujusmodi cenſuræ plures, quin tamen authores in determinando earum numero conveniant. In Concil. Conſtantienſi ſeptem recenſentur (b), quibus Pius V. in damnatione quarundam propoſitio- *De qualificatione propoſitionum, & quid ſit?* *In numero Cenſurarum Eccleſiaſticarum authores non conveniunt.*

(a) Ita fecerunt Montaniſtæ Zephyrino; Pelagius, & Cœleſtius Zoſimo.

(b) Seſſ. 8. in qua articuli Joannis Wicleffi damnantur. Verba Concilii habet Juenin Diſſert. 5. de loc. Theolog.

poſitionum, quas Michaeli Bajo attribuere ſolent, addidit octavam (c): & his demum alii Pontifices & Scriptores ſuperaddiderunt adhuc plures. Caſpar Juenin ſtatuit 14. (*) Author Princip. J. P. E. 12. numerat (†). Plures Tournelius (d). Liceat igitur pleraſque illarum, eaſque famoſiores hic recenſere. Dicitur ergo propoſitio *qualificata* alia *hæretica;* alia *erronea*, *hæreſi proxima*, *hæreſin ſapiens*, *ſuſpecta de hæreſi*, *ſchiſmatica*, *blaſphema*, *impia*, *ſcandaloſa*, *ſeditioſa*, *piarum aurium offenſiva*, *male ſonans*, *ſimplicium ſeductiva*, *temeraria*, *periculoſa*, *improbabilis*, *damnabilis &c.* Sed nec in explicandis hiſce cenſuris DD, conveniunt. Nos explicationes, quæ nobis videntur probabiliores, referemus. Itaque propoſitio *Hæretica* illa dicitur, quæ immediate opponitur *Dogmati Catholico* (e). *Erronea* communius dicitur illa, quæ *mediate* repugnat doctrinæ divinitus revelatæ, quatenus contradicit concluſioni Theologicæ ex Verbo DEI, aut potius ex una propoſitione de fide, & altera phyſice certa legitime deductæ (f). Propoſitiones *Hæreſi proxima*, *ſapiens Hæreſin*, *ſuſpecta de Hæreſi* aliquoties confunduntur; communius tamen diſtinguuntur ſecundum gradus: quatenus vel proximius, vel remotius ad hæreſin accedunt. Igitur *Hæreſi proximam* recte dixeris illam propoſitionem, quam major & ſanior pars Theologorum paucis diſſentientibus habet pro Hæretica, adeoque, quæ cum ſumma probabilitate & ferme certitudine accedit ad Hæreſin (g). *Hæreſin ſapiens* eſt, quæ licet utrumque ſenſum, ſanum & pravum poſſit recipere: attamen ſenſum pravum ſive ratione ſui, ſive ratione circumſtantiarum, loci, temporis, perſonarum prævalentem involvit, ita ut facile ſuſpicionem graviſſimam de Hæreſi ingenerare poſſit. Sic hæc propoſitio: *Pater major me eſt*, licet in S. Scriptura clare contineatur, nihilominus in ore Ariani eam proferentis ſapit hæreſin. Ita etiam hæc propoſitio: *Unus de Trinitate paſſus eſt*, ab Eutychiano prolata ſapit hæreſin, & ideo recte ab Hormiſda fuit rejecta, & poſtea a Joanne II. & Vigilio recepta. Sic etiam iſta propoſitio: *In Euchariſtia manet panis & vinum* in ore Lutherani ſapit hæreſin: licet eam

Recenſentur Cenſuræ.

Singularum explicatio.

(c) Vid. idem Author loc. cit. (*) Loc. cit. (†) Cap. 5.

(d) In Appendice ad loc. Theolog. Art. 2.

(e) Quid ſit Dogma Catholicum ſupra §. 4. diximus.

(f) Qualis concluſio eſt hæc: *Ergo Chriſtus eſt riſibilis*, vel juxta alios, quibus ſufficit etiam certitudo moralis ad inferendam concluſionem Theologicam: ergo hic vel ille ab Eccleſia legitime canonizatus eſt in cœlo.

(g) Vid. Tournel. loc. cit.

eam quondam Catholici quidam DD. cum dogmate & propoſitione: *Hoc eſt corpus meum* combinari poſſe exiſtimaverint (h). *Suſpecta de hæreſi* ſecundum unum alterumve gradum a priori diſtinguitur: quatenus etiam hæc utriusque ſenſus ſani & pravi capax eſt, & vel ratione ſui, vel ratione circumſtantiarum præbet fundamentum non quidem ferendi prudens judicium, ſed concipiendi aliquam ſuſpicionem, quod ille, qui eam profert, ſit hæreticus, vel hæretice ſentiat (i). *Schiſmatica* eſt, quæ facile unionem inter Eccleſiam & ſuum Caput poteſt diſſolvere, ut ſi quis dicat, *Benedictum XIV. eſſe Pſeudo-Papam. Blaſphema* dicitur, quæ DEUM, Deiparam, & Sanctos contumelioſe aggreditur e. g. ſi quis diceret *Chriſtum fuiſſe impoſtorem, B. V.* ut Matrem DEI nihil prorſus habere ſpeciale præ aliis mulieribus &c. *Impia* eſt, quæ fideles a pietate, devotione, conſiliis Evangelicis, operibus ſupererogatoriis, aliisque Religionis exercitiis avocat: uti ſi quis dicat, *vota Religioſa eſſe abolenda, omnia ſacra ſodalitia eſſe exterminanda, omnes viſitationes locorum votivorum eſſe inania commenta &c. Scandaloſa* eſt, quæ dat cauſam ruinæ ſpiritualis vel inclinando ad peccata, vel avertendo a virtutum exercitio, & hoc vel *active*, quatenus ex ſe habet vim generandi mortem ſpiritualem; vel *paſſive*, quatenus proximus propter fragilitatem poteſt deſumere occaſionem ruinæ ſpiritualis (k). Jam cenſura ſcandali unice afficit propoſitiones *active* ſcandaloſas, ſic tamen, ut propoſitiones *paſſive ſcandaloſæ* ſimpliciter ſine cenſura prohiberi poſſint, dummodo id fiat cum debita circumſpectione (l). *Seditioſa* eſt, quæ tollit unitatem temporalem civitatis vel provinciæ, & conſtituit ſchiſma inter ſubditos, & Dominos temporales

(h) Ita refert Author Princip. cap. 5. N. 23. addens, quod cum illa propoſitio videatur ſuffragari Sacramentariis, jure doceri prohibeatur.

(i) Sic teſte Juvenin Diſſert. 6. quæſt. 6. hæc propoſitio: *Non oportet Euchariſtiæ Sacramentum ſolemni ritu per vias publicas circumferre,* reſpective ad authorem proferentem, poſſet aliquem facere ſuſpectum de hæreſi.

(k) Juxta diviſionem nempe ſcandali, qua dicitur aliud ſcandalum *activum*, & aliud *paſſivum*. Exempla hujusmodi propoſitionis ſcandaloſæ dat Author Princip. ſequentia, ſi quis e. g. doceat, *quod populus non peccet, licet ſine cauſa non recepiet legem; quod per confeſſionem voluntarie nullam ſatisfiat præcepto Eccleſiæ; quod licitum ſit procurare abortum fœtus inanimati &c.*

(l) Vid. Tournel. loc. cit.

les (m). *Piarum aurium offenſiva* non æqualiter ab omnibus explicatur. Eam explicat Author Princip. quod ſit illa, quæ in materia Religionis aliquid auditu grave, durum, devotisque mentibus horridum præſefert. Exemplum dat in his propoſitionibus, quas ſubtiliores aliqui Scholaſtici defendendas ſuſceperunt: *DEUS poteſt hominem pro libitu addicere pœnis inferni*: *item Chriſtus ſuſtinuit tormenta inferni* (n). Aliter explicat Tournelius dicens, illam offendere pias aures, quæ licet in bonum ſenſum accipi poſſit, attamen vel ex natura, vel ex circumſtantiis ſenſum pravum prævalentem, ac præponderantem præſefert, ut inde neceſſario piæ aures offendi debeant (o). Notant hic authores, nomine *piarum aurium* venire aures hominum Catholicorum prudentum, & Doctorum; non indoctorum, plebejorum, ut ut piorum: quippe qui facile offendi poſſunt (p). *Male ſonans* a Tournelio cum priori confunditur. Caſpar Juenin ait, illam *male eſſe ſonantem*, quæ licet habeat ſenſum bonum & malum, abſolute tamen, & ſine diſtinctione profertur (q), & hoc ipſo aures male afficit: cum audiens non intelligat, in quo ſenſu loquens illam proferat. Paulo aliter explicat Author Princip. (r). *Simplicium ſeductiva* eſt, quæ ſub ſpecie pietatis ac veritatis errorem occultat, & rudiores pervertit (s). *Temeraria* iterum diverſimode a DD. explicatur: communius tamen docetur, quod ſit illa, quæ ſine ſufficienti fundamento contradicit ſententiæ

(m) E. g. ſi quis doceat *ſuperiori etiam legitime præcipienti non eſſe obtemperandum*. Differt *ſeditioſa* a *Schiſmatica* in eo, quod illa Politicam; hæc tollat unitatem Eccleſiaſticam.

(n) Loc. cit. N. 29.

(o) Exemplum dat in hac propoſitione ab Alexandro VIII. damnata: *Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque ſunt vel ſacrilegæ, vel invalidæ*. Hæc propoſitio licet poſſit in certo ſenſu eſſe vera, in quantum tamen hæc ſacrilegia refundit in Religioſos, offendit pias aures.

(p) Non enim ad ferendum prudens judicium promiſcuum vulgus, ut ut pietatem præſeferat, attendi debet, niſi in ordine ad avertendum ſcandalum.

(q) E. g. ſi quis dicat: *DEUS mortuus eſt*.

(r) Dicit enim, quod male ſonans illa ſit, quæ ſenſum habere poteſt fidei Orthodoxæ congruum: verba tamen habet incongrua, ſic, ut perverſam quoque ſignificationem admittat. E. g. in hac propoſitione: *Chriſtus eſt ubique*, quam Catholicus de Divinitate; Ubiquiſta falſo de humanitate intelligit.

(s) Talia ſunt multa dogmata Dulciniſtarum, Quietiſtarum, & Quesnelliana.

Digitized by Google

tentiæ communi Patrum & Theologorum, tunc maxime, ſi major pars Doctorum dicat ſententiam contrariam adverſari S. Script. vel Traditioni (t). *Periculoſa* eſt, quæ teſte Authore Princip., ex quo hanc cenſuram deſumpſimus, cum habeat quamdam affinitatem cum aliis malæ notæ theſibus, hominibus etiam doctis, ſed nonniſi trivialia ſcientibus, & ſuis doctrinis hactenus communibus haud ſecus quam æternæ veritati inhærentibus præbet occaſionem authorem hujusmodi propoſitionis male habendi, vel illius doctrinam tanquam periculoſam proſcindendi (u). Hæc res non raro Viros prorſus Catholicos in ſuſpicionem nutantis fidei adduxit (x); quosdam in Inquiſitionem venire, aut omnino catalogo librorum prohibitorum inferi fecit (y); & adhuc hodie male ſentiendi de quibusdam doctis, eorumque doctrinas ſugillandi occaſionem ſuppeditat (z). *Improbabilis* eſt, quæ nullo Scripturæ, Traditionis aut Rationis Theologicæ fundamento nititur (a). Ac demum *damnabilis*, quæ prohiberi debet abſtrahendo a particulari cenſura, qua affici poteſt (b). Plures alias cenſuras a Theologis potius, quam ab Eccleſia aſſumptas recenſet Tournelius, qui omnino videri meretur (c).

Itaque Nota ſeu cenſura Theologica nihil eſt aliud, quam *judicium, vel ſententia, qua cuidam doctrinæ tanquam fidei, bonis moribus vel ſaluti publicæ nocivæ nota quædam inuritur.* Ipſa autem qualificatio eſt duplex, vel *ſpecifica* & *præciſa*, dum cuivis propoſitioni ſua ſingularis inuritur

Quid ſit nota ſeu cenſura Theologica?

Qualificatio duplex, ſpecifica & cumulativa.

(t) Exemplum hujus dat Author Princip. in hoc, ſi quis doceat, quod apud inferos non ſit verus ignis.

(u) Nihil certe hodie frequentius, quam quod illi, qui relictis antiquioribus, & ferme antiquatis opinionibus noviores adoptant, peſſime apud doctos antiquitati obſoletæ innutritos audiant.

(x) Sic enim teſte cit. Authore Viri ſapientiſſimi juxta ac piiſſimi Cardin. Bellarminus, Contarenus &c. ſeſe ſuſpectos in fide fecerunt.

(y) Sic Alexand. Nat. diu catalogo librorum prohibitorum fuit inſertus, donec a Benedicto XIII. fuerit liberatus: ſic Cardin. Noriſius, vel potius Opera illius diu in Hiſpania apud Inquiſitionem velut in carcere detinebantur, usque dum illa Benedictus XIV. libertate donaverit.

(z) E. g. ſi quis omnes qualitates abſolutas rejiciat.

(a) Juenin Diſſert. 6. quæſt. 7. (b) Loc. cit.

(c) Ubi 69. tales propoſitiones recenſet.

uritur cenſura (d); vel *cumulativa*, quando plures propoſitiones in eadem Bulla enumeratæ variis cenſuris reſpective perſtringuntur, quin tamen ſignificetur, quænam in ſpecie hac vel illa cenſura notetur, & ſit vel *hæretica*, vel *erronea*, vel *temeraria*. Dein aliquoties una eademque propoſitio pluribus cenſuris, aliquoties una tantum perſtringitur (e). Prior modus qualificandi eſt difficilior: cum ſit valde operoſum determinare gradum erroris, quem quælibet meretur propoſitio. Alter vero eſt facilior & frequentior.

Prior eſt difficilior; altera facilior in genere ſaltem.

Porro autem hunc alterum modum ſeveriori criſi eſſe ſubjectum vel ſola Hiſtoria Janſeniſmi demonſtrat: nam demus qualificationem *cumulativam*, & varias cenſuras in librum quemdam & propoſitiones in eo contentas indeterminate vibratas, nemo poteſt ſcire, ajunt, quænam propoſitio hac vel illa cenſura profligetur, & tamen vel maxime intereſt hoc ſcire: cum propoſitio *hæretica*, & *erronea* ſemper ſit falſa, nec poſſit eſſe vera; & econtra propoſitio *male ſonans*, *piarum aurium offenſiva &c.* poſſint eſſe veræ. Hoc modo, ulterius ajunt, Eccleſia ſuam ipſa ignorantiam prodit, & fidelibus occaſionem præbet de illius infallibilitate jure dubitandi; vel etiam in varios errores incidendi, dum quis ſuppoſita cumulativa qualificatione aliquam propoſitionem, quæ fortaſſis tanquam *hæretica* fuit damnata, credit eſſe *temerariam*; vel econtra, & ita ſemper hærere in dubio cogitur. Inde factum eſt, quod aliquoties Pontifici fuerit ſupplicatum, ut, quænam in ſpecie huic vel illi propoſitioni nota conveniret, declarare velit, quin aliud fuerit reſcriptum, quam quod tales propoſitiones in ſenſu authoris fuerint proſcriptæ (f).

Etiam cumulativa ſeveriori Criſi eſt ſubjecta.

Aſt inanem, temerariam, & mordacem eſſe hanc criſin, quis non perſpiciat? maxime ſi ad finem qualificationis attendat. Finis enim certe alius non eſt, quam fidelibus venenatos fontes occludere, ne incauti venenum imbibant. Hoc ut obtineat Eccleſia, variis

Hæc tamen Criſis eſt exceſſiva.

(d) Hoc modo propoſitiones Janſenii damnavit Innocent. X., cuivis in particulari ſuas cenſuras inurendo.

(e) Ita errores Origenis, Neſtorii, & Eutychetis in Synod. Generali V.; propoſitiones Abaelardi in Synodo Sueſſionenſi; dogmata Gilberti in Rhemenſi; doctrinæ Wicleffi & Joannis Huſs in Concil. Conſtant.; theſes Lutheri a Leone X.; plures propoſitiones laxiorum Caſuiſtarum ab Alex. VII. & VIII., Innocent. X. & XI. quaſi in globo fuerunt proſcriptæ.

(f) Ita factum eſt in propoſitionibus Janſenii damnatis.

Digitized by Google

riis cenſuris perſtringit doctrinas venenatas: id quod fidelibus ſufficere deberet, ne e talibus fontibus aquas intoxicatas hauriant. Certe quivis homo prudens parum curat, ſive potus aliquis hac vel illa veneni ſpecie ſit infectus, ſi modo ſciat eſſe potum venenatum.

Duplex effectus qualificationis cumulativæ.

Jam vero duo ſunt notabiliſſimi effectus hujus qualificationis, dum nempe propoſitiones plures quaſi *in globo*, ut loquuntur, & reſpective damnantur: primus eſt, quod nulla ſit nota, quæ non alicui propoſitioni conveniat; alter, quod nulla ſit propoſitio, quæ non mereatur aliquam notam. Id ſolum manet occultum, quænam nota ſingulis conveniat, id quod ſcire neutiquam eſt neceſſe. Eſto enim propoſitio *hæretica* ſemper ſit falſa, nec unquam poſſit fieri vera: dum econtra aliqua propoſitio fortaſſis damnata tanquam *periculoſa*, *ſuſpecta de hæreſi &c.* mutatis circumſtantiis poſſit fieri licita (g), attamen opus non eſt, ut quis determinate ſciat, quænam determinate ſit *hæretica*, vel *periculoſa*: cum Chriſtiano ſincero & morigero ſatis eſſe debeat, ſi ſciat, hanc vel illam propoſitionem hic & nunc non poſſe doceri, tradi, teneri &c. Quod autem Eccleſia hoc potius quam altero qualificandi modo utatur, neutiquam ipſius ignorantiæ eſt adſcribendum: utpote quæ ideo hoc facit: tum quod modus iſte ſit facilior, expeditior, & non raro utilior eidem videatur, ne refractariis nova præbeatur occaſio ipſas etiam Eccleſiæ cenſuras iterum cenſurandi, fugillandi &c. tum quod Eccleſia ſoleat eſſe valde cauta & circumſpecta in ſimilibus cenſuris, ita quidem, ut, licet ſibi aſſiſtentiam Spiritus S. promiſſam non ignoret, ſibique adfuturam in neceſſariis non dubitet, temerarie tamen de ea confidere nolit, niſi apertiſſima neceſſitas & utilitas id exigat (h).

Quibusnam competat poteſtas cenſurandi & qualificandi extra Synodos?

Competit autem poteſtas cenſurandi, & qualificandi extra Concilium 1mo Romano Pontifici velut Doctorum Doctori. 2do Congregationibus Romæ erectis. 3tio Inquiſitoribus in locis, ubi viget judicium

(g) Sic e. g. tempore Eutychianorum male audiit propoſitio: *Unus de Trinit. paſſus eſt*; poſtea tamen ab Eccleſia fuit approbata. Vel ut melius demus exemplum: tempore Huſſitarum & Concil. Conſtantienſis temerarium erat negare *accidentia abſoluta in Euchariſtia*. Hodie poſt proſcriptam Philoſophiam Peripateticam nemo ſibi ſcrupulo ducit ea negare ſine ulla nota temeritatis.

(h) Ita Eccleſia prudentiſſime abſtinuit a declarandis quibusdam dogmatibus e. g. doctrina de Immaculata Conceptione; vel damnandis quibusdam ſententiis, e. g. opinione Molinæ in materia de gratia.

cium Inquiſitionis. 4to Epiſcopis pro ſua Diœceſi (i). 5to Univerſitatibus pro ſuis tantum civibus, & ſubditis Academicis. Plurimum autem intereſt, a quo fiat qualificatio. Si a Pontifice: ipſius ſententiæ condemnatoriæ aſſurgendum eſt; ſi non tanquam ultimato, finali, & ſupremo judicio, uti quidam volunt, ſaltem tanquam ſententiæ *proviſionali*, quin ſine nota temeritatis & inobedientiæ eidem refragari liceat. Si a Congregationibus, & Inquiſitionibus: Illorum cenſuris in multis provinciis eadem exhibetur reverentia: in aliis non adeo multum curantur. Si ab Epiſcopis? Obtemperandum eſt illorum ſententiæ ſaltem in Diœceſi, ſalvo jure appellandi ad Pontificem. Si ab Academiis: Tam Profeſſores, quam diſcipuli hujuſmodi cenſuris debitam reverentiam exhibeant, neceſſe eſt. Solent tamen Univerſitates, ſi Pariſienſem, Lovanienſem, & Duacenſem excipiamus, rarius hoc ſuum jus exercere.

Plurimum intereſt, a quo fiat qualificatio.

De objecto cenſuræ Theologicæ. Duæ exponuntur difficultates.

De objecto cenſuræ Theologicæ pauca addamus. Duo potiſſimum ſunt dubia, quæ a DD. hic moveri ſolent, 1mo an cenſura Theologica cadat in ipſos propoſitionis terminos, & verba; vel in ipſum ſenſum & doctrinam verbis expreſſam? 2do An damnari poſſint propoſitiones clare in Scripturis expreſſæ, vel ex conſtanti Patrum Traditione ad nos traductæ; item propoſitiones in ſuo ſenſu naturali veræ, vel æquivocæ? Utrique dubio paucis ſatisfaciemus. Et quidem quantum ad primum dicendum eſt, quod cenſura *directe* cadat in ipſum ſenſum propoſitionis, & doctrinam; *indirecte* tamen etiam in ipſa verba. Ratio primi deſumitur tum ex natura rei; tum ex fine qualificationis & cenſuræ: nam in propoſitionibus magis principale eſt ipſe ſenſus propoſitionis, & doctrina in illis contenta: non enim doctrina verbis, ſed verba ſerviunt doctrinæ. Et quis finis Eccleſiæ qualificantis & cenſurantis? Nempe propoſitionem diffamare, ſcandalum avertere, corruptionem fidei & morum inde facile ſecuturam impedire. Porro autem utique non verba ſola, ſaltem magis principaliter, ſed ſenſus, & doctrina afferunt ſcandalum, fidem ſubvertunt, mores corrumpunt (k)? Inſuper

Reſolvitur prima.

(i) Negant aliqui Epiſcopis hanc facultatem propter Clement. unic. de Summa Trinit. ubi hoc inter reſervata Sedis Apoſtolicæ recenſeri videtur. Verum intelligi poteſt cit. Clement. de declaratione dogmatis ad univerſam Eccleſiam pertinentis.

(k) *Intelligentia dictorum*, ait S. Hilarius lib. 4. de Trinit. *ex cauſis dicendi aſſumenda eſt: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus.* Et S. Ambroſ. lib. de fide.

Inſuper hoc eſt diſcrimen inter *ſimplicem prohibitionem*, & *qualificationem*: quod qualificatio ſit judicium Dogmaticum, & ipſam Doctrinam diffamet; prohibitio econtra ſolum uſum illius prohibeat. Ratio 2di eſt: quod cum verba doctrinæ erroneæ & pravo ſenſui inſerviant, hoc ipſo indirecte a cenſura perſtringantur (l).

Reſolvitur ſecunda.

Quantum ad ſecundum, certum imprimis debet eſſe omnibus Catholicis, quod neque propoſitiones in Script. clare expreſſæ, neque termini ex conſtanti & uniformi traditione Patrum ad nos transmiſſi, quibus Eccleſia velut *Teſſeris* quibusdam ad declaranda fidei dogmata uſa fuit, ulli cenſuræ Theologicæ ſubjaceant. Ratio primi eſt, quod talis cenſura injurioſa foret Spiritui Sancto perpetuum eumque veriſſimum ſenſum propoſitionum determinanti. Rejiciatur ergo venonoſa doctrina verbis affixa: ipſa vero verba DEI afflatu ſacrata maneant illæſa. Interim poteſt Eccleſia, & aliquando conſuevit quarumdam propoſitionum uſum prohibere, vel non niſi cum modificatione permittere, quando nempe Novatores iis abuſi ſunt. Sic e. g. S. Hilarius ferven- *Aliquoties Eccleſia prohibet uſum quarumdam propoſitionum.* te Arianorum hæreſi nolebat permittere, ut verba Scripturæ: *Natus ex MARIA Virgine* ſine addito: *Verbum caro factum eſt* uſurparentur, ne Ariani inde occaſionem ſumerent Divinitatem Chriſti negandi. Nunquam tamen tales propoſitiones Eccleſia damnavit, aut damnare potuit. Ratio ſecundi eſt, quod hactenus omnia Concilia & Patres ita *Nunquam verba in vim Teſſeræ aſſumpta.* ſenſerint; neque Eccleſia unquam paſſa ſit terminos in vim Teſſeræ fidei aſſumptos perverſis Hæreticorum expoſitionibus corrumpere (m).

Requiſita Traditionis veræ.

Dictum fuit notanter *ex conſtanti, & unanimi PP. Traditione.* Hinc, ut doctrina hæc obtineat, ſequentes requiruntur conditiones: primo non ſufficit unius alteriusve Patris ſententia. Secundo debent Patres rem, vel propoſitionem ex profeſſo, data opera aſſertive, & ex propria mente; non quaſi tranſeunter, per accidens, & opinative pertractaſſe. Tertio eorum doctrina debet eſſe approbata ab Eccleſia. Quarto ſenſus propoſitionum ex nullis circumſtantiis debuit eſſe immutatus (n). Alias vero propoſitiones, exceptis propoſitionibus Scripturæ, aut uſu & traditione Patrum conſecratis, univerſali Eccleſiæ uſu mutari poſſe, adeoque ex ſanis & Catholicis poſſe evadere falſas & hæreticas tum ex natura rei, tum factis conſtat hiſtoricis.

(l) E. g. vox *Homoouſion* & *Theotocos.*

(m) Quidquid Ariani tentaverint, nunquam permiſit Eccleſia, ut ſuis formulis æquivocis, & expoſitionibus vim Verbi *homoouſion* eliderent.

(n) Iſta fuſe, & accurate explicat Tournelius in Appendice art. 3.

Digitized by Google

Dixi, *ex natura rei:* cum utique naturalis ac proprius ſenſus verborum & propoſitionum vel maxime dependeat ex communi hominum uſu & æſtimatione prudentum, in quorum arbitrio eſt verba aſſumere, verbis aſſumptis novum ſenſum dare, vel determinare.

Dixi *ex factis hiſtoricis:* ſic verbum ομουσιον peſſime audiebat tempore Pauli Samoſateni; & tempore Arianorum in vim Teſſeræ fidei Catholicæ aſſumebatur. Item voces iſtæ: *homo Deifer, homo Deificatus* a SS. Athanaſio, Greg. Nazianz. & Auguſtino innoxie & Catholice ſaltem ante Neſtorium uſurpabantur. At vero tempore Neſtorii periculoſæ & cenſura dignæ videbantur.

Propoſitiones in ſenſu naturali veræ cenſurari nequeunt.

Quantum ad propoſitiones in ſenſu naturali veras, iterum communis eſt doctrina, quod cenſurari, damnari, & qualificari non poſſint: aut enim naturam, aut objectum, aut finem cenſuræ attendimus? ſi naturam: hæc utique nihil aliud eſt, quam *nota injuſta malæ doctrinæ:* quomodo ergo cadere poteſt in propoſitionem veram? ſi objectum: illud ex dictis eſt ipſe ſenſus propoſitionis. Demus ergo ſenſum notari, damnari, diffamari: nunquid veritas notabitur, & damnabitur? ſi finem: ille eſt, ut error avertatur, veritas detegatur, morum corruptio impediatur. Sed nunquid in propoſitione vera latere errorem, aut doctrinam fidei & moribus nocivam occultari dicemus? Quantum denique ad propoſitiones æquivocas, illas eſſe ſubjectas cenſuris Theologicis ex ſupra dictis conſtat (o).

§. VII.

In quo ſenſu competat Pontifici poteſtas ferendi leges univerſales?

Romano Pontifici tanquam ſupremo Eccleſiæ Capiti in *Theſi* competere poteſtatem ferendi leges univerſales in tota Eccleſia obligatorias, nemo Catholicorum dubitat. Quoniam vero hæc poteſtas ipſi data fuit *in ædificationem, & non in deſtructionem Eccleſiæ*, ideo DD. varias ponunt limitationes, & id obtinere ajunt: primo ſi talis lex non ſit contra conſuetudines legitime in quibuſdam locis receptas: has enim ignorare, neque eiſdem velle derogare legiſlator præſumitur (p). Secundo ſi non ſit contraria libertatibus Eccleſiarum (q) adverſa pactis & concordatis cum quibuſdam Nationibus initis (r), vel aliquorum privilegiis

(o) Vid. Tournelius in ſæpius laudata Appendice.

(p) Cap. 1. de Conſtit. in 6.

(q) Tales libertates jactitat Eccleſia Gallicana.

(r) Talia pacta ſunt Concordata Germaniæ, quibus Pontifex per ſuas Conſtitutiones contravenire nequit.

legiis (s). Tertio ſi non aliud uſu in quibusdam locis, illis maxime, ubi *Placetum Regium* viget, ſit receptum (t).

Qualis requiratur promulgatio, & acceptatio ad leges Pontificias?

Quidquid de his ſit, nos hic potiſſimum examinabimus, an & qualis requiratur promulgatio & acceptatio legis Pontificiæ ad hoc, ut in univerſali Eccleſia obliget? an videlicet ſufficiat Romæ facta, vel requiratur in ſingulis Diœceſibus facienda. Difficultatem facit ſtylus curiæ antiquiori Eccleſiæ prorſus incognitus, & noviſſimis temporibus introductus, vi cujus leges Pontificiæ affiguntur in Acie campi Floræ, & ad valvas Baſilicæ Apoſtolicæ cum decreto: *Urbis & Orbis*, & in Cancellaria Apoſtolica pro publicatis declarantur, Ex qua ratione modus iſte promulgandi fuerit introductus, divinare nolumus, relinquentes cæteroquin in ſuo eſſe opinionem Authoris Princip. ex politico conſilio id factum eſſe libere aſſerentis; ex eo nempe: quod, cum Romani non ignorarent, ſæpius ab Epiſcopis potentioribus & Principibus promulgationem denegari, id parum pro Sede Romana honorificum, & ideo honori Pontificis melius conſultum eſſe exiſtimaverint, ſi Romæ tantum fieret promulgatio, absque eo quod Bullæ ad extraneos mittantur, propter periculum, ne tales Bullæ non acceptentur, multo minus promulgentur. De hac ergo quæritur, an ſufficiat ad hoc, ut lex in aliis etiam provinciis obliget.

Modus promulgandi Romæ tantum eſt novus, & quare introductus?

Non ſufficit promulgatio Romæ tantum facta. Non ex jure naturæ ſaltem in aliquo ſenſu.

Nobis hactenus ſemper ſententia id negans tanquam vera, & veriſſima viſa fuit, maxime ſi loquamur de legibus univerſos fideles concernentibus; & talibus, quarum obſervantia ferme quotidianum habet uſum, & apparet in publico (u): quippe quod ſententia contraria videatur, in certo ſaltem ſenſu, ipſi juri naturæ, Divino, Apoſtolico ac antiquiſſimæ, & noviori conſuetudini, praxi, & obſervantiæ Eccleſiæ adverſari. Et quidem ſi ad jus naturæ reſpicimus, certe ex jure naturæ talis requiritur legis promulgatio, quæ eſt medium ordinarium ſufficiens, ut ſubditi queant venire in notitiam legis authenticam, & obſervantia legis atque uniformitas actionum prudenter ſperari poſſit: tunc maxime ſi lex ſit univerſalis, cujus obſervantia ad omnes ferme &

(s) Sic ajunt, quod quidam Principes, & Duces (in ſpecie id aſſerunt de ſereniſſima Domo Auſtriaca) habeant privilegium non acceptandi Bullas Pontificias.

(t) Uti in Gallia, Belgio, imo de hodierna praxi jure optimo dici poteſt, quod ferme in pleriſque regnis & provinciis vigeat &c.

(u) Talis lex eſt Decretum Concilii Trident., quo præcipitur, ut Matrimonium non aliter celebretur, quam in Præſentia Parochi, & duorum teſtium.

& ſingulos pertinet, & appareat in publico, vel periculum ſit in mora: At vero promulgatio Romæ tantum facta certe non eſt talis: cum enim Eccleſia ſit corpus aliquod per totum orbem diffuſum, quomodo lex innoteſcet ſingulis Eccleſiis immenſum a ſe diſtantibus, & ſingulis fidelibus in ſpecie? quomodo, aut quandonam poterit ſperari communis obſervantia, & conformitas in agendo? nunquid mera & mira erit confuſio? eſto enim Epiſcopi Romæ ſuos habeant Agentes, quid ſequitur? nihil aliud, quam quod ſucceſſive Epiſcopi veniant in notitiam legis. Sed qua ratione lex innoteſcet ſingulis fidelibus, niſi ipſis per Epiſcopos promulgetur? vel demus, quod aliqui particulari ſcientia legem ſciant, num mox ad obſervantiam obligabuntur? Imo demus quod ſcientes legem obſervent, quæſo quæ erit confuſio in plebe? Utrum autem Epiſcopi debeant promulgare talem legem, ex eo tantum, quod ſciant ex relatione particulari non authentica, legem eſſe Romæ promulgatam, alia eſt quæſtio. An non poſſunt cauſari defectum authenticæ notitiæ, ſufficientis inſinuationis, & ſcientiæ legalis? Ut nihil dicamus de illa ſententia a nobis infra probanda, quod in legibus eccleſiaſticis diſciplinam concernentibus requiratur acceptatio non quidem ſubditorum, ſed Epiſcoporum: utpote qui ſoli ſciunt neceſſitates ſuarum Eccleſiarum, conſuetudines locorum, noſcunt mores, ac genium ſuorum ſubditorum, & conſequenter prudens ferre judicium valent, an lex ſit futura utilis ſuæ Eccleſiæ, ſaluti animarum, & accomodata genio, ingenio ac moribus ſuorum ſubditorum.

Neque ex jure Divino. Si ad jus Divinum reflectamus, profecto Chriſto ſufficiens non fuit promulgatio novæ legis in die Pentecoſtes Jeroſolymis facta, ſed juſſit Apoſtolos, ut *euntes in mundum univerſum prædicarent Evangelium.* Marc. 16. De praxi & conſuetudine Eccleſiæ antiquioris quid dicamus? *Neque ex praxi Eccleſiæ.* Certe Apoſtoli ſua Decreta Jeroſolymis concepta per Judam & Silam miſerunt ad eos, qui erant Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ. Act. 15. Zephyrinus Papa teſte Tertulliano ſuum decretum, quo Mœchis pœnitentia publica functis pacem conceſſit, miſit ad omnes orbis Chriſtiani partes. Synodus Arelatenſis 22. Canones contra Donatiſtas editos Sylveſtro Pontif. publicandos transmiſit. Idem factum fuit in Conciliis Nicæno, Sardicenſi, Chalcedonenſi, & ſequentibus, quorum decreta ad omnes Patriarchas ſuis Epiſcopis publicanda, eſſe transmiſſa legimus. Idem demonſtrat praxis Eccleſiæ mediæ, & novioris: nunquid enim Innocent. III. Canonem Concilii Lateranenſis in cap. 12. de Pœnit. contentum, quo omnes ad Communionem Paſchalem obligantur, in omnibus Eccleſiis promulgari voluit? An non decretum Concil.

cil. Trident. de clandeſtino Matrimonio ex Bulla Pii IV. in omnibus prorſus Parochiis publice denuntiari debuit? Nunquid & præcedens Pontifex antiquioris diſciplinæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus plures ſuas conſtitutiones ad omnes transmiſit Epiſcopos? & quare e. g. Bulla Cœnæ, Regulæ Cancellariæ, & plures aliæ Bullæ Pontificiæ in hac vel illa provincia, etiam in noſtra Germania non obligant, niſi quod debite promulgatæ, & acceptatæ non fuerint?

Requiritur acceptatio ſaltem ex parte Epiſcoporum. Rationes proponuntur.

Inde fluit ratio pro acceptatione legum Eccleſiaſticarum, non quidem ex parte ſubditorum, ſed Epiſcoporum neceſſaria. Cum enim in Eccleſia detur Regimen Ariſtocratia temperatum, cum Epiſcopi ipſo jure Divino ſint tales, & in partem ſolicitudinis vocati, cum Regimen Eccleſiæ datum ſit in *ædificationem magis, quam deſtructionem*, atque adeo debeat eſſe mite, manſuetum, charitate & humilitate plenum, non turbulentum, aliorum juribus præjudicioſum, moribus, genio ac ingenio hominum attemperatum, cum ipſa Eccleſia ſit diffuſa per totum terrarum orbem, & Pontifex non poſſit noſſe neceſſitates, conſuetudines, & obſervantias Eccleſiarum particularium, mores, genium ac ingenium hominum, adeoque ignoret, an lex optatum fructum ſit obtentura, profecto videtur omnibus ſimilibus legibus vel ex ipſa natura rei, vel Inſtitutione Chriſti tacite imbibita eſſe conditio, ſi Epiſcopi acceptaverint, & acceptandam judicaverint: quippe pro quibus ſtat fortiſſima præſumptio, quod non ſint futuri Pontifici refractarii, aut illius leges contempturi, ſi ſuis Eccleſiis utiles eſſe agnoverint.

Dein de eſſentia legis eſt, ut ſit utilis: undenam autem habet ſuam utilitatem niſi ex acceptatione & debita obſervantia? Hac ergo deficiente non eſt lex. Loquimur autem hic de acceptatione non qualicunque, & ſubditorum: his enim ſi libertatem relinquamus leges acceptandi, vel non acceptandi, ſæpe illudent Imperantibus, & ſaluberrimas leges elident; ſed de acceptatione Epiſcoporum, quos DEUS una cum Pontifice *conſtituit regere Eccleſiam DEI*, pro quibus militat fortiſſima præſumptio, quod bono Eccleſiæ univerſalis, & particularium omni meliori modo ſint proviſuri, quibus longe melius perſpectæ ſunt neceſſitates ſuarum Eccleſiarum, & redundatura in eas ex acceptatione legis utilitas.

Ob defectum acceptationis plures leges effectum non obtinuerunt.

Præterea, undenam venire putamus, quod plures leges Pontificiæ apud nos in Germania & alibi vim obligandi non habeant, niſi quod non ſint acceptatæ? Profecto huic ſententiæ hodierna praxis Germaniæ ſat aperte ſuffragatur: quotusquisque enim Epiſcoporum Conſtitutiones & Bullas Pontificias a præced. feliciſſimæ mem. Ponti-

Pontifice ad ipſos transmiſſas omnes & ſingulas aut acceptavit, aut promulgavit, aut non per varias clauſulas reſtrinxit, limitavit? Denique quis neſcit hodie in pluribus Regnis & Provinciis vigere *Placetum Regium*, vi cujus a Principibus ſæcularibus Bullæ Pontificiæ examinantur, ſupprimuntur, vel approbantur, ſecus nullam vim habituræ? quod ſi talis, ac tanta ſit poteſtas Principum ſæcularium in leges Eccleſiaſticas, quidni dicamus requiri acceptationem Epiſcoporum, quorum humeris præcipue incumbit onus regendi Eccleſias, illisque omni meliori modo providendi?

§. VIII.

De poteſtate directa & indirecta in Reges & Principes.

Duas præcedentes quæſtiones excipit tertia haud minoris momenti, & difficultatis, an Pontifex habeat poteſtatem *directam* vel ſaltem *indirectam* in Reges & Principes, eorumque ſubditos & Regna? *directam* vocant, vi cujus Pontifex *directe* de Regibus, eorum bonis, & Regnis immediate ac libere poteſt diſponere ferendo leges quoad temporalia, quibus & Reges & Principes, illorumque ſubditi obtemperare obligantur. *Indirectam* illam appellant, qua Pontifex utitur in ſubſidium poteſtatis ſpiritualis, quatenus ita exigente neceſſitate Eccleſiæ (ponamus Imperatorem vel Regem incurrere in hæreſin cum apertiſſimo periculo; ne hæreſis ulterius propagetur) ipſos deponere, exauthorare, Regno exuere, & ſubditos illorum ab homagio & juramento fidelitatis poteſt abſolvere. Quæſtio hæc non eſt adeo nova, ſed antiqua, & illis potiſſimum Sæculis majori fervore agitata, quibus inter Pontifices, Imperatores, & Reges nonnunquam exortæ ſunt controverſiæ, & Pontifices gravioribus cenſuris in Imperatores & Principes animadverterunt, eos excommunicarunt, exauthorarunt, eorumque ſubditos a vinculo fidelitatis abſolverunt. Plura hujus rei exempla proſtant in Hiſtoriis: ita enim Greg. VII. Henricum IV., Calliſtus II. Henricum V., Innocentius III. Ottonem IV., Innocent. IV. Fridericum II. fulmine excommunicationis perculerunt, & ſceptro, ac Regno, quantum de ſe erat, exuerunt. Idem etiam quibusdam Regibus contigiſſe legimus: ſic Martinus IV. Pont. Petrum Arragoniæ Regem Regno & ditionibus privavit, Bonifacius VIII. ſaltem intentavit excommunicationem Philippo Pulchro Galliarum Regi: idem fecit Clemens VII. Henrico VIII. Anglorum Regi: Pius V. Eliſabetham Reginam Angliæ Regno privatam declaravit, illiusque ſubditos a juramento fidelitatis abſolvit. Quæſtio hæc equidem in aliis etiam Regionibus e. g. Venetiis, dum Paulus V. Rempublicam Venetam excom-

Varii Pontifices, varios Imperatores, & Reges exauthorarunt.

Hæc quæſtio in Galliis potiſſimum fuit agitata.

communicationi, & Interdicto ſuppoſuit (x): nullibi tamen in illum exarſit fervorem, ac in Galliis tum occaſione diſſidii inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum, tum aliarum litium, libertatum Gallicanarum, & præcipue *Juris Regaliæ*, quod Reges Galliæ inſtigante Parlamento Regio, præſertim elapſo Sæculo nimium quantum extenderunt, ut adeo mirum non ſit, quod Galli eodem Sæc. præterito in ſuis comitiis iterato hanc propoſitionem: *Pontifex nec directam, nec indirectam habet poteſtatem in Reges, Regna & ſubditos quoad temporalia*, inſtar dogmatis inconcuſſi in Eccleſia Gallicana recepti adoptaverint (y). Natali Alexandro hæc propoſitio tam certa & evidens viſa fuit, ut ſcribere non dubitaverit, ſententiam contrariam eſſe *falſam, erroneam, Verbo DEI, & doctrinæ Patrum contrariam* (z). Contra hanc doctrinam præcipue ſcripſerunt Cardin. Bellarminus in Tract. contra Barclajum, & Author Anonymus in Tract. de libert. Gallic.

Afferuntur argumenta negantia. Ex Scriptura.

Audire jam libeat argumenta Gallorum aliorumque: primo dicunt, nullibi Chriſtus in tota Scriptura vel verbo, vel exemplo docuit, quod vel ſibi poteſtatem etiam indirectam in Reges & Principes attribuerit; vel Petro, ejusque Succeſſoribus, vel Eccleſiæ conceſſerit: imo & verbo, & exemplo contrarium docuit; verbo quidem: nam ipſe de ſe ipſo dicit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo* (a) Exemplo: quia talem poteſtatem nullibi exercuiſſe; imo contrarium feciſſe legitur. Nunquid enim Chriſtus ipſe leges hujus Sæculi obſervavit, & obſervari voluit? An non tributa Cæſari, & non ſibi reddi voluit (b)? nemini dubium eſſe poteſt, quin Chriſtus Dominus Monarchiam Romanam, aliaque Regna numeroſo Angelorum (c), vel hominum exercitu ſtipatus ſubvertere, atque univerſum orbem ſuaviſſimo ſuo jugo ſubmittere potuerit? num difficile illi fuiſſet integra Regna, ſua & Apoſtolorum ſuorum prædicatione, miraculis, aliisque modis nobis incognitis ad fidem Catholicam convertere, & hos poſtea ab homagio fidelitatis abſolvere, & hoc modo Imperatores & Reges ſuo Regno exuere? verum nihil tale feciſſe legimus: non reſtitit Chriſtus

Talem poteſtatem non exercuit Chriſtus.

(x) Varia occaſione hujus diſſidii in lucem emanarunt opuſcula, quorum plura refert Goldaſtus in Tract. de Juriſdict. Imper. & Pontificia.

(y) Vid. Mr. Hericourt les lois Eccleſiaſtiques Prem. Part. chap. IV.

(z) In Hiſt. Eccleſ. Sæc. XIII. Diſſert. 3. Art. 3.

(a) Joan. cap. 19. (b) Matth. 22. v. 21.

(c) *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum.* Matth. 26. v. 53.

ſtus furori Imperatorum gentilium in vitam Chriſtianorum crudeliſſime ſævientium, & multorum millium ſanguinem crudeliſſimis tormentis effundentium, non Chriſtianos ab obedientia Ethnicis Imperatoribus debita abſolvit, nullo alio remedio ad fundandam propugnandamque Eccleſiam uſus fuit, quam prædicatione verbi Divini.

Nec acceperunt Apoſtoli. Sed nec Petro, nec cæteris Apoſtolis, nec Eccleſiæ ſimilem poteſtatem conceſſiſſe legitur. Petro enim non alias dedit claves, quam *Regni Cælorum* (d), neutiquam regni terreſtris; neque aliam poteſtatem, quam poteſtatem *ligandi*, & *ſolvendi* pro foro *interno*, vel etiam *externo* in ordine ad pœnitentiam publicam, remiſſionem peccatorum, *Chriſtus ſuos Apoſtolos docuit contrarium.* infligendas, & laxandas pœnas ſpirituales &c. Suos Apoſtolos miſit *ſine pera & ſacco* ſine armis; eisque aliud non præcepit, quam ut ſuum prædicarent Evangelium (e), neutiquam vero, ut cenſuras eccleſiaſticas fulminarent, Imperatores & Reges ſuo regno exuerent, illorumque ſubditos ſuo homagio eximerent: id quod alieniſſimum erat a voluntate & intentione Chriſti ſuam Eccleſiam non vi, non armis, non aliis violentis remediis ſtatum politicum & jura ſceptrorum turbantibus inſtituere, & in omnem terrarum orbem propagare volentis: voluit enim Chriſtus in ſua Eccleſia, ut ſupra obſervavimus, inſtituere regimen legibus manſuetudinis, charitatis, & humilitatis temperatum: & hinc diſcipulis volentibus, ut ignem mitteret, reſpondit: *Neſcitis, cujus ſpiritus eſtis* (f). Et iterum: *Principes dominantur eorum, vos autem non ſic* (g). Voluit Chriſtus, ut ſpiritus lenitatis & manſuetudinis in toto orbe Chriſtiano dominaretur, atque nemo non luce meridiana clarius videret, manibusque palparet, ſe ita Eccleſiæ regimen temperaſſe, quatenus non modo inſtitutio, verum etiam conſervatio & propagatio ſuæ Eccleſiæ non tam ab humanis auxiliis, & præpotenti dominatu, quam ab omnipotenti digito DEI mirabiliter operantis dependere videretur.

Quis unquam credidiſſet, Eccleſiam ex effuſo tot millium Chriſtianorum ſanguine velut ex ſemine immenſa accepturam incrementa? Certe non præpotentia, non vis armorum, non humana eaque violenta fuerunt illa auxilia, quibus hactenus Chriſtus Eccleſiam inter tot perſecutiones Imperatorum gentilium, invaſiones Regum Chriſtianorum, ſchiſmata, hæreſes & diſſidia conſervavit

Pro-

(d) Matth. 16. cap. 19. *Tibi dabo claves Regni Cælorum.*

(e) *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. v. 15.

(f) Luc. 9. v. 55. (g) Matth' 20.

Talem poteſtatem neque Pontifices usque ad Sæc. X. exercuerunt.

Provocant ſecundo ad Traditionem: quia nec Chriſtus, nec Apoſtoli, nec Pontifices ad Sæc. ferme usque X. tali poteſtate uſi fuiſſe leguntur. De primis tribus Sæculis, quibus adhuc gentiliſmus tam in eccleſiaſticis quam politicis dominabatur, aliunde conſtat: ſed nec poſt tempora Conſtantini, ubi Religio Catholica facta fuit dominans, atque Eccleſiam rexerunt Imperatores & Reges Chriſtiano nomini addicti, talem poteſtatem ſibi Pontifices arrogaſſe, multo minus eam uſurpaſſe leguntur. Quæſo quæ monſtra hominum (Imperatores & Reges intelligo) aliquoties tenuere ſceptrum regium, aut ſederunt in ſolio Imperatorio? & tamen non legimus, quod a Pontificibus ſuo Regno privati, aut illorum ſubditi a jugo fidelitatis fuerint exempti, quamquam difficile non fuiſſet eo tempore populum exceſſivo in Religionem Catholicam fervore flagrantem contra ſuos Principes commovere (h), Talem poteſtatem non exercuit Liberius contra Conſtantium faventem Arianis & Julianum Apoſtatam omnia ſusque deque vertentem; non Damaſus contra Valentem pariter Arianum; non Silverius contra Juſtinianum, non Symmachus adverſus Anaſtaſium Imperatorem impium, non Gregorius contra Mauritium, non Martinus I. contra Conſtantem errori Monothelitarum addictum, non alii Pontifices usque ad Gregorium VII., qui exemplo in Eccleſia hactenus inaudito Henricum IV. regno exuit, exauthoravit, & illius ſubditos ab homagio fidelitatis abſolvit. (i).

Etiam contra iniquiſſimos Imperatores.

Inquiunt tertio: nemo antiquorum Patrum de tali poteſtate ſomniavit, ſed omnes unanimiter perſuaſum ſibi habebant, Imperatoribus & Regibus etiam diſcolis conformiter doctrinæ Pauli eſſe ſimpliciter obediendum (k).

Hæc poteſtas videtur contrariari Spiritui Chriſti, eſſe inimica paci, nociva Eccleſiæ.

Quarto nunquid *omnis poteſtas a DEO, & qui poteſtati reſiſtit, poteſtati DEI reſiſtit* (l)? Num credibile, quod Chriſtus Author pacis, Magiſter manſuetudinis poteſtatem aliquam prorſus violentam, turbativam pacis, excitativam rebellionum, incentivam bellorum & talem, qualem nec ipſe, nec ſui Apoſtoli, nec illorum Succeſſores per plura Sæcula exercuerunt, penes ſuam Eccleſiam relinquere voluerit? Quinto

Ddd 3

(h) Plenæ ſunt hiſtoriæ de fervore & zelo primorum Chriſtianorum aliquoties etiam exceſſivo, quo egerunt contra Gentiles & Judæos, de quo multa, calamo tamen venenato, ſcribit Boehmer ad Tit. de Judæis.

(i) Vid. Nat. Alex. in Hiſt. Eccleſ. Sæc. XI. Diſſert. II. ubi etiam pluribus probat, SS. Patres huic poteſtati eſſe contrarios.

(k) Hebr. 13. v. 17. (l) Rom. 13. v. 1. & 2.

to anne talia remedia ad Reges in ſuo officio continendos, Eccleſiam conſervandam, atque Religionem defendendam proporrionata exiſtimamus? quippe quæ potius pacem turbant, diſcordias nutriunt, Sacerdotium ab Imperio dividunt, bella incendunt, ſchiſmata inducunt. Sexto experientia hactenus docuit, quod hujus poteſtatis uſus Eccleſiæ bono plus ob-, quam profuerit, atque id denique effecerit, ut diſſidia in apertum ſchiſma erumperent, prout in Anglia factum eſſe ex rerum tempore Henrici VIII. geſtarum hiſtoria conſtat. Ex quibus patet, quod cardo difficultatis ad id devolvatur, utrum Chriſtus talem poteſtatem verbo expreſſerit, exemplo docuerit, Eccleſia eam exercuerit, & hoc exercitium Eccleſiæ Chriſti intentioni, & voluntati conforme ſit, & fuerit.

Aſſeruntur argumenta affirmativa.

Pro poteſtate Pontificia faciunt argumenta ſequentia: primo certum eſt, quod Chriſtus Dominus ſuæ Eccleſiæ Regimen ſpirituale ſupremum, & tale quidem dederit, quod eidem ad jura tuenda, damna avertenda, atque totam Rempublicam Chriſtianam conſervandam foret neceſſarium: Jam vero huic poteſtati velut appendix neceſſaria indivulſe annexa eſſe debet poteſtas ſaltem indirecta in Imperatores & Reges, eorumque Regna & ſubditos: qua enim alia arte Pontifex damna Eccleſiæ imminentia avertet, illius jura conſervabit, ipſos Imperatores & Reges Chriſtianos Eccleſiæ titulo Chriſtianitatis ſubjectos in ſuo conſervabit officio? ut adeo hæc poteſtas non tam *politica*, quam *Eccleſiaſtica;* non tam *temporalis*, quam *ſpiritualis* eſſe tam ex parte *ſubjecti*, ſicut Scholæ loquuntur, quam *objecti* eſſe videatur. Etenim Imperatores, Reges & Principes duplici titulo Eccleſiæ ſunt ſubjecti, uno *univerſali*, ſcilicet *Chriſtianitatis*, hoc ipſo quod per Baptiſmum ſint ingreſſi Eccleſiam; altero *particulari*, id eſt jure & titulo *Advocatiæ*, quo vel ex ipſo jure Regio & Imperatorio, vel translatione ab Eccleſia in ipſos facta (m), vel ſpontanea aſſumptione gloriantur, & eo ipſo ad defendenda jura Eccleſiæ ſe obligatos eſſe non ignorant. Jam eſto prior titulus generalis non ſit eſſentialiter conjunctus cum titulo & jure Regio, alter tamen a Principe Catholico eſt inſeparabilis. Inde quid ſequitur? nihil aliud, quam quod, ſi in pacta cum Eccleſia inita, in obligationes & leges cum jure Advocatiæ connexas peccent, ſuoque munere male fungantur, & ex Advocatis Eccleſiæ omnino in hoſtes capitales transformentur, Eccleſiæ ſit poteſtas, eaque potius ſpiritua-

Hæc poteſtas videtur Eccleſiæ eſſe neceſſaria.

Duplici titulo Imperantes ſunt Eccleſiæ ſubjecti.

(m) Sic Galli ajunt, quod jam ante tempora Caroli M. Pontifices jus Advocatiæ in Reges Galliæ tranſtulerint. Similiter Leo III. in Carolum M. una cum titulo Imperatorio ſupremum jus Advocatiæ tranſtuliſſe dicitur.

Digitized by Google

ſpiritualis quam temporalis illa remedia adhibendi, quibus ſalus Reipublicæ Chriſtianæ cum Republica politica nexu indiſſolubili conjunctæ conſervari, atque mala imminentia averti valeant. En! ſubjectum, objectum & finem intra limites poteſtatis eccleſiaſticæ contentum.

Exauthoratio Regum per Pontifices eſt medium proportionatum, neutiquam violentum.

Neque dicatur, medium iſtud, quod eſt exauthoratio Regum, & ſolutio obligationis ex homagio a ſubditis contractæ, ad hunc finem conſequendum eſſe prorſus improportionatum: præterquam enim, quod hæc reſponſio ſit petitio principii, quærere liceat, quid ergo faciat Pontifex exauthorando Reges, eorumque ſubditos abſolvendo ab obligatione fidelitatis? Profecto nihil aliud, quam quod characterem Imperatorium vel Regium non agnoſcat, Imperantes velut indignos regno & ſceptro, & tanquam hoſtes Eccleſiæ, & hoc ipſo obligationem præſtandi fidelitatem ceſſare declaret; utpote quæ toties ceſſat, quoties ex adimpletione legis gravioris mali manifeſtum periculum imminet. Certe in hoc remedio nihil violenti, nihil quod contrarium eſſet juri naturali, adverſum juri Divino, vel crudelitatem, aut exceſſivum dominatum ſaperet, videre eſt.

Quare Chriſtus talem poteſtatem non exercuerit?

Hæc poteſtas videtur Eccleſiæ eſſe neceſſaria.

Ut Imperantes in ſuo officio contineantur.

Neque ſecundo mirum eſt, quod Chriſtus hanc poteſtatem aut verbo expreſſiſſe, aut exemplo docuiſſe nullibi legatur: quia hoc ipſo, quod Pontifici ſupremam poteſtatem in ordine ad regendam Eccleſiam conceſſerit, hanc ipſam poteſtatem velut appendicem neceſſariam concedere debuit: quippe quod juris clari ſit, una cum jurisdictione ea omnia eſſe conceſſa, ſine quibus illa exerceri nequit. Aut dicemus, quod Chriſtus ſolam ſuam Eccleſiam inermem reliquerit, eique non niſi poteſtatem inanem, & facile elidibilem conceſſerit? Quotusquisque enim imperantium eſt, qui cenſuras eccleſiaſticas curat, & non potius tanquam bruta fulmina ridet? Quæſo, quid non tentarunt ſæpe Imperantes, & in hodiernum usque diem tentant? quæ & quanta jura ſibi titulo Principatus, Regalium, Advocatiæ, Defenſionis jurium Eccleſiæ, & Executionis Canonum (n) ſibi vindicant? Ferme omnibus majoris momenti negotiis, e. g. Electionibus Pontificum, aliorumque Epiſcoporum ſe immiſcent, non raro ſchiſmata conflant, jura Eccleſiaſtica infringunt, SS. Canones *Rationi ſtatus* accommodant, omnia fusque deque vertunt. Abſit, ut hæc ex hiſtoria Eccleſiaſtica innumeris factis declaremus. Eo ventum eſt, ut nulla lex Eccleſiaſtica amplius ferri, promulgarique poſſit niſi *Placeto Regio* ſit approbata,

Abuſus Placeti Regii.

(n) E. g. Jus Regaliæ, interveniendi Electionibus, intereſſendi Conciliis, cumulative judicandi in cauſis etiam eccleſiaſticis &c.

probata, quamplurimæ cauſæ, ſi vel a longe ſtatum politicum attingant, judiciis eccleſiaſticis ſubtrahantur, & foro ſæculari ſubjiciantur. En! quam ampla, quam immenſa ſit poteſtas Principum in regimine non tantum Reipublicæ Politicæ, ſed vel maxime Eccleſiaſticæ. Et ipſam poteſtatem ſpiritualem a Chriſto ſuæ Eccleſiæ ſpeciali conceſſione datam tam anguſtis circumſcribemus anguſtiis? Edicant jam AA. ubinam Chriſtus vel verbo, vel exemplo tantam poteſtatem Principibus ſæcularibus in ordine ad regimen Eccleſiæ ipſis conceſſerit? Si dicant, ex jure naturæ, & natura regiminis politici illam fluere: quidni hoc ipſum illis opponant Pontifices? Multo minus mirum videri debet, quod Chriſtus talem poteſtatem exemplo non docuerit: non enim eæ erant rerum circumſtantiæ, ut vel Chriſtus juxta fines ſibi præſtitutos, vel Apoſtoli, & illorum Succeſſores juxta leges ſanioris œconomiæ talem poteſtatem exercere potuerint. Venit Chriſtus tanquam Author, Fundator, & Supremus Rector Eccleſiæ noviter erigendæ. Agebatur de nova Religione implantanda, cœtu fidelium congregando, & Eccleſia ipſa magis magiſque propaganda; non vero de juribus Eccleſiæ jamjam quæſitis vindicandis, religione antiqua conſervanda, & Eccleſia defendenda. Res ipſi erat cum Judæis & Gentilibus, in quos nihil ſibi juris vindicabat; neque in ipſorum perſonas; nec eorum ſubditos aut bona temporalia: non primum: quippe quod Gentiles & Judæi nec ex titulo *regiminis politici*, quod Chriſtus averſabatur; nec *Chriſtianitatis*, nondum enim erant baptizati; nec Advocatiæ, quoniam ſe juramento fidelitatis Eccleſiæ non obligaverant, illi obſtricti forent: non ſecundum: quippe quod illa violenter invadere, ſibique vindicare a finibus ſibi præſtitutis alienum erat. Quare non vi, non armis illos ad amplectendam religionem Chriſtianam eſſe compellendos, ſed prædicatione Evangelii ſuo cœtui noviter congregato aggregandos cenſuit. Opus igitur Judæis erat inſtructione, non coercitione; gratia interne illuſtrante, non violentia externa obdurante. Quid ergo mirum, quod Chriſtus poteſtatem indirectam in temporalia Gentilium & Judæorum non exercuerit: cum illos ſibi nullo titulo reſpective ad Eccleſiam ſubjectos habuerit; ipſi vero Gentiles & Judæi nulla jura Eccleſiæ violaverint?

Adeo ampla poteſtas Regum ex nullo jure demonſtrabilis.

Quare Chriſtus talem poteſtatem non exercuerit?

Quare Apoſtoli?

Ferme eadem erat ratio Apoſtolorum: hi enim exemplum, juſſumque ſui Magiſtri ſequi volentes per eandem viam incedere voluerunt, imo per alium incedere non potuerunt: cum enim Imperatores gentiles & Ethnici nullo juſto titulo ipſis ex una parte devincti, ex altera vero tantum præpotentiæ & virium ipſis non eſſet, quantum ad ex ermi-

Digitized by Google

exterminandam gentilium ſuperſtitionem neceſſarium fuerat, ab omni poteſtate indirecta in Gentiles & eorum regna & bona abſtinendum ipſis erat.

Quare Pontifices?

Eædem etiam & ſuo modo aliæ plures ſequioribus Sæculis fuere rationes usque ad Sæc. 8. 9. & 10: etſi enim Eccleſia immenſa jam jam acceperit incrementa, fidelium numerus in immenſum excreverit, & poteſtas Pontificis ſe in dies magis magisque explicare cœperit, nondum tamen e re Eccleſiæ eſſe viſum fuerat, ſeverioribus remediis jura Eccleſiæ vindicare: tum quod Eccleſia propter invaſiones barbarorum numeroſo milite a Regibus & Imperatoribus defendenda fuerit, tum quod potentia illorum quam longiſſime prævaluerit, tum quod implerique Imperatores & Reges tempore Carolingicorum maxime jura Eccleſiæ egregie defenderint; aliorum vero violentiis jura Eccleſiæ peſſundantium neceſſario cedendum fuerit.

Quare eam ſucceſſu temporis exercuerint?

Poſtea vero, ubi Pontifices tantum virium acceperunt, quantum ad infringendam rebellium audaciam, jura Eccleſiæ vindicanda, & avitam religionem conſervandam eſt neceſſarium, num Eccleſiam peſſundari, jura ſibi legitime quæſita auferri, & omnia ſusque deque verti patiantur? Tyrannus audit, qui alienas ditiones invadit, terras non ſuas occupat, aliorumque ſubditos ſibi violenter ſubjicit. Juſtus defenſor audit, qui regna & jura regni ſui contra iniquos invaſores tuetur, vindicat, & defendit. Anterioribus Sæculis agebatur de juribus ex titulo legitimo quærendis; nunc de juribus jure quæſitis, & inique ablatis vindicandis. Cætera argumenta, quæ hic poſſent afferri, ſtudioſe præterimus.

§. IX.

Qualis poteſtas Pontificis in electionibus & confirmationibus Epiſcoporum. & collationibus beneficiorum?

De poteſtate Pontificis in Electionibus, & Confirmationibus Epiſcoporum, nec non collationibus inferiorum Beneficiorum acturi immenſam rerum dicendarum copiam nobis objici conſpicimus. Verum hæc ferme omnia & ſingula aliis relinquenda ſunt curis. Itaque de ſola poteſtate Pontificis agemus, qualem habuerit, & habeat hodie, & quo jure illam in his omnibus habeat. Variam fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam in Electionibus, Confirmationibus & collationibus beneficiorum nemo ignorat, qui hiſtoriam eccleſiaſticam vel eminus inſpexerit.

Varia fuit Eccleſiæ diſciplina quoad electiones Epiſcoporum & Pontificum.

Si de Electionibus Epiſcoporum loquamur, res eſt notiſſima, quod jus eligendi penes Metropolitam, Epiſcopos comprovinciales, Clerum, & populum interveniente ſaltem a Sæc. 6. authoritate Imperatorum & Regum fuerit, atque Electio primitus in loco vacantis Eccleſiæ, poſtea in

in urbe Metropolitica ubi Metropolita Sedem habebat, ſaltem in Eccleſia Orientali; in Occidentali vero a Clero & populo adhucdum in loco vacantis Eccleſiæ miſſo ſuper facta electione ad Metropolitam decreto celebrata fuerit, usque dum ſucceſſive excluſo Clero & populo jus eligendi jure conſuetudinario in Sæc. 13. ad Capitula devolutum, & ipſis ab Innocent. III. in Concil. Lateran. III. fuerit ſtabilitum. Idem mos viguit in Eccleſia Romana, donec jus eligendi Pontificem ad Collegium Cardinalium circa finem Sæc. XII. tranſierit (o). Quoad Confirmationes Epiſcoporum, illæ primitus mox peracta Electione a Metropolita & Epiſcopis comprovincialibus in Synodo congregatis peragebantur. Quoniam vero difficillimum erat convocare Epiſcopos, ſenſim ſine ſenſu tacito Eccleſiæ conſenſu, eo potiſſimum tempore, quo ne quidem ad Electiones Epiſcopi amplius convenerunt, devoluta eſt confirmatio ad Metropolitas, ita tamen, ut jus confirmandi non ipſi ſoli, ſed etiam Primates, Exarchi, & Patrarchæ haberent: & hinc Epiſcopi, qui erant Patriarchatus Alexandrini, a Patriarcha Alexand.; qui Exarchatus Aſiæ fuerant, ab Exarcho Epheſino confirmationem obtinuerunt. Ipſi etiam Metropolitæ confirmabantur vel ab Exarcho, vel a Patriarcha. Atque hæc Eccleſiæ diſciplina ultra XIII. Sæcula, uti probat Thomaſſinus (p), perduravit, quin aliud vel ex factis hiſtoricis, vel SS. Canonibus demonſtrari poſſit. Nam luſtremus totum Decretum Gratiani, omnes quinque libros Decretalium Greg. IX. & nec veſtigium uſus contrarii deprehendemus: ſed potius omnes Canones ſupponunt, quod confirmatio conferri debeat per gradus, hoc modo, ut Abbas ab Epiſcopo, Epiſcopus a Metropolita, Metropolita ab Exarcho, vel Patriarcha confirmandus ſit (q).

Varia etiam quoad Confirmationem Epiſcoporum.

Quoad collationes beneficiorum varia diſtinguenda tempora.

Quoad collationes Beneficiorum varia ſunt diſtinguenda tempora: vel enim loquimur de tempore, quod præceſſit erectionem Beneficiorum in titulum perpetuum, vel de ſubſequente? ſi primum: tunc per prima IV. Sæcula titulus collationis beneficii non erat diſtinctus ab ipſa ordinatione, & idem erat collatio ordinis, & beneficii: Ex eo enim quod quis Clero & populo ferente teſtimonium fuerit ordinatus in Clericum, certæ Eccleſiæ adſcribebatur, eidemque, ut cum veteribus loquamur, velut incardinabatur cum obligatione illi immobiliter ad-

(o) Vid. Thomaſſinus Tom. II. Lib. II. cap. 30. & ſeq. ubi hæc fuſiſſime deducit.

(p) Tom. 2. lib. 2. cap. 30.

(q) Succeſſive ad Pontificem pervenit, eique etiam in concordatis Germaniæ fuit reſervatum.

adhærendi, inſerviendique, ita tamen, ut ſimul jus haberet percipiendi congruam ſuſtentationem. Itaque eo tempore collatio beneficii erat potius actus *Ordinis*, quam *Jurisdictionis* Epiſcopalis.

A Sæculo V. usque ad IX. ordinarii collatores erant Epiſcopi, quibus ex noſtra ſententia jus conferendi Beneficia velut appendix neceſſaria Jurisdictioni Epiſcopali cohærens ex ipſo jure Divino competit, & hinc libere ſine interventu Pontificis deligebant Archidiaconos, Archipresbyteros, Abbates, conferebant Parochias, Baſilicas, Capellas: imo & fundos Eccleſiæ dividebant. Idem juris exercebant Imperante Carolo M., illiusque ſtirpe etiam Sæc. IX. & X. ubi jam beneficia in titulum perpetuum fuerunt erecta, id quod pedetentim jure conſuetudinario factum eſt, & quidem extra Capitula Canonicorum Sæc. IX., dum Parochi ſibi ipſis jus percipiendi redditus & de iis diſponendi connivente Eccleſia arrogarunt, ita ut jam eo tempore commune illud invaluerit, quod Parochus habeat intentionem fundatam in jure redditus percipiendi; in Capitulis vero Sæc. X.: dum Canonici vitæ communis pertæſi, ac liberioris auræ appetentes ſeſe a menſa Epiſcopi ſepararunt, a quo tempore Canonici in electione Miniſtrorum & collatione beneficiorum neceſſitatem ſui conſenſus urgebant, id quod etiam facile impetrarunt. Ab illo ergo tempore etiam Capitula cum Epiſcopo concurrebant in collatione beneficiorum, non tamen æqualiter: nam in quibusdam locis unum votum curiatum habuit Capitulum, & unum Capitulo æquivalens Epiſcopus; in quibusdam placuit alternativa, usque dum Capitula ſeſe plenius a Jurisdictione Epiſcopali exemerunt, & ſpeciale aliquod corpus habens ſeparata bona & jura conſtituerunt, ſibique jus nominandi Canonicos vindicarunt.

Olim nihil juris Pontifices in his exercuerunt.

Ex his omnibus luce meridiana clarius patet, quod Pontifices nihil Juris habuerint, aut ſaltem exercuerint in Electionibus & Confirmationibus Epiſcoporum, & Collationibus Beneficiorum. Videndum ergo, quando & quomodo jus conferendi Beneficia & Epiſcopatus, & confirmandi Epiſcopos obtinuerint; quo jure illud ſibi vindicaverint, exercuerint, & exerceant usque nunc? In Electionibus Epiſcoporum nihil vel parum Juris exercuiſſe Pontifices, neque hodie in Germania ſaltem, exercere, ubi Capitulis vi Concordatorum jus liberrimum eligendi nullo prorſus interveniente Legato Pontificio aſſertum eſt, in comperto habetur. Quoad confirmationes ſimiliter Epiſcoporum ex dictis conſtat, quod per XIII. Sæcula jus confirmandi non habuerint. Itaque confirmabant ſolos Epiſcopos ſui Patriarchatus, neque hos omnes, ſed illos ſolum, qui erant in provinciis ſuburbicariis,

 item

item & Metropolitas, quibus nulli præerant Primates, & Exarchi. Porro autem factum eſt ſucceſſive & aliquoties jam in Sæc. VIII., ut jure devolutionis, quando vel diſpenſatione opus eſſet, vel in ipſa confirmatione defectus irreperet, etiam extra Italiam confirmatio ad Pontificem perveniret (r). Stabile autem & univerſale jus confirmandi Pontifex non habuit usque ad Sæc. XIV.

Quomodo jus confirmandi Epiſcopos pervenerit ad Pontifices?

Hinc jam quæritur, qua ratione hoc jus ad ipſum devolutum fuerit? Varias Scriptores hujus diſciplinæ cauſas aſſignant. 1mo Enim non raro controverſiæ in Electionibus & Ordinationibus Epiſcoporum exortæ Romam devolvebantur, quibus ſuam authoritatem interponere neceſſum habebat Pontifex. 2do Non raro opus erat diſpenſatione a Pontifice impetranda. 3tio Aliquoties ipſi Metropolitæ in danda confirmatione negligentiores erant. 4to Hinc inde ipſi Epiſcopi ſeſe jurisdictioni ſui Metropolitæ ſubtrahere volentes ad Pontificem recurrerunt. 5to Acceſſerunt Reſervationes Pontificiæ, quibus ſibi Pontifices contranitentibus Imperatoribus, Regibus, & Epiſcopis non tantum collationes beneficiorum, ſed etiam Epiſcopatuum reſervarunt: Hac enim ratione Jus eligendi Capitulis fuit ademptum, & una cum hoc jus confirmandi neceſſario in Pontifices tranſire debuit.

Fuit ipſis confirmatum in Concord. Germaniæ.

Quos & quantos motus hæ reſervationes in Eccleſia Sæcul. XII. XIII. & XIV. excitaverint, quis ſatis edicat? quamquam vero poſtea Reſervationes Pontificiæ per Concordata Germaniæ reſtrictæ, & Capitulis jus eligendi reſtitutum fuerit, confirmationes tamen Epiſcoporum Pontifici fuerunt aſſervatæ, nec quidquam Juris antiqui Metropolitis aſſertum. Unde Pontifex in noſtra Germania omnes confirmat Epiſcopos, ſi paucos excipiamus, quorum confirmatio pertinet ad Celſiſſ. Archi-Epiſcopum Salisburgenſem (s).

Quomodo jus conferendi Beneficia obtinuerint? De gratiis exſpectativis.

Quoad collationes beneficiorum pariter ex dictis conſtat, quod collatio beneficiorum ad Epiſcopos pertinuerit, usque dum Pontifices *gratias exſpectativas, & reſervationes* in Eccleſiam introduxerint, quibus jura Epiſcoporum, & Capitulorum mirum in modum turbari debuerunt. Vocabantur *gratiæ exſpectativæ, mandata de providendo*, eorumque origo refertur ad Sæc. XIII., & illorum Author creditur fuiſſe Adrianus IV. cujus veſtigia ſecuti ſunt Pontifices ſuccedentes Alexand. III., Innocet. III., Honorius III., Gregor. IX. Et quidem

(r) Thomaſſinus loc. cit. ubi varia hujus diſciplinæ exempla affert.

(s) Et ſunt Epiſcopatus Gurcenſis, Chiemenſis, Seccovienſis, & Lavantinus, in quibus Celſiſſimus præter jus confirmandi habet etiam jus transferendi.

Digitized by Google

dem ab initio agebant Pontifices literis *monitoriis*, poſtea *præceptoriis*. & demum *executoriis.* Dabant vero tales exſpectativas vel *in forma communi*, vel *in forma pauperum*, quatenus major harum exſpectativarum juſtitia appareret (t). De his gratiis exſpectativis actum fuit in Conc. Conſtant. Baſil. & tandem in Tridentino penitus ſunt abrogatæ (u).

De reſervationibus.

Præter has reſervationes ſpeciales fecere Pontifices etiam generales reſervando ſibi plura Beneficia in genere. Primus, qui talem reſervationem fecit, fuit Clemens IV., qui Sedi Apoſtolicæ reſervavit omnia Beneficia apud Sedem Apoſtolicam vacantia (x). Hanc reſervationem, quam communiter vocant *in Corpore Juris clauſam* confirmavit Boniſac. VIII. (y) Ab his veſtigiis non receſſerunt Pontifices Avenione ſedentes, Clemens V., qui ſibi omnes Patriarchales, Metropolitanas & Epiſcopales dignitates, & omnia Beneficia in Curia vacantia reſervavit (z). Novas reſervationes fecerunt Joannes XXII. & Benedictus XII. (a) quæ ab initio fuere temporales, usque dum in Regulas Cancellariæ tranſierint, in quibus aliquo modo fuere perpetuatæ, & mirum in modum ampliatæ (b).

Reſervationes ingentes excitarunt motus.

Quos motus, querelas, diſſidia apud Imperatores, Reges, Principes & Epiſcopos hæ reſervationes excitaverint, nemo eſt, qui ignorat. Actum fuit de iis abrogandis in Concil. tam Conſtant. quam Baſileenſi, & in hoc etiam abrogatæ fuere, excepta illa, quæ dicitur *clauſa in corpore Juris.* Hoc Decretum mox Galli ſua *Sanctione pragmatica* confo-

Quid egerint Galli, & quid Germani?

Eee 3

(t) Vid. Van Eſpen Part. II. Tit. 23.

(u) Seſſ. 24. cap. 19. de Reform. vid. etiam cit. Author. loc. cit.

(x) Cap. 2. de Præb. in 6.

(y) In Extrav. piæ de Præb. inter commun.

(z) Extrav. 3. de Præb. inter commun.

(a) Prior in Extrav. execrabilis de Præb. ſibi reſervavit Beneficia vacantia pro caſu, quo quis plura habet Beneficia; Poſterior in Extrav. ad Regimen de Præb. inter commun. omnia beneficia, quæ per depoſitionem, privationem &c. vacarent. Vocantur iſtæ Reſervationes *extra corpus Juris*, quia ipſæ Extravagantes quondam incertis ſedibus vagabantur, donec in corpus Juris fuerint relatæ.

(b) Eatenus nempe fuere perpetuatæ, quatenus ipſæ Regulæ Cancellariæ ſuo modo ſunt perpetuæ: quia ſaltem durant usque ad mortem Pontificis, cum quo exſpirant, ita tamen ut noviter electus Succeſſor illas reaſſumere ſoleat.

Digitized by Google

conſolidarunt, licet poſtea per ſuum Concordatum ab illa receſſerint (c). Mitius egerunt Germani, qui poſthabito decreto Baſileenſi (d) (cauſas divinare non licet) (e) ſua Concordata cum Nicolao V. inierunt, in quibus jam certa norma in Electionibus, Confirmationibus, & Collationibus Beneficiorum ſervanda fuit præſcripta, ut adeo in Germania hæc ſola Concordata vim Regulæ obtineant.

Quale jus Pontificis in conferendis beneficiis? Explicatur cap. 2. de Præb. in 6.

Ex his liquet, quam anguſti olim fuerint limites Juris Pontificii in Beneficiis. Hinc jam quæritur, quale jus competat Pontifici in conferendis Beneficiis, Epiſcopatibus, aliiſque Prælaturis Eccleſiaſticis? Si Pontificem in cap. 2. h. t. in 6. attendere libeat, tunc Pontifex habet poteſtatem omnia totius mundi beneficia conferendi: cum ſit Ordinarius Ordinariorum habens concurrentem juriſdictionem cum omnibus Ordinariis, & primitus omnia Beneficia contulerit, & primum dilatata Eccleſia Epiſcopis poteſtatem conferendi Beneficia in ſuis Diœceſibus communicaverit. Inde factum eſt, ut Pontifices ferme omnia Beneficia jure vel *præventionis*, vel *concurſus* vel per ſe, vel per ſuos Legatos diſpenſaverint, ita ut Epiſcopis vix umbra ſui juris antiqui remanſerit.

Verum haud abs re dubitari poteſt, quo in ſenſu reſcriptum Pontificis verbis prorſus ampliſſimis conceptum intelligi debeat, dum ſibi talem poteſtatem illimitatam, & irreſtrictam in omnia Beneficia vindicavit? Quod ſi nobis deſuper ſenſa animi noſtri aperire liceat, putamus, verba Pontificis hac ratione modeſte moderanda: quod nempe ipſi poteſtas conferendi omnia Beneficia eo modo competat, quo poteſtas ſuprema regendi omnes Eccleſias. Competit nempe ipſi non tanquam ſupremo Domino, ſed tanquam Diſpenſatori fideli, non quidem immediato, ſed mediato ſalvis juribus Epiſcoporum, ad quos collatio Beneficiorum in ſuis Diœceſibus tanquam appendix Juriſdictionis ſuæ indivi-

(c) Nempe Carolus VII. in Conventu Bituricenſi an. 1438. illud confirmavit; econtra Franciſcus I. per Concordatum Gallicum an. 1515. cum Leone X. Bononiæ initum ſuſtulit.

(d) Fuiſſet hoc Decretum ſine dubio favorabilius: cum per illud omnes reſervationes excepta illa, quæ eſt in corpore Juris clauſa, fuerint abrogatæ: cum econtra in Concord. Germaniæ omnes fuerint reſtitutæ.

(e) Adſcribunt id aliqui maſculæ virtuti Germanorum generoſius pro ſua in Sedem Apoſtolicam reverentia cum Pontifice agentium: alii ſcribunt, Germanos quodammodo fuiſſe inductos.

indiviſibiliter annexa ex jure Divino pertinet, in quantum nempe hoc manifeſta Eccleſiæ neceſſitas, utilitas, aut iniqua Epiſcoporum diſpenſatio exigit. Profecto non ſatis eſſe conſultum neceſſitatibus Eccleſiarum, ſi Pontifici illimitata, ac incircumſcripta in diſpenſandis Beneficiis poteſtas aſſeratur, inde fit manifeſtum, quod ipſi non ſat poſſint eſſe perſpectæ neceſſitates Eccleſiarum, qualitates & merita promovendorum & ipſæ conſuetudines locorum. In quo autem ſenſu dici poſſit, quod Pontifex omnia beneficia, ut vult Clariſſ. P. Engl (f), antiquitus contulerit: cum praxis, conſuetudo, & obſervantia per XII. Sæcula continuata nos aliud doceat, nos ignorare profitemur, & ab aliis edoceri cupimus. Ut paucis multa dicamus, ea hodie eſt poteſtas Pontificis in Electionibus, & Confirmationibus Epiſcoporum, in Collationibus Beneficiorum ſaltem in noſtra Germania, quæ ipſi in Concordatis Germaniæ fuit ſtabilita, quibus non aliter niſi in Concilio de conſenſu Nationis Germanicæ poſſe derogari ipſa Concordata loquuntur (g).

Poteſtas Pontificis illimitata in collatione beneficiorum non eſt e re Eccleſiæ.

Hodie ad pacta reſpiciendum.

CAPUT III.

De poteſtate Pontificis qua Judicis & Doctoris.

§. I. *De Poteſtate Pontificis qua Judicis in cauſis judicialibus.* II. *Qua Doctoris in dirimendis controverſiis ſcholarum.* III. *In ſuis doctrinis.* IV. *De poteſtate reſervandi cauſas majores, & ipſis reſervationibus.* V. *De poteſtate diſpenſandi.* VI. *Qualis fuerit olim, & hodie ſit poteſtas Pontificis, & qua arte creverit?*

§. I.

Hactenus de poteſtate Pontificis qua *Legislatoris* & Capitis Eccleſiæ egimus. Jam videamus, quæ ſit illius poteſtas qua *Judicis* in dirimendis controverſiis. Ait Author Princip. (a), quod Pontifex aliquoties dirimat lites privatas, aliquoties cauſas ad univerſam Eccleſiam ſaltem conſecutive pertinentes. Exemplum ponit in caſibus, quibus

Qualis ſit Pontificis poteſtas qua Judicis.

(f) Ad Tit. de Præb.

(g) Ita enim habent Concordata: *Durabitque deinceps, niſi in futuro Concilio de conſenſu Nationis aliter fuerit ordinatum.*

(a) Cap. V. Num. VII.

Digitized by Google

bus aliquem Albo Beatorum aut Sanctorum adſcribit, eique cultum publicum decernit, Regulam Ordinis approbat, vel librum in ſenſu ab Authore intento declarat hæreticum. De his nobis non eſt animus agendi. Potius remittimus Lectorem ad ea, quæ Cap. I. §. VIII. de hac propoſitione, *an ſit de fide hunc vel illum Pontificem &c.* & ad Cap. II. §. V., ubi de infallibil. Pont. in quæſtionibus juris & facti egimus, a nobis dicta ſunt, id ſolum animadvertentes, multum diſputari a Theologis, an Pontifex in Canonizatione Sanctorum ſit infallibilis, & ſuppoſito decreto Canonizationis fidelibus ſide Divina ſit credendum, hunc vel illum a Pontifice canonizatum revera eſſe Beatum: tum quod illius ſanctitas nullibi revelata legatur, tum quod hæc quæſtio ſit partim Juris & facti, & a variis circumſtantiis extrinſecis, & contingentibus e. g. an in proceſſu Beatificationis omnia ſint legitime peracta, examinata, diſcuſſa, an Canonizatus revera habuerit Virtutes Theologicas in gradu eminenti, an actus virtutum revera fuerint heroici, an miracula ab ipſo perpetrata ſint genuina, vera, indubitata &c. (b) tum quod, licet detur Pontificem falli, & fallere, nihilominus Religio non periclitetur: eo quod cultus Canonizato impenſus nihilominus ſuum ultimatum objectum, quod eſt DEUS, attingeret, cum omnis cultus ultimato in DEUM collimet, & in ipſo terminetur: Secus non licebit adorare Hoſtias conſecratas, revereri SS. Reliquias, celebrare quædam feſta, de quibus nihil ex revelatione habemus. Quod ſi igitur Beatitudo hujus vel illius legitime canonizati ſit de fide, certe aliter non erit, quam aliqua propoſitio particularis in univerſali contenta; vel tanquam concluſio Theologica ex una de fide, & altera phyſice vel moraliter certa. Quare huc pertinent ſupra dicta.

Nominatim in Canonizatione Sanctorum?

Quantum ad poteſtatem Pontificis qua Judicis nobis non eſt ſermo de cauſis fidei, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ (has enim frequenter ad Pontificem fuiſſe devolutas, & deciſas aliunde conſtat) ſed Juſtitiæ: unde de his agendum, videndumque, qualis ſit Pontificis poteſtas in cauſis Juſtitiæ decidendis, quomodo eam exercuerit, & an in earum deciſione falli vel fallere poſſit? Etiam quoad hoc punctum Lectorem remittimus ad noſtram Quæſt. 3. cap. 5. §. 5. ubi agentes de Judiciis Eccleſiaſticis ſequentia oſtendimus: Primo in primitiva Eccleſia ferme

De poteſtate illius qua judicis in decidendis cauſis Juſtitiæ remiſſive. Olim non adeo fuit ampla.

(b) Duo enim in Canonizando requiruntur indiſpenſabiliter, nempe actus Heroici virtutum, & Miracula evidentia. Quod ſi probatio in uno deficiat, ruit totus Proceſſus.

ferme omnes cauſas minores ab Epiſcopis, majores in Synodis Provincialibus fuiſſe terminatas (c). Secundo Rariores vel omnino nullas fuiſſe provocationes & appellationes ad Sedem Romanam usque ad Sæc. VIII· vel IX. Tertio examinavimus, quomodo intelligendus ſit Canon Concil. Sardicenſis, an nempe jus provocandi ad Pontificem primitus conceſſum, ſicut vult Petrus de Marca; vel potius confirmatum fuerit & ſtabilitum, ſicut contendit Natal. Alexander; item an id intelligi debeat potius de Retractatione cum cit. Petro de Marca, vel appellatione (d)? Quarto quid actum ſit in Concil. Carthag. III. dum Legati Pontificii appellationes transmarinas urgebant. Quinto quomodo appellationes iſtæ potiſſimum incœperint poſt Collectionem Pſeudo-Iſidori, & mirum in modum multiplicatæ fuerint Sæc. X. XI. XII. & XIII. ubi jam delegationes Pontificiæ factæ erant frequentiores. Hiſce jam pauca addere liceat.

De appellationibus ad Pontificem, & avocationibus.

Nobis igitur certum eſt, ſupremum Judicem in cauſis judicialibus Eccleſiaſticis eſſe Pontificem, atque ad ipſum jure & ultimato eſſe appellandum, hoc ipſo, quod ſit Primas, & Caput Eccleſiæ, niſi aliud conſuetudo, vel alia cauſa graviſſima exigat. Verum poſtquam invaluerunt Avocationes Pontificum (e) & appellationes factæ ſunt nimis frequentes, & ipſi etiam Legati Pontificii quamplurimas cauſas ab Epiſcopis tanquam in prima Inſtantia decidendas ad ſe traxerunt, ita ut a quacunque ſententia definitiva & interlocutoria, judiciali, & extrajudiciali; imo quocunque gravamine illato & inferendo appellare licuerit, & Jurisdictio Epiſcoporum ferme facta fuerit eluſoria, atque magna ex parte evanuerit, jure deſuper conqueſti ſunt Epiſcopi in Concil. Trident. in quo etiam facta reductio, & in eo ſtatutum primo, ut poſthac cauſæ Eccleſiaſticæ omnes coram Ordinariis tanquam in prima Inſtantia terminentur. Secundo, ut Legati Pontificii Epiſcoporum

(c) Debebant enim ex Can. 5. Concil. Nicæni I. tales Synod. ſingulis annis bis celebrari.

(d) Multum intereſt inter Appellationem, & Retractationem: ſi enim fiat appellatio, Judex per ſe ipſum poteſt reformare judicem inferiorem, & dicere ſententiam. Econtra Retractatio dicit meram Reviſionem cum poteſtate conſtituendi delegatos, qui cauſam de novo examinent.

(e) Eſt autem Avocatio nihil aliud, quam translatio cauſæ coram judice inferiore pendentis citra appellationem facta ad Rom. Pontificem.

Digitized by Google

rum Jurisdictionem amplius non turbent (f). Et tertio ut poſthac non amplius a quocunque gravamine; ſed tantum a ſententia definitiva, vel interlocutoria vim definitivæ habente, vel damnum irreparabile inferente appellare liceat (g). Utrum vero hoc modo conſultum fuerit frequentiæ appellationum, jure merito dubitatur: quia vix poterit ferri aliqua ſententia, quæ non in ſe contineat aliquod gravamen irreparabile ſaltem quoad aliquam partem (h).

Quale jus faciant ſententiæ Pontificis? Alterum, quod hic quæri poſſet, eſt, quale ergo jus faciant ſententiæ Pontificis in cauſis controverſis latæ, maxime ſi ſint iteratæ? paucis dicendum, quod tantum ſtylum Curiæ faciant, qui extra Curiam non obligat. Quare nec Epiſcopi, nec alii ſuas ſententias ſtylo Curiæ conformare obligantur. Aliquoties tamen receſſus a ſtylo Curiæ periculoſus foret, quia ſi pars victa Romam appellaret, certo certius ſententia Judicis inferioris reformanda foret, niſi ſtylus Curiæ eſſet contra manifeſtas conſuetudines e. g. in Germania introductas: nam ſi ipſi Pontifices in ſuis Decretalibus non raro ad conſuetudines provocent, & his ſuas ſententias conforment, quare Curia Romana id non faciat? Poſſemus id noviſſimo exemplo illuſtrare, niſi circumſtantiæ aliud ſuaderent.

De infallibilitate in cauſis privatis. Quæſtio de Infallibilitate Pontificis qua Judicis in cauſis privatis paucis expediri poteſt: vel enim cauſas per ſe ipſum, vel per ſuos Curiales decidit? ſi poſterius: cum hi tales ſint homines, a quibus nihil humani eſt alienum, fallere poſſunt & falli. Si prius: etiam ipſe Pontifex, eſto perſonam publicam ſuſtineat, cum tamen ipſi Infallibilitas in ordine ad tales cauſas Bonum publicum fidei & Religionis non concernentes nullibi conceſſa legatur, ex ſiniſtra informatione, falſis teſtimoniis, & inſtrumentis ad ferendam ſiniſtram ſententiam induci, & ab hac vel altera parte reſcriptum per ob - vel ſubreptionem obtineri poteſt.

§. II.

De poteſtate Pontificis qua Doctoris in decidendis ſcholarum controverſiis. Conſideravimus hactenus in Pontifice Judicem, Legislatorem, & Doctorem publicum de Cathedra loquentem in definiendis dogmatibus fidei, declarandis factis doctrinalibus, damnandis & qualificandis libris

(f) Concil. Trident. Seſſ. 24. de Reform. cap. 20.

(g) Seſſ. 24. de Reform. cap. 20.

(h) Vid. Van. Eſpen Part. 3. Tit. 10. cap. 1. & Boehmer in Jur. Eccleſ. Tom. 1 Lib. 2. Tit. 18. §. 10.

bris, theſibus, & propoſitionibus. Jam Doctorem privatum in examinandis controverſiis Scholarum in ipſo conſideremus, in illis nempe, in quibus tantum luminis ſupernaturalis ſibi affuſum non ſentit, ut eas definire vel poſſit, vel velit, vel conſultum eſſe exiſtimet. Sane res difficillima definire quæſtiones, & doctrinas Scholarum in auctoritatem Dogmatis elevare. Quæſo, quantum luminis, induſtriæ, & laboris non requiritur ad explorandum ſenſum clarum Scripturæ, & eruendam traditionem Divinam certam & indubitatam? Quare in regulas prudentiæ impingere puto illos Doctores, qui docere, & typis publicis ſcribere non verentur, hanc vel illam doctrinam ſuam eſſe *proxime definibilem:* eo quod ipſis ita appareat. Quæſo, agant hi tales cautius, non ſuam præcipitent ſententiam, Pontifici non præſcribant regulas, & recolant ea, quæ ſupra ad §. IV. Cap. II. in fine diximus. Profecto ſi Pontifex vellet inſudare dirimendis ſcholarum controverſiis, omnes reliquas ſuas curas deberet ſeponere, & unice quæſtionibus diſputatis vacare. Quare ipſa etiam Synodus Trident. teſte Pallavicino ſtudioſe controverſias ſcholaſticorum evitavit, & pro neutra parte ſententiam dixit, etſi hinc inde mentem ſuam prodiderit, in quam opinionem magis inclinet.

In his non eſt infallibilis.

Caſtigantur Doctores contrarium ſentientes.

Sæpiſſime controverſias in ſcholis agitatas ad tribunal Pontificis deferri, & aliquoties Romæ ſponte aſſumi innumeris conſtat exemplis ex Jure tam Canonico, quam quotidiana ferme experientia depromptis. Ad Pontificem delata fuit quæſtio de converſione vini immediata in Sanguinem Chriſti (i). Ingenti animorum motu coram Pontificibus, maxime Joanne XXII. diſcuſſæ ſunt quæſtiones de dominio Chriſti & Apoſtolorum in communi, de paupertate FF. Minorum quoad ſeparationem uſus a dominio in rebus unico uſu conſumptibilibus (k). Quod de novioribus controverſiis dicamus, e. g. de conflictione Dominicanorum, & FF. Minorum in cauſa Immaculatæ Concept. B. V. M. Moliniſtarum, & Thomiſtarum in quæſtione de ſcientia media, & gratia efficaci, Dominicanorum & Patrum S. J. in diſceptatione de cultu Confucii. In his igitur & ſimilibus cauſis ſuo judicio commiſſis ſolet Pontifex cautiſſime procedere: cum enim ad definitionem dogmatis indiſpenſabiliter requiratur ſcriptura clara, vel traditio certa, & minus frequenter de alterutra convincenter conſtet, imo aliquoties exigua

Quæſtiones ſcholaſticæ ſæpe ad Pontificem deferuntur.

In his ſolet Pontifex caute procedere.

(i) Cap. cum Martha de Celeb. Miſſ.

(k) Extrav. Joan. XXII. de V. S. cap. 3. & 4.

prorſus reperiantur veſtigia (l), hujusmodi controverſiis alio modo obviare conſuevit, tali nempe, quo pacem & concordiam inter diſcordantes conciliet, eorum præfervidis diſputationibus, rixis, aculeatis in lucem etiam publicam ſparſis dicteriis, & convitiis, quibus ſe non raro laceſſere ſolent, modum ponat & limites. Solet nempe nonnunquam rigidius procedere in illis controverſiis, quæ proximius ad fidem accedere, vel periculum religionis inducere videntur, & pro evitandis ſcandalis, aliisque malis utrique parti ſilentium indicere (m). Aliquoties authoritati & honori ſcholarum aliquid defert, ne alterutra pars nimium offendatur, & hinc ſimpliciter ſolas criminationes, quibus ſe invicem ſcholæ laceſſunt, inhibet (n). Non nunquam Pontifex ſua ſenſa clarius aperit, & quid ſibi probabilius videatur, liberius edicit (o). Hinc inde ſuam ſententiam non tantum a longe indigitat, verum etiam graviſſimis rationibus ſuſtentat (p). Jam in primo & ſecundo caſu ſimpliciter obtemperandum ſententiæ Pontificis: in tertio & quarto caſu ſalva reverentia Pontifici debita ſine periculo ullius incurrendæ cenſuræ Theologicæ ab illius ſententia recedere licebit: cum illius intentio & mens neutiquam ſit obligare ad ejusmodi ſententias amplectendas.

Et quomodo?

§. III.

(l) Solent nempe ſæpe Doctores ſuas opiniones ex locis Scripturæ prorſus obſcuris, & ad ſummum probabilitatem facientibus deducere, non raro ad traditionem non ſatis demonſtratam provocare, vel eam ex operibus SS. Patrum dubiis, vel apocryphis, & ſpuriis eruere &c.

(m) Ita Pontifices rectiſſime utrique parti de Immacul. Concept. B. V. M. diſputanti ſilentium indixerunt. Idem factum eſſe in controverſia de cultu Confucii referunt, utut alii aliter referant.

(n) Talem denique ſententiam experti ſunt defenſores gratiæ efficacis & Moliniſtæ poſt plures Congregationes Romæ habitas, & quidem præter omnem ſpem, dum jam una pars de reportanda victoria quaſi certa erat.

(o) Sic in cit. cap. *cum Martha* Pontifex expreſſe dicit illam inter tres opiniones ſibi videri probabiliorem, *quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem transmutari.*

(p) Hoc modo Joan. XXII. loc. cit. egit, ubi ſuos Prædeceſſores, qui dominium rerum conſumptibilium ab uſu ſeparatum acceptarunt, ſecundum longum & latum excuſat, & talem uſum *juri* & *rationi* repugnare libere edicit.

§. III.

De Pontifice qua Doctore privato.

De authoritate Pontificis qua Doctoris privati in ſuis doctrinis paucis videamus. Igitur hic non eſt nobis ſermo de Epiſtolis Pontificum dogmaticis ab ipſa etiam Eccleſia approbatis (q); neque de eorum reſcriptis ad univerſam Eccleſiam per modum Oraculi datis; ſed unice de doctrinis, quas tanquam Theologi, Juris-Conſulti, & Hiſtorici tradiderunt, ſuisque operibus inſeruerunt. Plures enim hactenus ad clavum Eccleſiæ ſediſſe Pontifices, qui ſuis libris orbem literarium mirum in modum illuſtrarunt, quis eſt, qui neſciat? Tales certe fuerunt Innocentius I., Leo I., Gregorius M., Hadrianus II., quibus jure optimo Benedictum XIV. annumeraveris, cujus eruditioni non modo eruditi Catholici omnes, verum etiam Acatholici aſſurgunt. De his ergo particularibus eorum doctrinis paucis dicendum, quod talem, aut fortaſſis paulo majorem habeant authoritatem, qualem habent doctrinæ aliorum magnorum Virorum, ut adeo ab ipſis libere recedere liceat.

Pontifices plures ſuis libris illuſtrarunt Eccleſiam.

§. IV.

De jure reſervandi cauſas majores.

Inter alia jura Primatui Pontificio annexa jure optimo recenſetur *jus ſibi reſervandi cauſas majores*, quod hodie a multis peſſime vapulat, pluralitatem reſervationum utpote juribus Epiſcoporum, Metropolitarum, & Synodorum particularium valde inimicam cauſantibus. De harum ergo origine, progreſſu, & ipſis cauſis reſervatis videamus. Intelligimus autem per reſervationem illam, per quam Pontifex cauſas aliquas ſibi privative & ita reſervat, ut nullius alterius judicio ſubjaceant, ad ipſum immediate referri debeant, & ab ipſo ſolo privative decidi poſſint.

De illius Origine.

Si jam in originem reſervationis hoc ſenſu intellectæ inquiramus, eam difficillime in primis Eccleſiæ Sæculis ferme uſque ad Sæc. VIII. reperiemus: quamquam per decurſum jam primorum Sæculorum prima fundamenta harum reſervationum jacta fuiſſe legamus. Nam de talibus reſervationibus ſilet antiquitas, & contrariatur praxis primitivæ Eccleſiæ: Eo enim tempore cauſæ minores ab Epiſcopis, majores a Metropolitis & Synodis particularibus bis anno quovis celebrari conſuetis expediebantur, ita tamen, ut non raro, ſicut mox dicemus, relatio & conſultatio ad Romanum Pontificem facta fuerit, &

q) Qualis eſt Epiſt. Leonis ad Flavian. in Concilio Chalcedonenſi approbata.

Digitized by Google

ipſo urgente fieri debuerit, quin tamen Pontifex aliquam cauſam majorem ſibi ſoli reſervaſſe legatur.

Olim cauſæ majores per Synodos terminatæ.

Percurramus omnes cauſas majores Pontifici reſervatas, & comperiemus, eas ferme omnes authoritate Metropolitarum & Synodorum fuiſſe terminatas. Inter cauſas majores hodie recenſentur cauſæ hæreſis, translatio Epiſcoporum, illorum depoſitio & degradatio. Sed quis neſcit quamplurimas hæreſes in Synodis particularibus fuiſſe confixas, translationes Epiſcoporum ferme per XII.; depoſitiones vero usque ad Sæc. VIII. & IX. ad Metropolitas, & Synodos particulares pertinuiſſe? Jam audiamus, qua arte ſucceſſive quaſi per gradus factum ſit, ut Pontifices tot cauſas majores ſibi reſervaverint. Jam in Sæc. II. & III. factum eſt, ut fierent recurſus, relationes, & conſultationes ad Sedem Pontificiam (r). Sæc. IV. in Synodo Nicæna teſte Innocentio I. ulterius ſtatutum eſt, ut cauſæ majores ad Sedem Apoſtolicam devolvantur, ſed non niſi NB. *poſt judicium Epiſcopale* (s). Eodem Sæculo in Synodo Sardicenſi Pontifici ſtabilitum, vel de novo conceſſum legitur jus appellandi, aut ſaltem jus cauſas ad ſe devolutas retractandi & quaſi revidendi per deputatos judices, quod ſine dubio Pontifici occaſionem præbuit cauſas majores ad ſe trahendi (t). Sæc. V. & VI. jamjam Pontifices relationes & devolutiones magis magisque urgebant, ſpeciatim Innocentius I. ſupra citatus provocans ad Synodum Nicænam, & antiquam conſuetudinem (u). Eodem Sæculo inceperunt Pontifices conſtituere Vicarios Sedis Apoſtolicæ, quibus ampliorem concedebant poteſtatem cum mandato tamen, ut cauſas majores ad Pontificem referrent, quo factum eſt, ut authoritas Metropolitanorum, & Synodorum multum labefactaretur. Sic Leo I. in epiſt. ad Epiſcopum Theſſalonicenſem jam tunc temporis dignitate Vicariatus Apoſtolici ornatum ſcripta expreſſe illi injungit, ut cauſas majores ad ipſum referat. Et cum poſtea hic non nihil durius haberet Atticum

Qua arte actum ſit, ut Pontifices ſucceſſive ſibi cauſas majores reſervarent.

(r) E. g. In cauſa rebaptizantium, & quartodecimanorum. Sic etiam duo Epiſcopi Baſilides & Martialis ab Epiſcopis Hiſpaniæ ad Pontificem provocarunt, & ab eodem ſunt in communionem recepti &c.

(s) In Epiſt. ad Victric. Rotomag. notant tamen authores Canonem ab Innocentio citatum non eſſe Synodi Nicænæ, ſed Sardicenſis.

(t) Can. 6. de hoc Canone & controverſiis inde deductis alibi vidimus.

(u) Epiſtola Innocentii in fine ſic habet: *Si autem majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur.*

Digitized by Google

Atticum Epiri Epiſcopum, ipſi exprobrat, quod illius cauſam ad tribunal Pontificium tanquam cauſam majorem non retulerit. Jam illo tempore deſiit etiam frequentia Synodorum particularum: & ideo mirum non eſt, quod cauſæ majores frequentius ad Pontificem ſint devolutæ. Sæc. VIII. emanavit collectio Pſeudo-Iſidoriana, in qua cum plures aliæ prærogativæ, tum hæc præcipue Pontifici aſſeritur, quod depoſitio Epiſcoporum ad ipſum tanquam una ex cauſis majoribus, contradicentibus Galliæ Epiſcopis, pertineat, a quo tempore cauſæ majores magis magiſque determinatæ ſunt. Acceſſit integra ferme ceſſatio Synodorum, frequentiſſimæ ipſorum Epiſcoporum & Metropolitarum ad Romanam Sedem provocationes, aliqualis negligentia Epiſcoporum ſua jura minus ſtrenue vindicantium, ipſa etiam authoritatis Metropoliticæ ad ſopiendas, & determinandas lites cauſas & controverſias inſufficientia, Legatorum a tempore Nicolai I. ingenti cum authoritate, & hinc inde etiam Epiſcoporum præjudicio miſſorum frequentia, ac denique ipſa Pontificum authoritas, quæ a Sæculo VIII. usque ad XIII. immenſa accepit incrementa. Abſit, ut hoc jus reſervandi cauſas majores in dubium vocemus: quin potius illud velut appendicem Primatus Pontificii ea, qua par eſt, ſubmiſſione revereamur: neque tamen cum illis manus conſerere nobis eſt animus, qui in ipſa frequentia reſervationum, & pluralitate cauſarum reſervatarum exceſſum Pontificiæ poteſtatis notare non verentur (x). *Jus reſervandi eſt appendix Primatus Pontificii.*

Cauſæ autem majores Pontifici nunc reſervatæ potiſſimum ſunt ſequentes: Primo Cauſæ fidei (y). Secundo Translationis Epiſcoporum (z). Tertio Depoſitionis Epiſcoporum (a). Quarto Confirmationis illorum (b). Quinto Exemptionis (c). Sexto Canonizationum *Quænam hodie cauſæ majores?*

(x) Petrus de Marca de Concord. lib. 1. cap. 10. &c.

(y) Meretur hac ſuper re legi Thomaſſinus Tom. 2. part. 2. cap. 61. ubi adhuc plures cauſas, ex quibus hæ reſervationes exortæ ſunt, refert.

(z) Cap. 2. de Transl.

(a) Fecit id Nicolaus I. poſt editam collectionem Pſeudo-Iſidorianam.

(b) Nihil quidem de reſervatione confirmationis habetur in Decretalibus, ſed id ſucceſſive factum eſt: & hoc jus confirmandi Pontifici ſtabilitum in Concordatis Germaniæ.

(c) De hoc conſtat ex ipſa praxi.

num (d). Septimo Unionum Eccleſiarum Cathedralium (e). Octavo Diſpenſationum in caſibus gravioribus (f). Nono Abſolutionum a gravioribus delictis, & Cenſuris Eccleſiaſticis Pontifici reſervatis (g). Decimo Conſtitutionis Coadjutorum Epiſcopalium &c. (h). Hic jam opportuna ſe offert occaſio agendi de jure diſpenſandi, & de ipſis diſpenſationibus Pontificis.

§. V.

De jure diſpenſandi. Primitus diſpenſabant Synodi.

Eadem ferme fuere fata juris diſpenſandi & ipſarum diſpenſationum, quæ juris reſervandi cauſas majores. Per tria prima Sæcula ipſi Epiſcopi nullo Pontifice Romano, aut Concilio Provinciali interveniente concedebant diſpenſationes: ubi vero exeunte Sæc. III. frequentari cœperunt Concilia, Epiſcopis viſum eſt conſultiſſimum, ſi ad ea diſpenſationes referrentur.

Succeſſive ad Pontifices fuit devolutum, & quomodo?

Poſtea ſenſim diſpenſationes traductæ ſunt ad Pontificem in iis etiam cauſis, in quibus Epiſcopi & Synodi poterant diſpenſare. Imo jam in Sæc. IV. & V. etiam ab Africana Eccleſia & ab Oriente Pontificibus fuiſſe ſupplicatum pro diſpenſationibus, quamplurimis exemplis oſtendit Thomaſſinus. Incipiendo a Sæc. VI. usque ad XII. paſſim adhuc facultatem diſpenſandi exercebant Epiſcopi & Synodi, ita tamen, ut ſæpe fieret recurſus ad Sedem Pontificiam maxime in cauſis majoribus, & difficilioribus, quas ipſi Epiſcopi ad Pontificem amandabant. Lapſu temporis maxime Sæc. XII. & ſequentibus, dum jam Synodi particulares ferme ex integro deſierunt, & ipſi Epiſcopi non tantum ſua jura negligentius vindicarunt; ſed etiam ſponte ſua poteſtatem diſpenſandi in Pontifices tranſtulerunt, longe maxima pars diſpenſationum Sedi Apoſtolicæ reſervata fuit tum per

(d) Quoad Canonizationem tria ſunt tempora diſtinquenda; unum usque ad Sæc. X.; alterum usque ad Alexand. III.; & tertium a tempore Alexandri usque nunc. Primo tempore poteſtas canonizandi erat penes Metropolitas & Epiſcopos. Sæcul. X. inceperunt Pontifices Romæ ſolemniter canonizare, prout id ſcimus de Sancto Udalrico, qui ad inſtantiam Conradi Epiſcopi Conſtantienſis a Joanne XV. fuit canonizatus, ita tamen, ut Pontifices hanc poteſtatem ſibi ſolis non reſervaverint, id quod fecit Alexander III., a quo tempore ſoli Pontifices ſolemnes canonizationes faciunt.

(e) Cap. 1. Ne ſede vac.

(f) Etiam de hoc ex praxi conſtat.

(g) Idem dicendum de Reſervatione caſuum.

(h) Cap. 1. de Cleric. ægrot. in 6.

per Concilia, tum per ipſos Pontifices, prout id fuſe probat cit. Thomaſſinus (i). Hodie ergo ferme omnes diſpenſationes in SS. Canonibus, in Impedimentis Matrimonii, Irregularitatibus, Cenſuris eccleſiaſticis, Simoniis, aliisque delictis, in votis & juramentis ad Pontificem pertinent, niſi aliud habeant Epiſcopi vel ex Concil. Tridentino, conſuetudine vel privilegio. Solent Authores multum diſputare, an & quando Pontifex poſſit diſpenſare in Jure naturali & Divino; item de caſibus Pontifici reſervatis. Sed anguſtiæ temporum & pagellarum jubent has quæſtiones aliis curis reſervare. *Hodie ferme omnes diſpenſationes pertinent ad Pontificem.*

§. VI.

Ex hactenus dictis conſtat, quod poteſtas Pontificis quondam arctioribus limitibus circumſcripta ſucceſſive in immenſum excreverit ad inſtar rivuli cujusdam, qui e tenui fonte ortus aliarum aquarum acceſſione paulatim ita creſcit, ut in ingentem aquarum fluvium deſinat, & non tantum ferendis navibus par ſit, verum etiam urbibus, & oppidis formidabilis incedat. *Quomodo poteſtas Pontificis creverit?* Videamus ergo, qua arte hoc factum ſit? Id ante omnia certum eſt, quod poteſtas Pontificis in ſe & ſua radice ſpectata ſemper fuerit eadem: ſemper enim Pontifex fuit Primas Eccleſiæ, & ut talis ab Eccleſia agnitus. Solummodo ex accidenti factum eſt non tantum, ut ampliſſima illa poteſtas ſe non potuerit in omnes mundi plagas protendere, ſuamque virtutem pleno alveo effundere; verum etiam ut ſucceſſu temporis in eam plenitudinem, quam hodie in ea ſuſpicimus, exſurrexerit. *In ſe ſemper fuit ſumma, & per accidens valde reſtricta.* Erant prima Eccleſiæ Sæcula turbulenta, & graviſſimis perſecutionibus obnoxia, exiguus fidelium numerus, ſuo modo difficilior communicatio cum aliis Eccleſiis & Epiſcopis, pauciores Eccleſiæ; a Rectoribus Eccleſiarum omnis ambitio, & ſuam juriſdictionem protendendi libido prorſus aliena, cauſæ celeriorem expeditionem requirebant: ipſa judicia ad modum arbitrii ſine ſtrepitu forenſi exercita citius terminabantur.

Poſtquam vero Sæc. IV. & ſeq. Eccleſia in dies majora accepit incrementa, ipſa etiam poteſtas Pontificis creſcere cœpit, usque dum apicem ſuæ Celſitudinis attigerit. *Incipiendo a Sæc. IV. ſemper crevit.* Cauſas ſi quæramus, tres quatuorve communius afferunt Acatholici: immenſam, ut ajunt, regnandi libidinem, ambitionem, dominatum, & tyrannidem illorum potiſſimum Pontificum, qui a tempore Gregor. VII. claves Petri tenuerunt *Acatholici quatuor aſſignant cauſas, ſed non ſine falſo.*

(i) Tom. 2. part. II. l. 3. cap. 24.

runt; collectionem Pſeudo-Iſidorianam ampliandæ, dilatandæque juriſdictioni Pontificum apprime faventem; ruditatem temporum, quibus difficile non erat piſcari in turbido; ac demum Monachatum & Ordines Religioſos, qui ut ſuas exemptiones jura & privilegia ſtabilirent, cauſas Pontificum quaſcunque ſua quantacunque authoritate ſuſtentarunt, & in hodiernam usque diem ſuſtentant. Sed qua ratione id

Refutantur. probant? Ambitionem & tyrannidem inde probare contendunt, quod Pontifices ſæcularibus poteſtatibus ſtrenue reſtiterint, atque multa jura eccleſiaſtica, quorum erant uſurpatores, ex eorum manibus extorſerint. Verum anne ille ambitioſus & tyrannus dici meretur, qui ſua jura defendit, & injuſtis invaſoribus reſiſtit? Collectionem Pſeudo-Iſidorianam longe aliam in multis eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus formam introduxiſſe ſponte largimur. Num ruditas temporum tantum ad ampliandam poteſtatem Pontificiam contribuerit, quantum homines iſti ſibi imaginantur, jure optimo dubitaveris. Illud etiam facile damus, quod Monachi & Religioſi ſemper fidelius & ſincerius Sedi Pontificiæ adhæſerint, & in præmium egregie navatæ operæ varia privilegia obtinuerint: ſed num propterea ſe criminis reos fecerunt, quod pro juſtitia cauſæ ſteterint (k)? Sed mittamus hos homines, quibus nihil magis eſt cordi, quam criminari Pontifices, & una cum his etiam Ordines Religioſos.

Cauſæ allegantur genuinæ. Dicamus igitur, quod res eſt, nempe ferme easdem fuiſſe cauſas ampliatæ poteſtatis Pontificiæ, quæ fuerunt reſervationis cauſarum majorum: cauſæ erant nempe ipſa ſpectabilis dignitas Primatus Pontificii, frequentiores conſultationes, relationes, provocationes, & appellationes ad Sedem Pontificiam factæ, præſidentia Pontificia in Conciliis, ceſſatio Synodorum provincialium, aliqualis in tuendis ſuis juribus negligentia, & ſpontanea ſubmiſſio Metropolitarum, & inſufficientia illorum ad componendos motus & turbines ad hunc apicem ſupremæ juriſdictionis evexit Pontifices. Ultimato denique cauſa principalis refundenda eſt in ſingularem DEI Providentiam bono ſuæ Eccleſiæ mirabiliter conſulentis, quam ipſe etiam Claudius Fleury in hac ipſa mirabili diſpoſitione adorare non dubitat.

Etiam Catholici quidam in ſedem Ponti- In eo exiſtimamus non modo Acatholicos, verum etiam DD. quosdam Catholicos eſſe injurioſos in Sedem Apoſtolicam, quod plures Pon-

(k) Refert Mabillonius, Abbates Caſſinenſes olim Pontifici ne quidem juramentum fidelitatis jurare debuiſſe ob ſuam fidelitatem, qua eidem ſemper adhæſerunt. Vid. Mabill. Præf. ad Sæc. VI.

Digitized by Google

Pontificum majoris momenti ordinationes, e. g. Conſtitutionem Vicariorum Apoſtolicorum (l), conceſſionem Pallii (m), frequentiores Legatorum miſſiones (n), in peſſimam interpretentur partem, quaſi vero hæc omnia & ſingula ſtudioſe fuerint excogitata, & fraudulenter in ordine ad ſtabiliendam firmandamque Monarchiam Pontificiam, ac ſupprimendam authoritatem Metropolitarum, & Ordinariorum ordinata: Nam damus, quod hæc ampliandæ jurisdictioni maxime inſervierint; imo quod Legati Pontificii enormes commiſerint exceſſus. Porro autem fraudes & dolos interceſſiſſe, & in hunc ipſum finem a Pontificibus iſta fuiſſe ordinata, id nobis perſuadere non poſſumus. Poterunt fortaſſis facilius iſta ſibi perſuadere Politici ad cudendas fraudes & dolos nati & facti, qui occultos ſuos fines tegere norunt, & ab experientia ſciunt, quorſum ſua conſilia ultimato colliment, quibusque artibus & fraudibus univerſo orbi ſit illudendum. Num ergo in tanta ruditate temporum, & ſimplicitate hominum, qualem illis temporibus, quibus hæc facta ſunt, ferme totum orbem occupaſſe ſomniant, apud ſolos Pontifices peſſima conſilia, doli & fraudes ſuam fixerunt ſedem?

Officiam ſunt injurioſi allegando falſas cauſas.

Excuſantur Pontifices.

CAPUT IV.

De erroribus Pontificum.

§. I. *Quinam Pontifices erroris in fide arguantur?* II. *Quomodo Pontifices ſuppoſita etiam infallibilitate in dogmatibus fidei declarandis errare poſſint?* III. *Quænam ab Acatholicis male imputentur Pontificibus?* IV. *Quam caute & circumſpecte loquendum & ſcribendum de Pontifice.*

§. I.

Hactenus in Pontifice Legislatorem, Judicem, & Doctorem conſideravimus, illiusque poteſtatem, & jura explanavimus. Paucis de

De erroribus Pontificum remiſſive.

(l) Primum, cui dignitatis hujus Vicariatus legitur conceſſus, fuit Epiſcopus Theſſalonicenſis teſte Petro de Marca.

(m) Uſum Pallii referunt ad Sæc. IV. vel V. qui tamen cum effectu fuit propagatus per S. Bonifacium.

(n) Etiam Legationes Pontificiæ ſunt antiquæ, ſed per Nicolaum I. factæ frequentiores.

Digitized by Google

de illorum defectibus, & erroribus ſeu veris, ſeu falſis & affictis videamus. Non ignoramus, quod varii Pontifices diverſorum errorum in fide rei agantur. Quoniam vero ferme omnes, aut certe principaliores jam ſupra recenſuimus (a), Brevitatis cauſa illuc nos remittimus.

§. II.

In quibus quæſtionibus errare poſſit Pontifex?

Inde recte fluit ulterior quæſtio, an non ſaltem ut Doctores privati extra materiam fidei & morum in quæſtionibus facti, Theologicis, Canonicis, Hiſtoricis, Aſtronomicis, Mathematicis, Philoſophicis errare poſſint Pontifices? id ſi negaverint Infallibilitatis Pontificiæ defenſores, actum erit de ſua ſententia: qua enim arte tot errores Pontificum excuſabunt, niſi illos in Pontificem qua *Doctorem privatum* refundant, & in errores facti imputent? Pontifices errore facti erraſſe,

Erravunt in quæſtionibus facti.

& poſſe errare res nobis eſt indubitata: ita enim erraſſe errore facti ajunt Zephyrinum, & Zoſimum, dum ille fraudibus Montaniſtarum inductus literas dedit pacificas; iſte libellum a Cœleſtio & Pelagio doloſe compoſitum ſibique oblatum aliquo modo approbavit. Haud ſecus in materiis Theologicis & Canonicis errarunt Joannes XXII., dum animas ex hac vita decedentes primum poſt reſurrectionem univerſalem viſuras DEUM aut tenuit, aut doceri permiſit; & Greg. II. aut juxta aliquos III. (ſi tamen textus in Decreto Gratiani reperibilis genuinus eſt) dum diſſolutionem Matrimonii quoad vinculum etiam propter infirmitatem uxoris (ponamus illam fuiſſe ſupervenientem) permiſit (b). Et Zacharias, qui uxori, cujus maritus cum ſorore illius concubuit, licentiam nubendi alteri conceſſit (c). Atque hoc adeo verum eſt, ut locum habeat, etiamſi Pontifex ad conſultationem aliorum reſcripſerit: quia, dum reſcribit Pontifex, neutiquam intendit ſemper oracula pro toto orbe Chriſtiano effundere.

Poſſunt errare in rebus hiſtoricis, & errarunt.

Multo minus ab erroribus in rebus Hiſtoricis excuſari poſſunt: quippe qui varios libros, epiſtolas, ac geſta Sanctorum ſpuria, dubia, & apocrypha a quibusdam Scriptoribus etiam famoſioribus ex defectu ſanioris Criticæ ſuis operibus inſerta e. g. epiſtolas quasdam Clementis, & plures alias usque ad Siricium Papam, libros SS. Ignatio, Athanaſio, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, aliisque Patribus ſuppoſitos aut incaute tributos ita approbarunt, ut in ipſa templa, in ipſas ad popu-

(a) Vid. dicta de Infallibilitate.

(b) Can. 18. Cauſ. 32. q. 7.

(c) Can. 23. Cauſ. 32. quæſt. 7.

lum Conciones, in libros precatorios, in Breviarium, in Romanorum Pontificum epiſtolas, ac in uſum Scholarum penetraverint: e. g. hiſtorias de lepra, & Baptiſmo Conſtantini M., de lapſu Marcellini, de tot millibus Sociarum Virginum S. Urſulæ, de mirabili Martyrio quorundam SS. Martyrum &c.

Item in cæteris diſciplinis Philoſophicis.

Minime vero hactenus privilegium inerrantiæ habuere Pontifices in rebus Aſtronomicis, Mathematicis, Geometricis, Philoſophicis &c. Quondam Romæ male audiebat ſyſtema Copernicanum, ſententia negans accidentia abſoluta. Hodie utraque ibidem etiam publice & plauſibiliter defenditur. Quid dicamus de famoſa illa ingenti animorum fervore quondam agitata controverſia de exiſtentia Orbis incogniti, & Antipodarum? Quis neſcit, Zachariam Pontificem tanto animi ardore, zelo & æſtu Antipodas negaſſe, ut in Virgilium quemdam (plerique illum fuiſſe S. Virgilium Epiſcopum Salisburgenſem exiſtimant) aliosque ipſi adhærentes contrariæ opinionis aſſertores fulmen excommunicationis vibrare non dubitaverit. Atque hæc authoritati ſummorum Pontificum neutiquam præjudicant; imo illorum Infallibilitatem in rebus fidei & morum mirum in modum commendant: cum nemo hactenus dicere auſus fuerit, quod Chriſtus Dominus illis ſuam aſſiſtricem gratiam etiam in his promiſerit. Utrum Pontifex in hæreſin privatam incidere poſſit, Theologis diſcutiendum relinquimus. Nobis ſententia id affirmans ferme certa videtur.

De errore Zachariæ in quæſtione de Antipodis.

Inde nullum præjudicium authoritati Pontificiæ.

§. III.

Acatholici ſunt valde injurioſi in Pontificem.

Quantum Heterodoxos offendat Authoritas Summi Pontificis, quibus calumniis, & convitiis ipſum laceſſant, quæ crimina impuтent, quibus artibus hiſtoriam de Pontificibus turbare, & adulterare ſoleant, nemo eſt, qui ignorat, id unice in votis habentes, ut illum e ſua ſede deturbent, & ad Garamantas & Indos usque ablegare valeant. Incipiendo ab ipſo Petro, ipſum Romæ fuiſſe negant: quosdam Pontifices ſanctiſſimos e. g. Gregorium VII. crudeliſſimæ tyrannidis incuſant: aliis Pontificibus alia crimina, quæ ſcribere animus & calamus perhorreſcit, imputant: imo & fabulas quasdam a ſuis etiam Doctoribus exploſas e. g. fabulam de Joanna Papiſſa & ſella ſtercoraria mentiuntur, & fingunt, eum in finem tantum, ut Pontifices apud ſuos faciant odibiles; apud Catholicos vero illorum authoritatem deprimant. Id facile damus, ipſos etiam Pontifices fuiſſe homines, a quibus nihil humani alienum erat: verum id ægerrime ferendum eſt, quod peccata hominis & peccata Pontificis confundant, delicta in im-

menſum exaggerent, & crimina horribilia fingere non erubeſcant. Sed de hoc ſatis.

§. IV.

Caute & circumſpecte ſcribendum de authoritate Pontificis.

Supereſt, ut breviter dicamus, quibus cautelis de Authoritate Pontificis ſcribere vel diſputare oporteat. Rem oppido delicatam, & difficilem eſſe de authoritate Pontificis ſcribere apud omnes in confeſſo eſt. Quam enim facile limites juſti zeli, aut prudentis moderationis excedimus, illam vel exceſſive exaggerantes, aut ultra modum ad infima ſubſellia detrudentes? Hinc illud ferme ſemper accidit incommodi, ut, qui de ea pertractant, non ſolum obtrectationibus contraria ſentientium, ſed etiam ſuſpicionibus, & odiis eorum ſint obnoxii, de quorum authoritate ſcribunt. Contingit id potiſſimum de poteſtate Pontificis ſcribentibus, qui ſi vel a longe privilegia quædam Pontificis certe dubia in dubium vocare auſerint, neſcio quorum criminum, hæreſum & errorum rei aguntur; aut ſi illius authoritati ſublimandæ ſtudeant, de ſtudio partium, adulationibus, blanditiis ſe ſuſpectos reddunt. Fatemur, rem eſſe periculoſam quidquam authoritati Pontificis detrahere; imo vero Eccleſiæ vel maxime intereſſe, ut illius authoritas ſalva & incolumis conſervetur: verum inſimul in id eſſe incumbendum novimus, ut illam ultra ſuos limites nec extendamus, nec ſublevemus, incerta pro certis vendamus, & talia privilegia eidem afferamus, quæ convincenter probare non poſſumus; ſed cogitemus magis dari zelum exuberantem, zelum, ut ait Apoſtolus, *non ſecundum ſcientiam* errandi periculo obnoxium. Aut enim authoritatem Pontificis nimium deprimimus? & Eccleſiæ noſtræ ſummopere nocemus: aut illam cum exceſſu extollimus? & facile contingere poteſt, ut ſi illud privilegium vel in unico caſu ipſi defuiſſe monſtrari valeat, tota Eccleſiæ authoritas nutet, vacillet, aut omnino corruat, ut adeo prudens dubium remaneat, pluſne noceant Eccleſiæ Pontificiæ poteſtatis moderati defenſores, quam illius exceſſivi vindices. Omnibus & ſingulis ego author ſim, ut legant Eruditiſſ. Ludov. Muratorium in hac re modeſtiſſime differentem, cujus verbis præſenti capiti imponere finem eſt animus: *uti modeſti*, ait, *& non vulgaris animi hominisque ſupra ſuos affectus regnantis eſt, nil ſibi arrogare, quam quod in publicæ rei commodum, & in juſtitiæ & veritatis tutelam redundet, ita pii ſimul & prudentis eſt, nihil Eccleſiæ tribuere, quod tributum in ipſius Matris noſtræ contumeliam publicumque incommodum recidat. Ut eidem bene ſerviatur, &* con-

Intereſt enim ipſius Eccleſiæ.

Indiſcretus zelus nocet.

Doctrina Muratorii ſalubris.

conſulatur, non ſolus zelus, non ſola pietas conſulenda eſt, ſed ſcientia quoque, & omnium maxime prudentia (a). Jam ſatis.

CAPUT V.

De Notitia & Studio hiſtoriæ Romanorum Pontificum.

§. I. *De neceſſitate ſtudii Hiſtoriæ Romanorum Pontificum* II. *ejus amplitudine.* III. *Utilitate.* IV. *Arte ſtudendi, & fontibus originariis.* V. *Subſidii.* VI. *Regulis in hoc ſtudio obſervandis.*

§. I.

Quemadmodum in Differt. de *Conciliis* ſpecialiter de *notitia & ſtudio Conciliorum* (b) ita etiam in præſenti de *hiſtoria Pontificum* agere placuit: Cum non minus hæc quam illa præcipuam partem Hiſtoriæ Univerſalis tam Eccleſiaſticæ quam prophanæ conſtituat, & cum hiſtoriis quibuscunque particularibus regnorum, provinciarum, Epiſcoporum, Principum, hæreſum & ſchismatum ita conexa ſit, ut nec ſcriptores hiſtoriarum unquam perfectum aliquod & numeris omnibus abſolutum opus perficere, neque illi, qui ſtudio hiſtorico ſuam operam conſecrant, unquam ad ſublimen eruditionis hiſtoricæ apicem eluctari valeant, niſi ſubſidia & ſupetias ab hiſtoria Pontificum mutuent. *Studium hiſtoriæ Romanorum Pontificum neceſſarium.*

§. II.

Hiſtoriam Pontificum eſſe in ſuo ambitu ampliſſimam prima fronte conſpicimus. Cum enim in Pontifice veluti in quodam centro coadunentur diverſa munia ampliſſimæ ſane dignitatis: dignitas Epiſcopi Romani, Metropolitæ in provinciis ſuburbicariis, Patriarchæ Occidentalis, Primatis in toto orbe Catholico, Principis territorialis per ditiones Romanæ Sedi ſubjectas; hæ dignitates vero nexum habeant individuum cum ſtatu Eccleſiaſtico & politico, atque ex hoc ipſo nexu reſultent varii habitus ad Religionem, doctrinas fidei morum & diſciplinæ, ad univerſos fideles, ad Epiſcopos ſeu in Conciliis congregatos, ſeu extra in regimine ſuarum Diœceſium occupatos, ad Rempublicam politicam, Imperatores Reges & Principes, ad ipſas regimini poli- *Ampliſſimum.*

(a) De ingen. moderat.* (b) Cap. V.

politico Pontificis ſubjectas ditiones & provincias, fieri ſane nequit, quin hiſtoria Pontificis innectatur cujusvis generis hiſtoriis, atque inde innumeræ controverſiæ de illius Superioritate in univerſam Eccleſiam, poteſtate in Epiſcopos aliosque Eccleſiarum particularium Præſules, quin & in ipſos Imperantes, eorumque regna & provincias, ferendi leges, declarandi dogmata, ordinandi diſciplinam eccleſiaſticam, decidendi cauſas controverſas oriantur.

§. III.

Triplex utilitas ex hiſtoria Pontificum.

Ex his ſatis aperte liquet, ex hiſtoria Pontificum triplicem redundare utilitatem, quarum una Hiſtoriam Univerſalem; altera Eccleſiam; tertia Rempublicam ſpectat politicam. Sunt nempe Hiſtoriæ triplicis generis: ſunt vel ſimpliciter *narrativæ*, quæ res geſtas & facta ſimpliciter referunt: ſunt *Polemicæ*, in quibus agitur de controverſiis inter diverſas diverſarum religionum ſectas agitatis, de regimine eccleſiaſtico, cauſis Religionis, & Eccleſiæ: ſunt *politicæ*, in quibus ſyſtemata Rerumpublicarum, formæ regiminis, Principia & regulæ examinantur politicæ. Inde quid conſequitur? niſi quod ex hiſtoriis *narrativis* mirum in modum illuſtrentur Hiſtoriæ Univerſales & particulares tam Eccleſiaſticæ, quam prophanæ; ex *polemicis* dilucidentur ſyſtemata Religionum, diſſidia ſectarum invicem in principiis Religionis diſſidentium, & ipſa jura Eccleſiæ Pontificum Epiſcoporum & Principum determinentur; ex *politicis* vero dignoſcantur principia & regulæ, quibus Romani Pontifices utuntur in ſuo regimine politico.

Idcirco mirum videri non debet, quod Viri innumeri ferme ex omnibus nationibus doctrina eruditione & dignitate ſumme conſpicui perficiendæ & exornandæ hiſtoriæ Pontificum ſuas operas locaverint, jamque tot libri ſuper geſtis Pontificum ſcripti in lucem publicam prodierint, ut vix in numerum cogi valeant, quin potius in vaſtiſſimos catalogos & codices redigi & colligi debuerint.

§. IV.

In hoc ſtudio certæ obſervandæ ſunt regulæ.

Jam qua' arte in hoc ſtudio ampliſſimo ſit verſandum, videamus. Dubium non eſt, in eo obſervandas eſſe regulas, quas pro ſtudio Conciliorum tradidimus. Idcirco inter *fontes originarios*, & *ſubſidia* Hiſtoriæ Pontificiæ erit diſtinquendum. Ad *fontes originarios* reducimus triplicis generis *catalogos*, *codices*, *ſeu Collectiones*. Prima eſt *collectio illorum Scriptorum*, qui ſuis libris hiſtoriam Pontificiam illuſtrarunt.

Triplicis generis Collectiones per-

Altera

Digitized by Google

Altera eſt collectio *antiquorum & noviorum documentorum*, quorum auctores ſunt vel habentur ipſi Pontifices. Huc pertinent *epiſtolæ*, *Bullæ*, *Brevia*, *aliaque reſcripta Pontificum* veluti in unum collecta. Tertia eſt *collectio numiſmatum*, *antiquarum imaginum*, *Epitaphiorum aliorumque monumentorum antiquorum*: utpote quæ ad illuſtrandam hiſtoriam Pontificiam plurimum facere facile dignoſcuntur. *tinent ad fontes originarios.*

Primi generis collectiones reperiuntur in ampliſſimis collectionibus, Bibliothecis & Catalogis Scriptorum præcipue Italorum, Germanorum & Gallorum, quippe qui præcipue hiſtorias Pontificum accuratius & ſincerius ſcripſiſſe noſcuntur. Hujusmodi Scriptores plures recenſet Guilielmus Cave (c). Mathæus Pfaffius (d) & Franciſ. Walchius (e), ex quibus non niſi paucos recenſere liceat. Tales ſunt *Bibliotheca Pontif. Ludov.* Jac. a S. Carolo Lyon 1643. Auguſtini Oldoini *Catalogus Authorum*, *qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt* Peruſæ 1676., & noviſſime Romæ 1734. a Joanne Meuſchen *in Cæremoniali elect. & coronat. Pontif.* impreſſus. Nicol. Lengl du Freſnoi in dem *Cataloque des Hiſtor.* Art. L. Quibus addantur Collectiones majores: quales ſunt *Theſaurus Antiquit. & Hiſtor. Ital. & Sicil.* Joan. Georgii Grævii, Jac. Perizonii & Petri Burmannii. Item Ludov. Muratorii *Scriptores rerum Ital.* Plures videantur alibi (f). *Collectiones Scriptorum reperiuntur in certis Catalogis.*

Secundi generis Collectiones ſunt ſequentes: *Collectio Dionyſii Exigui*, qui epiſtolas antiquorum Pontificum a Siricio usque ad Hormisdam primus collegit (g). *Altera Iſidori vulgo Mercatoris*, qui ſuæ Collectioni inſeruit Epiſtolas Pontificum a Clemente usque ad Siricium (h). Has dein epiſtolas ſequentes Collectores ſuis collectionibus ſparſim immiſcuere, ſicuti Gratianus (i). Inter noviores Collectiones facile præcipua eſt illa Petri Couſtants, quæ inſcribitur: *Epiſtolæ Romanorum Pontificum a S. Clemente usque ad Innocentium* (k). Hiſce accedit *Bullarium Magnum*, de quo alibi fuſius egimus (l). Huc reducunt *De Collectionibus documentorum, ubi reperiantur.*

(c) Hiſtor. liter. in Proleg.

(d) Introd. in Hiſt. liter. lib. 4. de Hiſtor. Eccleſ. pag. 320. ubi commendat Slyterum, Sagittarium, Schmidium aliosque.

(e) Vorbereitungs Grundſätze. (f) Apud eundem Walchium loc. cit.

(g) Vid. Diſſert. de Collect. I. Cap. II. §. VII.

(h) Diſſert. eadem Cap. III. §. VI. & ſeq.

(i) Diſſert. II. de Collect. Cap. I. §. II. & ſeq.

(k) Fuit hic Author ex Congreg. Mauriana, ſane celeberrimus.

(l) Vid. Diſſert. II. de Collect. Cap. II. §. VI.

Digitized by Google

cunt aliqui Collectionem Bullarum, quæ in favorem & gratiam diverſorum Ordinum religioſorum fuere indultæ Has noſcere licet ex libris, in quibus hiſtoriæ diverſorum Ordinum religioſorum leguntur. Apprime huc facit hiſtoria Ordinum religioſorum Hippol. Heliots, quæ in linguam Germanicam traducta prodiit Lipſiæ. Addantur alii Scriptores Monaſtici inſtituti, quales haud paucos recenſet Mabillonius, etſi ad hunc ſcopum non omnes & ſinguli deſerviant (m). Demum huc faciant vel maxime ampliores Collectiones, & Hiſtoriarum libri, Acta & Documenta, *Annales Baronii* continuati, Ferdin. Ughellii *Italia ſacra*, *Acta Sanctorum* a Bollandiſtis adornata, Edmundi Martene *Theſaur. monument.* Joan. Mabillonii *Acta Sanct. Ord. Bened.* & *Analect. med. ævi.* Luc. Dacheri *Spicileg.* Steph. Baluzii *Miſcellanea*, *Gallia Chriſtiana*, Bern. Pozii *Theſaur.*, Waddingii *Annal.* Petri de Ludwigs *Reliquiæ Manuſcrip.* Ferdin. Gudeni *Collect. Monument.* Joan. Georg. Eccaardi *Corp. Hiſt. med. ævi.* Ludov. Ant. Muratorii *Antiquit. Ital. med. ævi.* Joan. Nic. de Hontheim *Hiſt. Diplom. Trevirenſ.* Plures hujusmodi Scriptores recenſet Eberhard. Baring. (n), & Philip. Bonamici (o), qui omnino videri merentur, ſed non niſi improbo labore legi, in ordinem redigi, & in ſingularem uſum Incipientium converti & applicari poſſunt.

Huc pertinent ampliores Collectiones & hiſtoriarum libri.

Scriptores rerum Diplomaticarum huc ſpectant.

Tertii generis Collectiones ſunt illorum, qui ſingulari ſtudio ſe rei Diplomaticæ exornandæ conſecrarunt, cujus ſtudium ad illos pertinet, qui omne robur ingenii ſui antiquitatibus devoverunt. Id ſane negari non poteſt, quod hiſtoriis cujuscunque generis plurimum lucis affundat ſtudium Antiquitatum, & ad eruendam veritatem hiſtoricam plurimum conferant non diplomata antiqua duntaxat, verum etiam numismata, monetæ, denarii, quos jam ingenti labore & immenſis ſumptibus ab Antiquariis, Archivariis, quin etiam Principibus & Magnatibus conquiri, & colligi novimus. Quasdam hujusmodi collectiones ad illuſtrandam Hiſtoriam Pontificiam oppido utiles recenſere liceat. Huc faciant *Hiſt. Summ. Pontif. a Martino V. ad Innocent. XI. per eorum numismata Claud. Dumoulinet* Pariſ. 1679. Phil. Bonanni *numismata*

(m) Tract. de ſtud. Monaſt. Cap. VIII. parum tamen ad hunc ſcopum faciunt Scritores illi, qui hiſtoriam inſtituti Monaſtici Orientalis ſcripſerunt, & a Mabillonio citantur. Uſui erunt cœteri in fine allegati.

(n) In Biblioth. Script. Diplom.

(o) De Claris Epiſt. Pontif. Script.

miſmata Pontificum &c. Romæ 1699. Ejuſdem *numiſmata Summorum Pontificum templi Vaticani fabricam indicantia* Romæ 1700. Xaver. Scilla *breve notitia delle monete Pontificie antiche e moderne* Romæ 1715. Rod. Venuti *numiſmata Romanorum Pontificum præſtantiora a Martino V. usque ad Benedictum XIV.* Rom. 1744. Joan. Vignole *antiquiores Pontif. Rom. denarii* Benedicti Floravantes Rom. 1734. Cœteros numiſmatum, monetarum, & denariorum quorumcunque Collectores prætcrimus. Ultimato huc pertinent *antiquæ imagines*, quæ antea in Eccleſia S. Petri; nunc vero & in hodiernam uſque diem viſuntur in Eccleſia S. Pauli. Imaginum harum authorem quidam faciunt Leonem Magnum; alii Symachum, quas dein Nicolaus III. continuaſſe refertur (p). Satis jam de fontibus originariis.

§. V.

Tranſeamus ad *ſubſidia*, vel ſi ita dicere lubet, ad fontes *derivativos* Hiſtoriæ Pontificiæ. Ad *ſubſidia* referimus I. Hiſtorias Pontificum, ſeu potius libros, in quibus vitæ, acta, & res geſtæ Pontificum ſeu omnium ſeu aliquorum enarrantur. II. Hiſtoriæ ipſius Pontificatus, illius incrementa, decrementa &c. III. Libri in certo ſenſu Dogmatici & polemici, in quibus examinantur, dilucidantur, & deciduntur jura, prærogativæ, & quæcunque controverſiæ, quas ſuper his ſeu Catholici inter ſe, ſeu Sectarii contra Catholicos movere conſueverunt. IV. Libri Chronologici, ex quibus vitæ & acta Pontificum mirum in modum illuſtrantur. *De ſubſidiis. Huc ſpectant quadruplicis generis libri, & quinam?*

Quantum ad primam Claſſem diſtinquendum eſt inter Scriptores *antiquioris*, *medii*, & *novioris ævi*. Antiquiores potius *Catalogos Pontificum*, quam libros ſcripſerunt. Porro autem nec hi Catalogi ſunt ſine uſu & utilitate, & plurimum conferunt ad illuſtrandam Chronologiam temporum. Hujuſmodi Catalogi plures reperiuntur tum in antiquis Patrum Eccleſiæ libris Irenæi, Optati Milevitani, Auguſtini, Euſebii Cæſarienſis, Victoris Africani; tum antiquioribus manuſcriptis noviter repertis, & a Viris eruditis in lucem publicam protractis. Talia reperiuntur *in Comment. ad Victorii Canonem Paſchalem, in Actis Sanctorum* Danielis Papebrochii Tom. I. April. *Critica* Antonii Pagi Part. I. *Antiquitat. Eccleſ. illuſtrat.* Emanuelis Schelſtrats Tom. I. pag. 327. *In Prolegom. Franciſ. Bianchini* Part. II. &c. Præcipui ex his Scriptoribus *Sunt triplicis generis Scriptores, qui vitas ſcripſerunt Pontificum. Antiquiores ſcripſerunt Catalogos. Ubinam reperiantur?*

(p) Vid. Franciſ. Bianchini Diſſert. de antiq. Rom. Pontif. Catalogis cap. III. pag. 70.

ribus habentur Schelſtratius & Bianchini, qui de his Catalogis in Diſſertationibus ſpecialibus egerunt, quas celeberrimus Muratorius ſuo Operi de Script. rer. Italic. Tom. III. part, I. inſeruit.

Scriptores medii ævi. Scriptores quos vocamus *medii ævi*, a Sæc. V. usque ad tempora Reformationis ſunt quamplurimi, ut vix in numerum cogi poſſint. Et hi jam fuſiores & integros ſcripſere libros. Celebriores ſunt ſequentes: *Liber Pontificalis* Damaſo Papæ falſo adſcriptus; probabilius primum Sæc. VI. compoſitus, quem aliosque nobis incognitos Sæc. IX. continuavit Anaſtaſius Bibliothecarius, & Wilhelmus pariter Bibliothecarius. Hos aliosque libros, in quibus deſcribuntur vitæ Pontificum, collegerunt celeberrimi Viri Hannibal Fabrotti, Ludov. Muratorius, Anton. David Alteferra, Joan. Campini, Francif. & Joſephus Bianchini. Hos ſequuntur Flodoardus Canonicus Remenſis, qui de vitis Pontificum ad Leonem usque VII. quindecim libros ſcripſit (q). Abbo Abbas Floriacenſis libros Anaſtaſii in compendium redegit circa finem Sæc. X. Pandulphus Maſca de Alatro Sæc. XII. vitas Romanorum Pontificum a Petro usque ad Innocentium III. edidit, & Anaſtaſii hiſtoriam continuavit. Huc ſpectat Authoris ignoti *Hiſtoria Rom. Pontif.* quæ reperitur in Anecdot. Pezii Tom. I. part. 3. pag. 325. Item *Chronicon Summorum Pontificum atque Imperatorum a Martino Polono inchoatum, & a Ptolomæo de Lucca & Bernardo Guidone continuatum.* Idem hic Guido Sæc. XIV. poſt ſuum obitum reliquit *Annales Pontificum usque ad Joannem XXII.* Eodem Sæculo publicam lucem aſpexit *Chronicon Pontificum Romanorum* Leonis Urbevetani, *Hiſtoria Pontificum Romanorum* Gervaſii Riccobaldi de Ferrara, *Cronica delle vite de Pontefici* Franciſci Petrarcha. Sæculo XV. vixit Bonifacius Simonetta Mediolanus, qui ſcripſit *Commentarios de perſecutionibus Chriſtianis, & Romanorum Pontificum hiſtoriam.* Ex his ferme omnibus notiſſimus eſt Bartholomæus, vel Baptiſta de Sachis Platina, qui *hiſtoriam de vitis Pontificum* ſcripſit. Opus iſtud eſt notiſſimum, iterato editum, in varias linguas Italam, Gallicam & Germanicam translatum: ab Onuphrio Panvinio & Antonio Ciracella ad finem usque Sæculi XVI. fuit continuatum.

Atque hi ſunt præcipui Scriptores medii ævi, quibus vitas Romanorum Pontificum debemus, ad tempora usque Reformationis. Ab

(q) Ultimam operis hujus partem Mabillonius ſuis Act. Sanct. Ord. Bened. Sæc. III. part. II. inſeruit.

Digitized by Google

Ab hoc tempore mira ſcribendi libido quoscunque etiam ſemidoctos invaſit: ita mirum videri non debet, quod in hac potiſſimum materia innumeri libri prodierint: nam cum finis ferme principalis & vix alius Reformatorum fuerit, quam Pontificem de ſuo throno deturbare, mox inter Catholicos & Proteſtantes ad arma ventum fuerat. Quare ambo ſuos calamos ſtrinxerunt: Proteſtantes hiſtorias adulterare, fingere fabulas, aut certe fictas exaggerare, Pontificum vitia detegere, denudare, augere, convitiis, injuriis, calumniis Pontificem orbi univerſo odibilem exoſum & inimicum reddere totis viribus contenderunt. Catholici arma armis oppoſuere, atque omni ſtudio nitebantur authoritatem Pontificis vindicare, fabulas detegere, injurias depellere, optime gnari totum Eccleſiæ Catholicæ ſyſtema ſubrutum iri, niſi authoritate Pontificis ſuſtentetur. Juvat jam Scriptores Catholicos recenſere, qui potiſſimum in conſcribendis Pontificum vitis vel omnium, vel aliquorum fuere occupati. Vitas Pontificum in genere ſcripſerunt Onuphrius Panvinius, cujus *vitæ Romanorum Pontificum* Venet. 1566. fuerunt editæ. Alphonſus Ciaconius in ſuo opere, quod inſcribitur *vitæ & res geſtæ Romanorum Pontificum*, & a Viris pluribus doctiſſimis notis additionibus & animadverſionibus auctum 1677. Romæ prodiit. Andreas du Cheſne, cujus *hiſtoire des Papes* a ſuo filio Franc. du Cheſne Pariſ. 1658. fuit edita, Abraham Bzovius in ſuo *Pontifice Romano*, & Joan. Palazzius *de geſtis Pontif. Rom.* Ambo hi ab eruditis non adeo magni habentur: dum econtra plurimi æſtimatur *Breviarium Pontificum* a Viro celeberrimo Franciſco Pagi adornatum, & a ſuo cognato Antonio Pagi a Critica, quam in Annales Baronii ſcripſit, notiſſimo quoad tertiam partem typis editum. His accedit Antonius Sandini, cujus *vitæ Pontificum Romanorum* ex antiquis monumentis collectæ non tantum, ſed etiam *Diſputationes hiſtoricæ ad vitas Pontificum* maximi habentur, & pro uſu ſcholarum ſingulis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cultoribus, & reſpective incipientibus plurimum commendari merentur. Alios minorum gentium deos, & Scriptores rerum Pontificiarum non ſine ratione prætcrimus, eisque ſuam laudem, quam ſibi apud eruditos compararunt, ſuam, inquam, laudem ſane non invidendam neutiquam invidemus. Etiam illorum meminiſſe juvat, qui vitas Pontificum non niſi aliquorum ſuis ſcriptis illuſtrarunt, quo pertinet *hiſtoria Pontificum, qui e Gallia oriundi* erant Franciſc. Boſquets Pariſ. 1632. *Gallia purpurata* Petri Frizons Pariſ. 1638. *De ſummis Pontificibus Gallis* Symphoriani Campiers; *Luſitania inſulata* Antonii Macedo &c. *De Pontificibus Ord. Ciſtercienſis* Caſpari Jongelin, & Ferdinand. Ughelli. Agmen claudat

Noviores Scriptores ſunt innumeri & Catholici & Proteſtantes. Et quænam fuerit ratio ſcribendi?

Recenſentur Scriptores Catholici.

Pontificium doctum Georg. Joſeph. Eggs Coloniæ 1718. Huc demum jure optimo pertinent Scriptores, qui ampliores & univerſaliores Hiſtorias ſcripſerunt, quarum notabiliſſimam partem propter nexum materiarum facit hiſtoria Pontificum: tales ſunt *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Baronii, Nat. Alexandri, Fleury, Tillemontii, *Critica* Pagii, *Opera* Muratorii, aliorumque.

Quinam Scriptores Proteſtantici?

Ad Scriptores Proteſtanticos delabimur: Hos ex Walchio (r) recenſere liceat, & ſunt ſequentes: Robertus Barnes *vitæ Rom. Pont. quos Papas vocamus* Wittenbergæ 1536. Joan. Bale *Acta Romanorum Pontificum* Baſil. 1538. Wilh. Hultius *vitæ Rom. Pont.* Megiſers *icones inſignia & vitæ Pontif.* Jac. Revius *Hiſtoria Rom. Pontif. contracta.* Chriſtoph. Beſold *Roman. Pontif. ſeries & vitæ.* Joan. Conrad. Dietrich *Breviarium Pontif. Rom.* Chronologiſche Hiſtorie von alle de Pauſen Amſtelod. 1700. Demum Archibald Bower *Hiſtory of Papes Anglicani*, quam in linguam Germanicam vertit Doctor Rambach. Hujus quatuor Tomi typis ſunt impreſſi, quos ad manus habemus.

Scriptores Pontificatus Romani.

Quantum ad ſecundam claſſem Scriptorum, eorum nempe, qui hiſtoriam ipſius Pontificatus ſcripſerunt, exiſtimat Walchius, ſimilem hiſtoriam a Scriptoribus Catholicis vix poſſe exſpectari, atque adeo ſolos Scriptores Proteſtanticos eſſe aptos & idoneos ad id laboris ſuſcipiendum (s). Facile ominari & divinare licet, quid Author hic hiſce tacite inſinuare velit. Et profecto habet Walchius nos ſibi in hoc puncto conſentientes. Quis enim Catholicorum illam effrœnem, temerariam, & præſumptuoſam ſcribendi libertatem, quam usque nunc Proteſtantes in conſcribendis hiſtoriis Pontificiis tenuerunt, adoptare aut volet, aut poterit? Cum enim hi Doctores in id potiſſimum ſint intenti, ut Pontificatum nigerrimis depingant coloribus, incrementa illius in dolos fraudes & technas, exceſſivum dominatum, quin etiam tyrañidem Pontificum refundant, & Pontificibus neſcio quæ crimina & ſcelerum monſtra imputent, nemo Catholicorum erit, qui illorum veſtigia premere audeat, & ſalva religione poſſit. Non ſemel apud me mirabar, & mecum mirantur Viri alii emunctæ naris, primæ eruditionis, veritatis amantiores, & nullo religionis odio ducti, qua arte fieri potuerit, ut Doctores Proteſtantici, illi etiam, quibus ſanior illuxit phœbus, qui cæteroquin in ſcribendo ſunt modeſti, graves, & mites, omnes modeſtiæ limites, quando ſcribendum erat de Pontificibus, excedere,

Ex mente Proteſtantium Catholici non ſunt apti ad talem hiſtoriam conſcribendam. Et quare?

Proteſtantes in ſcribendo mirum in modum excedunt contra Pontifices.

(r) In Vorbereitungs Grund-Sätzen.

(s) Loc. cit.

cedere, ſuasque hiſtorias neſcio quibus fabulis, falſitatibus, convitiis & calumniis infarcire auſi fuerint: utpote qui omnia Pontificum facta etiam innocua in peſſimas trahere partes, & talia affingere crimina conſueverunt, de quibus ne quidem ſomniarunt. Item dico, & §. ſeq. dicam: Quidquid fecerunt Pontifices, id omne ex mente Proteſtantium nefas erat, crimen erat, & ſcelus erat ſceleratiſſimum. Boni ſuperi! quonamusque odium Religionis Viros cæteroqin eruditos, modeſtiæ in ſcribendo ſtudioſos, optimorum Philoſophiæ principiorum haud ignaros trahit, rapitque, ut ſaniorum regularum Philoſophiæ rationalis, ſanioris criticæ, ne dicam chriſtianæ Religionis oblivifcantur. Talem hiſtoriam fictionibus, convitiis, falſitatibus refertam ſine dubio fruſtra a Catholicis exſpectant Proteſtantes. Interim nunquam apud Catholicos deſuerunt, qui ſimiles fabulas detexerunt, falſitates confutarunt, facta Pontificum legitimis probationibus excuſarunt, aut, ſi Pontifices erraſſe deprehenderunt, illorum errores (utique non in fide) aut ingenue faſſi, aut in meliorem partem, quantum fieri poterat, interpretati ſunt. Erant Pontifices pacifici, mites & humiles, usque dum Imperatores & Reges ſeſe omnibus Eccleſiæ negotiis immiſcuerunt, jura Pontificum turbare, jura Eccleſiæ uſurpare aggreſſi ſunt. Singulari divinæ Providentiæ adſcribendum eſt, quod ſubmiſerit Pontifices robore animi, virtute gratiæ divinæ, ſapientia & fortitudine inſtructos, qui ſe velut murum æneum machinationibus ſæculi oppoſuerunt. Actum eſſet de re Chriſtiana, niſi Deus in ſuis promiſſis fidelis usque nunc fuiſſet, & petram, ſuper quam ædificavit ſuam Eccleſiam, virtute potentiæ ſuæ conſolidaſſet. Si quis jam Catalogum Scriptorum Proteſtanticorum, qui hiſtoriam Papatus ſcripſerunt, videre cupiat, ſæpius citatum Walchium legere non pigeat (t).

Scriptores Catholici detegunt falſitates Scriptorum Acatholicorum.

Ad tertiam claſſem veniamus illorum, qui de controverſiis inter Acatholicos & Catholicos, & inter hos ipſos agitatis ſeu regimen Eccleſiæ e. g. de Primatu, Monarchatu, Superioritate ſupra Concilia, & infallibilitate; ſeu Politicum Status Romani e. g. de jure in urbem Romam, donatione Conſtantiniana, Pipini, Mathildis concernentibus ſcripſerunt. Et quis hos libros in numerum coget? Plures hujusmodi Scriptores jam ſupra recenſuimus: Gerſonium, Richerium, Dupinium, Petrum de Marca, Natalem Alexandrum, Fleyrium, Boſſuetum, Bellarminum, Joſephum Orſium, Launoyum, Gallum Cartier, & Petididierum. In tantum excrevit numerus horum librorum, ut

Scriptores controverſiarum.

Sunt plurimi, jamque in Catalogos collecti.

(t) Vorbereitungs Grund-Sätzen. pag. 32.

ut viris eruditis placuerit illos in quosdam Catalogos colligere, quorſum pertinet Bibliotheca Pontificia Ludov. Jac. a S. Carolo; & altera Joan. Thom. de Rocaberti; item introductio in hiſt. Eccleſ. cap. 27. Caſpari Sagittarii, & aliorum, quos recenſere nimis longum foret.

Subſidia generalia.

Denique facienda eſt mentio ſubſidiorum generalium, quæ ad hiſtoriam univerſalem, & quascunque particulares rite addiſcendas, & magis magisque in ſe perficiendas oppido, ſi non neceſſaria, ſaltem ſumme utilia eſſe noſcuntur. Inter hæc præcipua ſunt *Hiſtoria univerſalis*; ferme omnes hiſtoriæ particulares; & ſingulariter notitia *Chronologiæ*. Si quæ eſt difficultas in determinanda Chronologia cujuscunque hiſtoriæ, hæc certe ſumma eſt in Hiſtoria Pontificia; maxime quando ad tempora ævi antiquiſſimi, & medii retroflectimus. De re Chronologico-Pontificia optime meritus fuit Daniel Papebrochius in ſuo *Conatu chronico-hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum* Antw. 1685. Huic comites jungantur Antonius & Franciſ. Pagi, Ludov. Muratorius, Schelſtrat, Bianchini, Joan. Pearſon *de ſerie & ſucceſſione primorum Romæ Epiſcop.* Henricus Dodwellius *Diſſert. de Pontif. Rom. primæva ſucceſſ.* Joan. Phil. Berratiers *diſquiſ. Chronol. de ſucceſſ. antiquorum Epiſcoporum Rom.* Nicol. Lenglet du Freſnoi *Tabulæ Chronolog.* Eſtor Anmerkungen über das Staat- und Kirchen-Recht. Cæterum, quæcunque ſubſidio ſunt aliis ſcientiis, ea vel maxime ad excolendum ſtudium Hiſtoriæ Pontificum vel maxime conferre videntur.

Huc pertinet hiſtoria generalis, & Chronologia.

Quinam præcipue Chronologiam ſcripſerint?

§. VI.

De regulis in hoc ſtudio obſervandis.

Reliquum eſt, ut de regulis in ſtudio hiſtoriæ Pontificiæ obſervandis agamus. Neſcio profecto, an ullæ cujuscunque generis hiſtoriæ tot ſint involutæ difficultatibus, pluribus ſcateant erroribus, adeo depravatæ, adulteratæ, & falſificatæ fuerint, ac hiſtoriæ Pontificum. Idcirco ſi in quacunque parte hiſtoriæ opus eſt accuratiori critica regulis prudentialibus ſanæ rationis innixa, in hac certe hiſtoria ſaniora deſiderantur principia ex jure naturæ, ex ſaniori Philoſophia, ex fundamentis Chriſtianæ Religionis, Theologiæ tam naturalis quam revelatæ depromenda.

In hoc potiſſimum ſtudio ſanioris criticæ ſunt obſervandæ regulæ.

Diſtinguendum inter Scriptores Catholicos & Acatholicos.

Duplicis potiſſimum generis Scriptores rerum Pontificiarum oportet diſtinquere: nempe Acatholicos, & Catholicos; & inter hos iterum diverſarum Nationum Hiſtoricos vel Theologos, quorum aliqui jura Pontificum non nunquam cum exceſſu efferunt & extendunt, ſicuti Itali; alii modeſte, & non raro nimium deprimunt, ſicuti Galli; alii quaſi Mediatores agunt, ſicuti Germani.

Et inter Italos, Gallos, & Germanos.

Jam

Jam quantum ad Scriptores Acatholicos nemo non novit, quod præcipuum illorum ſtudium in eo ſit, ut Pontifices e ſuo throno deturbent, aut omnino e toto orbe Chriſtiano proſcribant. Tædet, & pudet referre ſpurcitias, quibus ſuos libros ad imitationem Lutheri infarciunt, crimina, quæ Pontificibus falſo imponunt, fabulas, quas ſuis libris immiſcent, criſes prorſus ineptas & exceſſivas, quibus omnia Pontificum facta in peſſimam partem trahunt. Nunc Vicariatum Apoſtolicum a Pontificibus majoribus quibusdam Metropolitis collatum dente canino arrodunt: nunc Pallium ad hos vel quosdam etiam Epiſcopos transmiſſum tanquam vinculum quoddam iniquiſſimum, quo ſibi Metropolitas & Epiſcopos ſubjugarunt Pontifices, eosque in compedes egerunt, peſſime proſcindunt (u): Nunc Pontifices audiunt injuſti invaſores, raptores & tyranni; nunc Antichriſti, & ſi quod aliud hominum genus peſſimum excogitari poteſt. Audeo dicere quod Tyranni crudeliſſimi Nerones, Domitiani, Diocletiani aliaque peſſimorum hominum monſtra non adeo vapulent in hiſtoriis, ac Pontifices. *Peſſimum eſt ſtudium Proteſtanticorum.*

Jam inſtar regulæ quoad lectionem horum Scriptorum damus, quod ſtudioſis juvenibus lectio librorum proteſtanticorum, non eorum duntaxat, qui ex profeſſo de Religione tractant; ſed aliorum etiam hiſtoricorum, & Eccleſiaſtico-juridicorum, in quibus propter neceſſariam connexionem de juribus pontificiis agendum, oppido ſit periculoſa, & caute coercenda. Cum enim tales juvenes ſint cerei ingenii in omnes doctrinas flexibilis, judicii non ſat maturi, aliunde in libertatem ſentiendi proni, novarum opinionum & doctrinarum amantes, vento ſuperbiæ inflati, vani honoris cupidi, & docti videri volentes, multo minus principiis neceſſariis, ſine quibus talis lectio petra ſcandali eſſe poteſt, ſint inſtructi, facile fieri poteſt, ut in transverſum agantur, peſſima principia imbibant, in fide nutare, & vacillare incipientes periculum religionis ſubeant. *Diſſuadetur ſtudioſis juvenibus lectio librorum proteſtanticorum.* Quisquis lectioni ſimilium librorum ſe conſecrare deſiderat, pro priori quædam Præcognita habeat: præprimis autem principiis Chriſtianæ Religionis, ſanioris Philoſophiæ rationalis, & theologiæ etiam poſitivæ inſtructus ſit, neceſſe eſt. Audeo dicere, quod hujusmodi libri non nunquam doctiſſimos turbare valeant, niſi in ſuis principiis ſint bene ſolidati. Et undenam illam libertatem ſentiendi in materia religionis apud ſæculares, Magnates & Politicos, illum contemptum Cleri, vilipenſionem Sedis Pontificiæ & prin- *Niſi certa habeant Præcognita & principia*

(u) Vid. ſupra cap. IV. §. III.

principia pſeudopolitica venire exiſtimamus, niſi quod hauriantur ex libris proteſtanticis, imbibantur in univerſitatibus Acatholicis?

Docentibus hæc lectio ieſt neceſſaria.

Viris econtra in lege peritis, Doctoribus lectio horum librorum eo magis eſt neceſſaria, quo certius eſt, quod ſine hac ne quidem Proteſtantium principia & doctrinas intelligere, multo minus refellere queant, & facile contingere poſſit, & ſoleat, ut in hoſtem ruant non viſum, contra hoſtem imaginarium in arenam deſcendant, arma ſtringant, & in errores turpiſſimos labantur, imputantes ſuis Adverſariis tales doctrinas, de quibus ipſi fortaſſis ne quidem ſomniarunt. Viris etiam doctis id non raro accidiſſe, certo ſcimus.

Regulæ a Doctoribus in hac materia obſervandæ.

Quantum ad Scriptores Catholicos, quemadmodum ille zelus exceſſivus multorum Catholicorum Scriptorum, quo Jura Pontificis nimium extendunt, Eccleſiæ nocivus eſſe facile intelligitur (x), ita etiam illorum ſtudium neutiquam eſt approbandum, qui, quantum poſſunt ſalva religione, authoritatem Pontificis ad ima deprimere conantur, id unice caventes, ne in errorem labantur manifeſtum: *Medio tutiſſimus ibis.* Juvabit attendere, cujus nationis ſit Scriptor. Itali pro Pontifice; Galli pro ſuis libertatibus gallicanis; Germani pro ſuis concordatis & juribus ſpecialibus ſeu conſuetudine ſeu præſcriptione & obſervantia acquiſitis usque nunc zelare conſueverunt. Caute igitur & circumſpecte horum principia ſunt adoptanda & applicanda. Quilibet in materiis ad Theologiam ſpectantibus ad prima religionis, Eccleſiæ, & Theologiæ principia; in materiis Juridicis ad leges univerſales non tantum, ſed etiam particulares Diœceſanas, pacta, conſuetudines & obſervantias reflectat, & demum id ſecum ſtatuat, quod ſibi conſultis rectæ rationis & religionis regulis certiſſimum, aut faltem probabiliſſimum videbitur.

Intereſt, cujus nationis ſit ſcriptor?

(x) Vid. Cap. IV. §. IV.

CAPUT

CAPUT VI.
De SS. Patribus.

§. I. *Quinam dicendi ſint Patres & Doctores Eccleſiæ?* II. *Quotuplicis generis opera ſcripſerint?* III. *Quænam in SS. PP., illorum lectione ſingulariter obſervanda ſint?* IV. *Quæ & quanta ſit illorum authoritas in Eccleſia?* V. *De Studio Patrum.*

§. I.

Magnam in Eccleſia Catholica eſſe SS. Patrum authoritatem, & tantam, ut in ſtatuendo dogmate vel maxime SS. Patres conſulere, & ex unanimi, vel potiori illorum conſenſu non nunquam doctrinam fidei venari conſueverit, apud Catholicos in confeſſo eſt, quidquid obmoveant Acatholici, qui licet Patres primorum Sæculorum, aliquos ſaltem, magni habeant, nihilominus tamen communius illos & eos præcipue, qui erga Sedem Romanam magis reverentes fuere, atque pro illius authoritate efficacius decertarunt, tam indigne & turpiter ſepoſita omni reverentia habent, tam enormiter traducunt, atque ſugillant, ut illos, inſtar abjectiſſimæ ſortis hominum, impoſturæ, mendaciorum, ac fraudum accuſare non erubeſcant, quaſi vero nemo etiam hæreticorum fuerit, qui tantam fidei, & morum corruptionem induxit, ac ipſi. Animadvertunt nempe aſtuti homines vel maxime, quod illorum authoritate ſupprimantur: quare aliud remedium ipſis non ſuppetit, quam ut illam deprimant. & ſupprimant. Pudet illorum calumnias, quas hinc inde ex ipſorum Authoribus ſtudioſe annotavimus, in publicum proferre.

Magna fuit ſemper authoritas Patrum in Eccleſia. *Ab Acatholicis male habentur.*

Itaque ad Catholicos convertimur, qui, licet in ore & auribus hominum idem audiant Doctores & Patres, nihilominus ambos a ſe invicem diſcriminare ſolent. Nomine ergo *Doctorum* Eccleſiæ veniunt illi, qui eminenti doctrina & ſanctitate floruerunt, & quos ut tales declaravit Eccleſia. *Patres* ſunt, qui prærogativis hiſce gaudent, & præterea *competentem habent ætatem.* Requiritur ergo tam in Patribus quam Doctoribus doctrina eminens, & ſanctitas: quia Doctoris eſt *illuminare verbo;* Patris vero *paſcere & nutrire verbo & exemplo.* Requiritur inſuper in Doctoribus declaratio Eccleſiæ: quia non omni ſpiritui eſt credendum: & aliunde ad Eccleſiam ſpectat conferre gradus honoris, authoritatis, & dignitatis. Requiritur tertio in Patribus com-

Quinam dicendi ſint Doctores, & Patres?

petens antiquitas: quia debent eſſe teſtes & cuſtodes Traditionis Divinæ, & hoc ipſo Sæculo Apoſtolorum viciniores, vel ſaltem non adeo remoti. Alii ergo DD. nobis & noſtris temporibus viciniores melius dicuntur Pædagogi, quam Patres: licet Eccleſia horum etiam aliquos titulo *Patrum* ex ſingulari ratione honoraverit (a). Quænam autem determinate requiratur ætas, & antiquitas, inter Authores non convenit. Putant plures DD. ſufficere, ſi attingant Sæc. VI. & VII. adeoque agmen Patrum claudere S. Gregorium M., & Iſidorum Hiſpalenſem. Dictis non obſtat, quod Eccleſia inter Patres habeat etiam aliquos, qui non modo nulla eminuerunt Sanctitatis præeminentia, verum etiam perverſa fidei dogmata tenuerunt, & vel hæretici, vel hæreticorum fuere fautores, quales ſunt Tertullianus, Euſebius Cæſarienſis, Origenes, Rufinus &c., quidni enim Eccleſia illos in teſtes Traditionis aſſumat, ut de unanimi Eccleſiæ conſenſu, concentratione, & conteſſeratione eo certius conſtet: cum non raro veritas etiam ex ore inimicorum peti poſſit, & debeat, quorum teſtimonium tantæ majoris eſt authoritatis, quanto magis illud ab omni ſiniſtra ſuſpicione alienum eſſe dignoſcitur.

Alii potius dicendi ſunt Pædagogi.

Quidam, etſi non ſancti, imo errantes in fide Patribus annumerantur, & quare?

§. II.

Quotuplicis generis opera Patrum?

Ajunt, duplicis generis Opera SS. Patrum eſſe diſtinguenda, nempe *Dogmatica*, & *Exhortatoria:* in illis clarius; in his plerumque obſcurius ſunt locuti propter *diſciplinam Arcani* (b). Duæ hæ Operum claſſes complectuntur ſeptem ſpecies: 1. *Catecheſes*, quæ erant *inſtructiones domeſticæ* tempore Quadrageſimæ fieri ſolitæ pro illis, qui in Vigilia Paſchatis baptizandi erant. Et in his clare loquebantur. Secundo *Tractatus Polemici* ad fidem contra hæreticos defendendam pertinentes. Tertio Apologiæ ad Eccleſiam a calumniis paganorum & hæreticorum purgandam ſcriptæ, quales ſunt duæ Apologiæ S. Juſtini M., Apologia Tertulliani, Athenagoræ, dialogi Felicis Minutii &c. Quarto *Homiliæ* & *Sermones* in Conventibus publicis habiti: & in his aliquoties propter præſentiam gentilium & paganorum obſcurius, & quaſi myſtice loquebantur. Quinto *Epiſtolæ* de diverſis materiis ad fideles, vel etiam ad alios directæ, in quibus non niſi parabolice non raro ſuam mentem explicabant. Sexto *Commentaria* in S. Scripturam.

(a) E. g. S. Thomam Aquinatem, & S. Bernardum.

(b) Diſciplina hæc apud Græcos *Oeconomia;* apud Latinos *Diſpenſatio* audiebat.

Digitized by Google

ram. Septimo *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*. Octavo *Opera pietatis*, in quibus etiam plerumque Oeconomiæ cauſa occultabant myſteria fidei. De his vid. Authores paſſim (c).

§. III.

Traduntur regulæ in lectione SS. Patrum obſervandæ.

Varias regulas in lectione Patrum & cenſura Operum illorum obſervandas paſſim DD. tradunt. Nos paucas quasdam, easque magis præcipuas dabimus. *Regula prima*: eſt videndum nempe, an materiam aliquam quaſi ex profeſſo, & ſtudio examinaverint, vel non niſi per accidens & obiter de ea locuti fuerint? Si primum: tunc illorum ſententia apud Eccleſiam ingentis ponderis eſſe conſuevit, maxime quando alios Patres ſibi conſentientes habuerunt. Si ſecundum: tantum fiduciæ Eccleſia in illorum doctrina non poſuit. Et recte quidem, quia in priori caſu facilius Aſſiſtentia Spiritus S. illorum induſtriæ cooperantis, & velut inſpiratio illius ad ſcribendum interne ſtimulantis, quam in altero caſu, præſumi poteſt. *Regula ſecunda*: hoc ipſo, ſi appareat, quod Patres aliquam materiam principaliter tractaverint, & maxime ſi diſputative contra hæreticos egerint, deprehendere licebit in ipſis vehementem quemdam ardorem in perſequendis hæreticorum ſententiis, ut videri poſſint, modum & fines veritatis exceſſiſſe (d). *Tertia regula*: noſſe juvat, de qua materia ſcripſerint, in qua potiſſimum excelluerint, contra quas hæreſes ſcripſerint, & ideo ſingularis ratio habenda illorum Patrum, quos DEUS quovis Sæculo in ſua Eccleſia poſuit, ut errores, & hæreſes eo tempore graſſantes proſternerent. Sic S. Auguſtinus in materia de gratia, S. Hilarius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus circa fidem de Trinitate DEI, S. Athanaſius circa dogma de Divinitate Filii, SS. Cyrillus Alex. & Flavianus circa myſterium Incarnationis primas tenent. *Regula quarta*:

(c) Vid. Douiat, & Petrus Annatus, ex quibus multa deprompſimus.

(d) Sic S. Gregor. Tavmat. in Diſput. cum Eliano ethnico pluralitatem Deorum Chriſtianis objiciente ita defendit unitatem, ut crederetur cum Sabellio tres perſonas confundere. Sic etiam S. Dionyſ. Alexand. ita exarſit in refutanda hæreſi Sabellianorum, ut quibusdam videretur eſſentiam cum tribus perſonis confundere, & propterea apud Sedem Apoſtol. ſe purgare debuerit. Sic denique S. Auguſt. tanto ſpiritu ac verborum ardore defendit neceſſitatem gratiæ, ut quibusdam liberum Arbitrium ſuſtuliſſe videretur.

Errores Patrum prudenter excuſandi. *Ante definitionem Eccleſiæ nemo hæreticus.*

ta: in ipſa lectione ulterius caute advertendum ad errores, quos hinc inde deprehendimus, & licet eos diſſimulare non oporteat, excuſari tamen debent, quantum ſalva veritate, & inſpectis prudentiæ regulis poſſunt: & ad eos excuſandos id ſingulariter ſcire juvat, quod doctrina aliqua hæretica non ſit ante definitionem Eccleſiæ: & ex hoc capite excuſari debet ab errore S. Cyprianus in materia de valore Baptiſmi hæreticorum, S. Irenæus, Juſtinus, Lactantius, aliique Patres *Chiliaſtæ* ex eo dicti, quod millenarium Regnum Chriſti ſtatuerint; aliique, quibus perſuaſum fuit, animas ex vita decedentes ante finale judicium viſione beatifica non fruituras; item illi, quos inter etiam ſolet numerari S. Auguſtinus, qui animas fieri per traducem tenuere, aut dari Antipodas negarunt. Attendendum ulterius, in qua lingua ſcripſerint: quia aliud verba græce; & aliud latine ſignificant e. g. *hypoſtaſis*, de qua voce, & illius ſenſu tamdiu inter Græcos & Latinos fuit diſceptatum. Quod ſi alicubi erraſſe deprehendantur, nonniſi cum honore & debita reverentia tractandi ſunt. Et demum magis ſtudendum, ut illos conciliemus, quam committamus. Denique pro hodierna praxi *Regula quinta* eſt, quod hodie vel maxime ſcire juvet, quænam ſint Opera genuina, dubia, apocrypha, & ſpuria: quia mediante Critica etiam ſaniori (de Critica exceſſiva, & velut in SS. Patres graſſante, qualem exercuere Acatholici, & quidam etiam Catholici Joannes Launoyus, Harduinus, Simonius, Dupinus) deprehenſum eſt, quod multa Opera SS. Patribus ad majorem conciliandam authoritatem ſuppoſita; plura vero ab hæreticis adulterata fuerint. Ideo autem ad id attendendum eſt, ne ſpecie veritatis aut falſitatis aliquoties decipiamur, opera dubia, apocrypha, vel ſpuria allegemus, & hoc modo criſibus, & irriſionibus doctiorum nos exponamus. Quænam autem ſint genuina Opera Patrum, & dubia vel ſpuria, nemo melius docuit, quam Patres Benedictino-Mauriani in ſuis caſtigatiſſimis Editionibus SS. Patrum. Si quis ſcire deſideret, quoſnam potiſſimum Patres pro ſtudio Theologiæ & Juris Canonici in quavis materia legere oporteat, conſulat Mabillonii Tract. de ſtudiis Monaſticis cap.4. Nolim vero, ut multum fidas Dallæo *de uſu Patrum*, cujus perverſas doctrinas refellere tanti moliminis non foret, niſi ſerviendum eſſet anguſtiis temporum, & pagellarum (e).

De operibus, & editionibus remiſſive.

§. IV.

(e) De his plura vide infra §. V.

Digitized by Google

§. IV.

Quomodo unanimis conſenſus Patrum faciat regulam fidei?

Tria potiſſimum ſunt, quæ de authoritate Patrum Doctores Catholici communiter tenent. Primum eſt, quod unanimis Patrum conſenſus infallibilem fidei regulam conſtituat, non quidem *a priori*, quaſi ipſi dogma fidei faciant; ſed a poſteriori: quatenus conſenſus iſte eſt infallibile ſignum, hanc vel illam doctrinam eſſe a DEO revelatam: & hinc Eccleſia usque nunc in definiendis fidei controverſiis ſingulari ſemper induſtria antiqua Patrum monumenta conſuluit, & juxta concordem illorum conſenſum dogmata fidei definivit. Secundum eſt, quod

Qualis ſit authoritas unius alteriusve S. Patris?

ſententia unius aut alterius, vel etiam plurium Patrum non niſi argumentum probabile faciat. Imo non nunquam major etiam pars Patrum Eccleſiam in ſuas partes pertrahere, aut illi definitionem dogmatis perſuadere non potuit, tunc nempe, quando unus alterve graviſſimæ authoritatis contrarium ſenſit, & huic ſubſequentium ſæculorum Patres adſtipulati ſunt. Exemplum manifeſtum habemus in opinione Chiliaſtarum, cui plures primi & ſecundi Sæculi Patres adhæſerunt, uno alterove in opinionem contrariam abeunte, quorum tamen opinionem ſecuti ſunt Patres Sæculorum ſequentium ferme omnes. Et quod magis eſt, unus etiam ex Patribus tantæ aliquoties authoritatis fuit in Eccleſia, ut Eccleſia definitionem dogmatis, ſaltem in illis quæſtionibus, quarum definitio Eccleſiæ tantopere non videbatur neceſſaria, ſuſpenderit. Sic enim, licet Patres ferme omnes tam latini, quam græci docuerint, univerſum hoc non in uno inſtanti, ſed ſex continuis diebus fuiſſe productum, hæc tamen doctrina uno contradicente S. Auguſtino (licet etiam aliæ fuerint cauſæ) in dogma fidei non fuit aſſumpta.

Patres non ſunt ejusdem authoritatis.

Tertium eſt, quod non omnes Patres ſint æqualis authoritatis, & in una alterave materia alter alteri prævaleat. Quatuor igitur ponunt gradus approbationis:

Quatuor gradus approbationis.

primus eſt, quando libri hujus vel illius Patris in publicis ſcholis, & ſolemnibus Eccleſiæ officiis uſurpantur. Secundus eſt illorum, qui ab Eccleſia ſingulari titulo ſunt honorati, quales ſunt 4. Doctores Eccleſiæ in cap. *Glorioſus* de Reliq. Tertius illorum, quorum libri in aliqua certa materia ſunt ſingulariter approbati e. g. libri S. Auguſt. de lib. arbit. & grat. in materia de gratia. Quartus demum & ſupremus approbationis gradus eſt ille, quo liber decretorio & definitorio Eccleſiæ judicio tanquam Catholicus, & velut regula fidei omnibus ſequenda proponitur, uti 12. Anathematiſmi Cyrilli Alexand. contra doctrinam Neſtorii &c.

§. V.

§. V.

Tria ad iſtud ſtudium ſpectant.

Reliquum eſt, ut quam breviſſime de ſtudio *Patrum* agamus. Tria potiſſimum ad iſtud ſtudium recte ineundum deſiderantur. I. ut ſciamus, quos præcipue Patres legere oporteat, quo ordine ſint legendi, & quid in eorum ſtudio ſit obſervandum. II. ante oculos habendæ ſunt certæ regulæ criticæ ad diſcernenda genuina opera SS. Patrum neceſſariæ. III. habenda omnino eſt ratio Editionum, & in ſeligendis SS. Patrum editionibus regulæ quædam generales adhibendæ.

Videndum, qualem ſibi quis ſcopum in ſtudio Patrum præfixerit.

Quantum ad primum quisquis ſtudio & lectioni Patrum ſuas ingenii vires conſecrare vult, certum ſibi finem præſtituere debet. Aut enim quis finem principalem ſuorum laborum ſibi præſtituit ipſum *ſtudium Patrum;* aut propter alias ſcientias perfecte comparandas in Ordine ad Theologiam, Hiſtoriam, vel Jurisprudentiam illud aſſumit? Si primum: tunc ampliori inſtructione opus erit, ut hic talis ſuum ſtudium utiliter & cum fructu proſequatur. Hujusmodi ampliorem inſtructionem ſuppeditat Mabillonius (f), quem meliorem in modum commendamus. Servient etiam tum ea, quæ §. III. animadvertimus; tum ea, quæ mox de regulis Criticis breviter differemus. Si ſecundum: tunc faciendus erit ſelectus. Theologus legat illos Patres, qui velut ex profeſſo ſcripſerunt de dogmatibus fidei, & contra hæreſes, quorum prolixum Catalogum recenſet citatus Mabillonius (g). Hiſtoricus occupetur in illis Patribus, qui temporum rerumque ſuo ævo geſtarum ſcripſerunt hiſtorias: quales ſunt Euſebius, Hieronymus, Sozomenus, Epiphanius, Socrates &c. Jurisprudentiæ Candidatus evolvat libros Patrum, e quibus diſciplinam eccleſiaſticam perfectius haurire licet. Ad ſtudium vero diſciplinæ Eccleſiaſticæ, teſte Mabillonio non modicum conferet legere Apologetica, quæ Chriſtianæ Religionis gratia emanarunt, in quibus diſciplina & mores vivide adumbrantur, quibus præterea veterum Patrum Epiſtolæ ſunt ſuperaddendæ præcipue S. Ignatii Martyris, & S. Cypriani; item epiſtolæ Canonicæ Dionyſii Alexandrini, Gregorii Nyſſeni & Baſilii, epiſtolæ D. Gregorii Magni, opera Iſidori Hiſpalenſis, Ivonis Carnotenſis, Petri Bleſenſis, D. Bernardi aliorumque (h).

Alios Patres legere debet Theologus, alios Juris ſtudioſus, alios Hiſtoricus.

Semper fuere falſarii, qui libros adulterarunt.

Quantum ad ſecundum res aliunde eſt notiſſima, nullo non ſæculo fuiſſe falſarios nebulones, qui non modo Patrum ſcriptis violentas manus

(f) In Tract. de Stud. Monaſt. cap. III.

(g) Loc. cit. §. III.

(h) Vid. Mabillonius loc. cit.

manus injecerunt,& partim addendo,partim detruncando,fœde interpollando,ſed & integros libros a ſe confictos iis impudenter ſuppoſuerunt. Undenam enim tot *Evangelia*, *conſtitutiones*, *traditiones*, *revelationes*, *itinera* ſub ipſis Apoſtolorum nominibus olim venditata, *a neſcio quibus fabularum ſutoribus ſub Apoſtolorum nomine* ſcripta, ait Auguſtinus (i) ? Et ſi nec ipſis Apoſtolis pepercerunt, quid mirum,ſi in illorum ſucceſſores graſſata ſit effrœnis hæc fingendi licentia? cui non nota, quæ ſub Clementis Romani, Lini, Prochori, Martialis, Melitonis, Juſtini Martyris, Tertulliani, Cypriani, Dorothei, Athanaſii, Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi &c. nominibus circumferuntur ſpuria (k) ? Ne igitur in errores labamur peſſimos, falſa pro veris venditemus, ſapientiorum irriſionibus nos exponamus, opus erit quibusdam regulis pro recte diſcernendis veris a falſis ſane neceſſariis.

Regulæ pro diſcernendis operibus genuinis.

Varias hujusmodi regulas præter alios (l) tradit Guilielmus Cave (m), e quo aliquas depromemus, quamquam omnes adoptare non audeamus.

I. *In quocunque opere rerum perſonarumve, ſcriptoris, cujus nomen præfert liber, ætate recentiorum, occurrit mentio, certum eſt falſitatis indicium.* Regulam hanc tam quoad *perſonas*, quam *res* variis illuſtrat exemplis. Quoad *perſonas*: ſic enim liber de trinitate Tertulliano attributus Sabellianorum meminit, qui poſt Tertulliani demum tempora exorti ſunt. In Titi Boſtrenſis Commentariis in Lucam Gregor. Nazianz., Nyſſenus, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexand. non una vice citantur. Quis ergo hos libros eſſe genuinos dicere auſus fuerit? Quoad *res*, quarum nomine veniunt ritus, cæremoniæ, controverſiæ, hæreſes, profecto in Canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis, operibus Dionyſii Areopagitæ, Epiſtolis antiquorum Pontificum nullibi non occurrunt ſexcenta de templis, altaribus, conſecrationibus, veſtimentis, pœnitentia publica, Monachatu &c., quæ ſane redolent noviora tempora.

II. *Vocabula nova, vel novatæ ſignificationis, & quæ manifeſto ſunt ſequioris ætatis, librum, quo reperiuntur, eſſe ſpurium liquido oſtendunt.* Ex hoc capite exiſtimant Critici, in apocryphorum numerum eſſe relegandas Epiſtolas Decretales antiquorum Pontificum: liturgias Apoſtolis attributas, utpote in quibus frequenter occurrunt nomina Primatum Patriarcharum, Metropolitanorum, Archiepiſcoporum, apocryſiarorum &c. de quibus

(i) Ad Vincent. Epiſt. 48. (k) Guiliel. Cave in Proleg. Sect. VI.

(l) Quales ſunt Honoratus a S. Maria. Dupinus, Launoius, Hyperius de ratione Stud. Theolog. Rivetus tract. de Patrum authorit. Spanhemius Introd. ad hiſt. novi teſtam. (m) In Proleg. ad hiſt. liter.

quibus prima Eccleſiæ chriſtianæ ſæcula ne quidem per ſomnium cogitarunt.

III. *Fabulæ inanes, aliæque ineptiæ ab ævi Apoſtolici, vel Scriptoris alicujus antiqui ingenio & gravitate abhorrentes, librum, quo continentur, ſuppoſititium eſſe clamitant, aut ſaltem juſtam de eo dubitandi rationem ſuggerunt.* Ex hac ratione e numero librorum genuinorum expungunt accuratiores Critici Proto-Evangelium Jacobi commentis plusquam Judaicis de Joachim & Anna, de Mariæ natalibus, educatione, nuptiis, & partu refertum, libellum de nativitate B. V. inter Hieronymi opera repertum, quibus multi addunt Periodos Pauli & Theclæ. Plures hujusmodi libros recenſet Cave loc. cit.

IV. *Stylus, totiusque orationis contextus, longe diverſus ab eo dicendi charactere, quo in genuinis ſuis libris uſus eſt Author, manifeſtum præbet ſuppoſititionis argumentum.* In hoc criterio conveniunt Critici eccleſiaſtici Euſebius, Hieronymus, Gennadius, & recentiores omnes. Inſtar omnium probationum ſit teſtimonium S. Auguſtini, qui, dum oborta fuit controverſia de Cypriani ſententia circa baptiſmum ab hæreticis collatum, & nonnulli Cypriani epiſtolas confictas eſſe clamitarunt, eas Cypriani eſſe ex ſermonis textura dijudicavit S. Auguſtinus, *eo quod ſtylus ejus*, ut inquit, *habet quandam propriam faciem, qua poſſit cognoſci* (n). Et quis etſi latini ſermonis & artis oratoriæ peritiſſimus, alterius ſtylum adeo dextre imitabitur, ut non ſeu in nitore verborum, ſeu elocutionis forma, ſeu diſpoſitionis artificio attente legenti nullum ſe prodat diſcrimen?

V. Merito tanquam liber ſpurius, adulterinus vel ſuppoſititius rejicitur liber, in quo reperiuntur dogmata iis plane contraria, quæ author in genuinis ſuis operibus docuit. Velim hanc regulam cum grano ſalis accipi, de dogmatibus & doctrinis majoris momenti, non de rebus levioribus: quis enim ille mortalium eſt, qui non aliquoties in rebus levioris momenti lapſum memoriæ patitur? Econtra ab omni veriſimilitudinis ſpecie abhorret, quod unus idemque Scriptor prudens, gravis, eruditus ſibimetipſi in dogmate quodam contradicat, & propoſitiones quandoque e diametro pugnantes ſuis libris intexat. Quapropter S. Auguſtino merito abjudicantur libri Hypognoſticon, utpote in quibus Pelagiana dogmata diſerte traduntur, cum tamen nemo fuerit, qui ea acrius & fortius impugnaverit, ac idem ſanctus Doctor. Nemo facile, cujus intellectui ſanior affulget phœbus, S. Cyrillo Alex. attribuet *homilias in Leviticum*, in quibus multa de animarum præexiſtentia, de impiorum ſuppliciis aliquando

(n) Ad Vincent. epiſt. 48.

quando finem habituris aliisque Origenis dogmatibus continentur, eo quod Cyrillus præcipuus fuerit Origenis adverſarius.

VI. *Falſitatis vel fraudis ſuſpicionem injicit, ſi in libro authorem græcum ſibi vendicante occurrat latinorum verborum explicatio & cenſura.* Hujus regulæ rationem dant, quod iſtud a Græcorum conſuetudine abhorreat. Ait Caveus hanc regulam habere maximum uſum in exterminandis variis Origenis opuſculis, quem proin legere libeat (o).

VII. *Opuſcula, quæ veteres damnarunt tanquam ſpuria, ægre admodum admittenda ſunt tanquam vera, niſi validiſſimis argumentis eorum veritas demonſtretur, tunc maxime quando accedunt illorum ſuffragia, quorum intereſt, ut habeantur pro ſinceris & genuinis.* Stat ſane præſumptio maxima pro antiquis, quod rem bene examinaverint, non temere, non fraudulenter, non inconſiderate egerint. Et quis melius de veritate & falſitate operis judicare potuit, quam veteres, coævi, ſynchroni? quid hac regula velit dicere Caveus, optime perſpectum habemus: nempe agit contra eos, qui zelo indiſcreto abrepti, neſcio quid obſequii Eccleſiæ ſe exhibere exiſtimantes ſtudioſe libros antiquiſſimos, in quibus quædam, quæ vel ad ſidem, vel ad authoritatem Eccleſiæ & Pontificis, vel ad pietatem facere videntur, conquirunt, eosque orbi chriſtiano obtrudere conantur, etſi ſimiles libros tota retro antiquitas vel ignoraverit, vel tanquam ſpurios rejecerit, aut ſaltem pro ſuſpectis habuerit. Profecto ſtabit Religio Catholica immota, ſtabit Eccleſiæ authoritas inconcuſſa, florebit genuina & maſcula pietas chriſtiana, licet innumeri hujusmodi libri ſuſpecti apocryphi ſuppoſititii amandentur. Fulcra Religionis Eccleſiæ, & virtutis ſunt ſcriptura & traditio ſincera Econtra periclitabitur Religio, mutabit authoritas Eccleſiæ, ſi lubricis innitatur fundamentis, quæ detecta falſitate facile poſſunt ſubrui. Plura de hoc argumenti genere videantur in Honorato a S. Maria, & Guillielmo Cave.

Quantum ad tertium, nihil fere eſt in toto rei literariæ circulo, in quod frequentius impingere ſolent Juniores in ſtadio theologico minus exercitati, quam in pravis, minusve commodis SS. Patrum editionibus in uſus ſuos comparandis, dum nulla cura, nullo habito delectu, arripiunt, quidquid in proclivi eſt, quidquid prima ſtatim fronte ſeſe iis offert (p). Quo fit, ut non ſine gravi ſumptuum, temporis, & quod pretioſius adhuc, ipſius quandoque veritatis diſpendio, editiones quotidie terant imperfectas, corruptas, vitiis & erroribus ſcatentes, quæque legentibus fucum faciunt, & non raro a recto veritatis tramite abducunt. Quare recte monet Mabillonius (q), dum dicit: *diligenter diſtinguenda eſſe opera vera ac legitima ab apocryphis & ſuppoſititiis. Quod ſi non præcaveatur, in varios ingentesque errores poterit Lector facile labi, nec totum illum, quem ex tali lectione ſperabat, fructum exhauriet. Quapropter meliores Patrum editiones fas erit inquirere.* *Habendus eſt ſelectus editionum.*

Regulas in ſeligendis SS. Patrum editionibus obſervandas tradit citatus Caveus (r), easque mirum in modum illuſtrat. Sunt hæ regulæ prolixiores, ut adeo eas hic adducere & illuſtrare longum nimis foret, & difficillimum accideret. Juvat tamen breviter illas referre, & deſuper unam alteramve animadverſionem facere.

Kkk 2 Regula

(o) Loc. cit. pag. 17.
(p) Loc. cit.
(q) Tract. de Stud. Monaſt. cap. III. §. III.
(r) Loc. cit. Sect. VII.

Regula I. *Editiones SS. Patrum quo ſunt vetuſtiores, eo ſunt ut plurimum fideliores.* Hujus regulæ duplicem rationem dat laudatus author, 1mo, quod editiones, quæ in primis rei typographicæ incunabulis prodierunt, ex optimis Manuſcriptis ſint expreſſæ, & non immerito Manuſcriptorum vicem ſupplere poſſint. 2.do Quia nondum natis de reformanda Eccleſia controverſiis & diſſidiis nulla ſatis idonea cauſa ſubeſſe poterat, cur in excudendis Patrum operibus fraude uterentur. Verum metuo, ne hæc regula ſæpiſſime fallat: nam utique in ſcriniis & Bibliothecis non modo opera genuina, ſed etiam ſpuria, falſa, adulterata, & ſuppoſititia latuere, quæ dein ſine delectu veris & genuinis fuere immixta, & ſic ex defectu accuratioris critices in lucem publicam prodierunt. Ant dicet fortaſſis hic author, quod omnia opera ſpuria primum poſt reformationem fuerint conficta? quis hæc dicere auſus fuerit? nunquid ultimis primum ſæculis per artem criticam vera a falſis ſunt diſcriminata?

Regula II. *Opera SS. Patrum, quæ ex Roberto Stephani officina græce prodierunt, cæteras editiones emendationis cura, & typorum nitore facile vincunt.* Hæc regula dilucidatione ulteriori non indiget.

Regula III. *Patrum latinorum editiones Frobenianæ jure merito magni æſtimantur.* Facile aſſentimur Authori hujus regulæ ex iis ipſis rationibus, quas adducit. Interim nolumus in laudes officinæ Frobenianæ multum excurrere. Abundanter in illius laudes dixit citatus Scriptor.

Regula IV. *SS. Patrum opera, quæ græce & latine Pariſienſes, præſertim eruditiſſimi PP. Mauriani in lucem emiſerunt, aliis in ſuo genere palmam præripiunt.* Immortali id cedit gloriæ Congregationi Benedictinæ S. Mauri, quod illius alumni intra ſpatium unius ſæculi pro bono literario, politico & Eccleſiæ tantum laboraverint, quantum vix ullus Ordo Religioſus ſpatio ſæculorum plurium, ea potiſſimum ex ratione, quod adornaverint editiones Patrum longe ampliſſimas, accuratiſſimas, & caſtigatiſſimas, easque eruditiſſimis notis & animadverſionibus illuſtraverint, in quorum jam laudes excurrere ſupervacaneum foret, cum illas libri innumeri, quas orbi literario communicarunt, loquantur & declament.

Regula V. *In diſcernendis SS. Patrum editionibus plurimum refert ſcire, quis editionis curam in ſe ſuſceperit.* Cum ex editoris fide, peritia, diligentia ipſius editionis pretium integre dependeat. Hæc regula pariter per ſe eſt clara.

Regula VI. ex mente hujus authoris eſt: *præcipue cavendæ ſunt editiones SS. Patrum, quæ in iis locis prodeunt, in quibus ſacræ Inquiſitionis viget officium.* In promptu eſt ratio, ait Cave, *quod ejusmodi editiones ad indicum expurgatoriorum regulas ad amuſſim recognoſcantur, & pro libitu libri ipſi corrigantur, expendentur, caſtigentur.* Nempe offendit hunc Authorem tribunal Inquiſitionis, quod multis eſſe lapis offenſionis dignoſcitur. Optat hic author, ut libri libere graſſentur per orbem literarium, nulliusque judicio ſint ſubjecti. Nos longe meliora de hoc tribunali præſumimus, usque dum alius alia nos edoceat, interea gratias agentes Deo T. O. M. quod laboribus noſtris in finem usque ſuis copioſis benedictionibus adfuerit, qui proin

In omnibus glorificetur.

JA1 1530791

Digitized by Google

150

Digitized by Google